SC.19.Pl.5.

37
29 C
3

MAG 2165

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆLECTIONES

Theologicæ – Dogmaticæ – Polemicæ – Scholaſticæ habitæ in celeberrima PATAVINA ACADEMIA

A P. M. F. JACOBO HYACINTHO

SERRY

ORD. PRÆD. DOCTORE SORBONICO

AC

PRIMARIO IBIDEM SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE.

Quas in unum collectas, atque in ordine collocatas

ILLUSTRISSIMIS, ATQUE EXCELLENTISSIMIS VIRIS

JOANNI, ET PETRO BASADONÆ

FRATRIBUS

VENETIS SENATORIBUS AMPLISSIMIS

D. D. D.

CAMILLUS MANETTI UTINENSIS J. U. D.

OPUS POSTHUMUM

Volumen Tertium.

De Divina Gratia: De Scientia Dei: De Voluntate Dei: De Fide: De Symbolis: De Scriptura Sacra: De Traditione: De Eccleſia.

Accedunt Opuſcula ab Authore jampridem edita videlicet

Divus Auguſtinus Divo Thomæ ejuſque Angelicæ Scholæ ſecundis curis conciliatus.

Epiſtola ad Gabrielem Danielem è S. J., qua reſpondet ejuſdem Danielis Epiſtolæ ad Generalem Ordinis Sancti Dominici, & Confutatio Reſponſi Epiſtolaris ejuſdem Danielis.

VENETIIS,

APUD THOMAM BETTINELLI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC SENATUS PRIVILEGIO.

MDCCXLII.

Digitized by Google

ELENCHUS

TRACTATUUM, DISPUTATIONUM, ET PRÆLECTIONUM

una cum ſuis Argumentis,

Quæ in hoc Tertio Volumine exhibentur.

TRACTATUS PRIMUS

DE DIVINA GRATIA

DISPUTATIO PRIMA

PRÆLECTIO PRIMA.

Diviſio Gratiæ in gratum facientem, & gratis datam exponitur primò, atque explicatur: tum ſecundi generis Gratias novem eſſe; quarum alias per modum habitus permanentis, alias per modum vialis corruſcationis, a Deo concedi, propugnatur: cujus occaſione de Apoſtolis, variis Linguis loquentibus, differitur.

II.

Gratiam gratum facientem non eſſe externum Dei favorem, ſed Donum internum Animæ a Deo collatum, eique per modum Habitus inhærens, & a Charitate diſtinctum propugnatur.

III.

Variis actualis Gratiæ expoſitis diviſionibus, de Gratiæ ſufficientis nomine differitur, qua Pueros abſque Baptiſmate morientes carere penitus, demonſtratur.

IV.

Tam Infideles, qui nihil de Evangelio audiere; quam induratos, & obcæcatos, dum eorum obduratio atque obcæcatio conſummatæ ſunt, ſufficientibus Gratiis privatos eſſe, demonſtratur.

V.

Peccatores induratos & obcæcatos Gratiis ſufficientibus perſæpe privari oſtenditur.

VI.

Momenta contraria diluuntur.

VII.

Quoties hominibus juſtis inſtat obligatio alicujus implendi præcepti, toties iiſdem præſto eſſe Gratiam demonſtramus.

Digitized by Google

VIII.

De Gratiæ Efficacis neceſſitate. Et num neceſſaria ſit homini ad veritates ſupernaturales cognoſcendas.

IX.

An Gratia Efficax neceſſaria ſit ad bona opera exercenda.

X.

Ad bona moraliter opera elicienda, aliquem actualis Gratiæ concurſum prærequiri demonſtratur.

XI.

Non poſſe hominem lapſum ex ſolis ſuis viribus diligere Deum, ut authorem naturæ, multis oſtenditur.

XII.

Num ad opus ſalutare perficiendum neceſſaria ſit Divina efficax Gratia.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS
DE DIVINA SCIENTIA
DISPUTATIO SECUNDA

Proludium.

PRÆLECTIO PRIMA.

DAri veram in Deo & ſtricti nominis dictam Scientiam; Creaturaſque omnes in Eſſentia ſua, tanquam in medio, cognoſcere; eamque cognitionem eſſe creaturarum Cauſſam, propugnatur.

II.

Mala cùm pœnæ, tum culpæ, futuraque libera contingentia certò Deum cognoſcere propugnatur; ſingularumque cognitionum media ſtatuuntur, demonſtrantur.

III.

Quoad Divinam futurorum contingentium notitiam Syſtema Suareſii confutatur: agitur quoque de futuris conditionatis.

IV.

Quid ſit, & a quibus excogitata Scientia Media; & quid de ea ſenſerit Auguſtinus, exponitur.

V.

Impugnatur Scientia Media rationibus Theologicis.

VI.

Molinianorum Argumenta ſolvuntur.

VII.

Divinæ Ideæ quid ſint; Et num in Deo admittendæ, & quo pacto, explicatur, aſſeritur; tandem Platonis error refellitur.

Digitized by Google

TRACTATUS

De Voluntate Dei.

PRÆLECTIO PRIMA.

Objectum motivum Dei aliud non eſſe quam Deum ut ſummè bonum oſtenditur.

II.

Num Deus amet ſeipſum neceſſariò, an liberè?

III.

Quo amore Deus creaturas ſuas proſequatur, oſtenditur.

IV.

Quid nomine voluntatis antecedentis & conſequentis intelligendum ſit, explicatur; & num in Deo voluntas antecedens ſit verè propriè & formaliter, quæritur.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS
De Fide.

PRÆLECTIO PRÆLUDIALIS

Apologia pro Theologis adverſus malignos obtrectatores; in qua Theologorum Fides a calumniis vindicatur; eoſque plus cæteris credere luculentiſſimè demonſtratur.

DISPUTATIO PRIMA.

De Fidei Divinæ Certitudine, Obſcuritate, atque neceſſitate.

PRÆLECTIO PRIMA.

Non poſſe Fidei ſubeſſe falſum ex parte Dei revelantis, demonſtratur: & Manichæorum, Priſcillianiſtarumque momentis occurritur.

II.

Cætera Manichæorum & Priſcillianiſtarum Momenta adverſus præcedentem aſſertionem diluuntur.

III.

Theologorum illorum Momenta refutantur, qui tametſi Deum nunquam mentitum eſſe, imò nec de Lege ordinaria mentiri poſſe, catholicè fateantur, de Lege tamen extraordinaria id poſſe præſtare contendunt.

IV.

Fidei Divinæ ſubeſſe falſum non poſſe, neque ex accidenti, ſeu ex parte credentis Hominis, aſſeritur, propugnatur: nec non inſulſa Joannæ Papiſſæ fabella rejicitur, refutatur.

V.

Argumentum ſuperius continuatur, caſuſque reliqui expenduntur, in quibus Divinæ Fidei falſum quandoque ex accidenti ſubeſſe poſſe videtur.

VI.

Obſcuritatem ita Fidei Divinæ eſſentialem eſſe, ut de eodem objecto etſi per diverſa media, nulla ratione cum ſcientia, quæ evidentiam adfert; imò nec cum evidentia Revelationis de Myſterio aliquo, ſi fortè haberetur, ſtare poſſit, defenditur.

VII.

Fidem in re abſolutè ad ſalutem neceſſariam eſſe, defenditur.

VIII.

Fidem explicitam de binis Trinitatis & Incarnationis Myſteriis non omnibus ante Chriſti adventum ad ſalutem fuiſſe neceſſariam;

eo

eo tamen ſequuto, factaque ſufficienti Evangelii promulgatione, neceſſariam ſingulis omnino eſſe, propugnatur.

IX.

Quandonam & quibus in occaſionibus teneatur Fidelis publicam Fidei profeſſionem emittere, variis Regulis aſſignatis expenditur. Fidem autem ore negare, licere numquam aſſeritur, propugnatur.

X.

Fidei ſimulationem illicitam omnino eſſe; nec ulla unquam poſſe ſecreta mentis intentione cohoneſtari, probatur.

XI.

Momenta adverſus Aſſertionem in ſuperiori poſitam refutantur.

DIS-

Digitized by Google

DISPUTATIO SECUNDA
TRACTATUS

De Symbolis.

PRÆLECTIO PRIMA.

DE *Symbolis, quibus Articuli fidei continentur, ac primùm de Symbolo Apoſtolorum.*

II.

De Symbolo Nicæno, quod etiam Conſtantinopolitanum eſt dictum.

III.

Quandonam & a quo Particula Filioque *Symbolo Nicæno & Conſtantinopolitano addita ſit, declaratur.*

IV.

Symbolum, quod S. Athanaſii dicitur, ejus fœtum non eſſe, validiſſimis argumentis evincitur.

V.

Objectiones contra præcedentem aſſertionem de Symbolo S. Athanaſio perperam adjudicato diluuntur.

DIS-

Digitized by Google

DISPUTATIO TERTIA

PRÆLECTIO PRIMA.

De Regulis Fidei, ac primò de Scriptura Sacra, quæ omnium eſt regula prima.

II.

Adverſariorum Momenta diluuntur.

III.

Libri Veteris Teſtamenti propugnantur contra Fauſtum, & Adimantum Manichæos.

IV.

Quid Judæi adverſus Divinam authoritatem, atque Inſpirationem librorum Novi Teſtamenti, objicere ſoleant?

V.

Alia multa momenta ex Scripturæ locis petita diluuntur.

VI.

De Divinarum Scripturarum inſpiratione adverſus Proteſtantes Epiſcopium, Spinoſam, Grotium, alioſque Catholicos Scriptores.

VII.

De eadem Divinarum Scripturarum Revelatione quoad ſingularia & individua verba.

VIII.

De Traditione, Altera Fidei noſtræ Regula.

IX.

Momenta petita ex periculis & incommodis, ſi Traditio ut Fidei regula ponatur.

X.

Eccleſiam certam fidei regulam eſſe, & errari in fide minimè poſſe, aſſeritur & propugnatur contra Lutheranos & Calviniſtas.

XI.

Eccleſiam magnos etiam Peccatores ſinu ſuo complecti, nec ſolis juſtis, atque prædeſtinatis conſtatam eſſe probatur.

XII.

Unitatem veræ Eccleſiæ a Chriſto Domino inſtitutæ, primam dotem eſſe notamque præcipuam demonſtratur.

XIII.

De Sanctitate Eccleſiæ.

XIV.

De univerſalitate ſeu Catholicitate Eccleſiæ.

XV.

De quarta Eccleſiæ Nota Apoſtolica.

XVI.

Utrum Miracula ſigna certa ſint, invictæque probationes Religionis atque Doctrinæ, in cujus confirmationem, & probationem eduntur?

DI-

DIVUS AUGUSTINUS

DIVO THOMÆ,

Ejuſque Angelicæ Scholæ ſecundis curis conciliatus.

In quæſtione de Gratia primi Hominis & Angelorum.

Editio multò auctior, magnaque rerum acceſſione illuſtrata, & contra nonnullos obſcuros prioris impugnatores vindicata, aſſerta, confirmata.

CAPUT PRIMUM.

Conſilium Auctoris, operiſque conceptus.

II.

Primum D. Auguſtini principium expenditur: primaque inde, pro gratia efficaci primi Hominis demonſtranda, conſecutio elicitur.

III.

Alterum expenditur Auguſtini principium, ex quo eadem conſecutio colligitur.

IV.

Idem ex tertio Auguſtini principio demonſtratur.

V.

Idem ex quarto Auguſtini principio confirmatur.

VI.

Idem ex quinto principio colligitur.

VII.

Idem probatur ex ſexto principio.

VIII.

Inſignis profertur Auguſtini locus, & contra nonnullorum cavillos defenditur.

IX.

Alia D. Auguſtini teſtimonia proferuntur.

X.

Novo Auguſtini Oraculo Fulgentii teſtimonium adnectitur.

XI.

Rationibus Theologicis agitur ab Auguſtino delibatis. Prima ex Orationis neceſſitate petitur, & Gelaſii R. P. authoritate defenditur, confirmatur.

XII.

Digitized by Google

XII.

Altera ex gratiarum actione petita ratio producitur.

XIII.

Tertia ex virtute humilitatis deſumpta ratio ſubjicitur, & contra nonnullorum objecta defenditur.

XIV.

Poſtrema, de fugienda præſumptione, ratio ventilatur.

XV.

Nova ex natura gratiæ efficacis ratio petitur, præſertim adverſus eos, qui eam in delectatione victrici poſitam volunt.

XVI.

Celeberrimæ de Divinis auxiliis Congregationis judicium, de agitata hactenus controverſia, recitatur.

XVII.

Potiſſimum adverſæ ſententiæ fundamentum evertitur. Auguſtinum efficacis gratiæ neceſſitatem, non ex ſola naturæ corruptione petiiſſe, demonſtratur.

XVIII.

Non eſſe efficacis gratiæ neceſſitatem ex ſola humanæ naturæ corruptione derivandam, certis conſiderationibus, atque exemplis ab Auguſtino datis, oſtenditur.

XIX.

Quæ ſecum adverſa ſententia ferat incommoda; quas principiorum ſuorum, dogmatumque antilogias.

XX.

Celebris D. Auguſtini cum Monachis Adrumetinis diſputatio refertur; undè tam ſpecioſa adverſæ ſententiæ probatio petitur.

XXI.

Argumenti ex Auguſtini cum Monachis diſputatione deſumpti futilitas denudatur: Vana quorundam in eo jactando gloriatio retunditur.

XXII.

Certa D. Auguſtini mens aperitur: recta duplicis adjutorii intelligentia traditur: vera humanæ naturæ ſtatuum differentia declaratur.

XXIII.

Auguſtini adverſus Monachos diſputantis ſumma doctrinæ capita minutatim, ac ſingulatim explicantur, & ad D. Thomæ ſententiam reducuntur.

XXIV.

Aliæ exponuntur Auguſtini ſententiæ ex hac eadem adverſus Monachos Adrumetinos diſputatione, delibatæ.

XXV.

Poſtremæ, adverſus datas ſolutiones, objectiones occupantur.

DE

Digitized by Google



DE DIVINA GRATIA.

DISPUTATIO PRIMA.

PRÆLECTIO I.

Diviſio Gratiæ in gratum facientem, & gratis datam exponitur primò, atque explicatur: tum ſecundi generis Gratias novem eſſe; quarum alias per modum Habitus permanentis, alias per modum vitalis coruſcationis a Deo concedi, propugnatur: cujus occaſione de Apoſtolis, variis Linguis loquentibus, diſſeritur.

DIximus ante ferias Saturnales, & quidem cumulate ſatis, atque abundè, de Originali Peccato, quo humana Natura ex culpa primi Parentis vitiata, corruptaque fuit. Reliquum modò eſt, ut Magiſtri Sententiarum, cujus nobis interpratatio demandata eſt, ſequuti docendi methodum, de Divina Gratia, qua ſola poteſt vitiata Natura reſtaurari, Diſputationem inſtituamus.

Ut porro ſub ipſum ſtatim initium facilè intelligat ſtudioſa Juventus, qua de re nobis futura ſit Diſputatio; neve ancipiti

illo variiſque ſenſibus obnoxio Gratiæ vocabulo deludatur, illud obſervet oportet, Amorem Divinum, quo Deus ex æternitate Homines diligit, & ad ſupernam Beatitudinem ordinat, Gratiæ quoque nomine Sacris in Litteris inſigniri. Hinc *ad Rom. capp.* 4. *&* 11. Fides & Prædeſtinatio *propoſitum Gratiæ*, & *electio Gratiæ* nuncupatur.

Verùm de Gratia in hunc ſenſum accepta non eſt nobis in preſentia diſputatio; ſed de Gratia creata, temporali, accidentaria; quo nomine Dei Dona intelligimus, quæ nobis ab Eo ad finem ſupernæ Beatitudinis obtinendum in tempore conceduntur.

Gratia tamen hoc ſenſu accepta, de qua modò dicturi ſumus, duplicis generis eſſe dicitur; alia Hominem Deo gratum faciens; alia gratis Homini data. Quam duplicem appellationem exponere, atque enucleare neceſſe eſt; ne ea verborum ambiguitate aliqui deludantur; uti certè deluſos video Theologos aliquos magni etiam nominis, primique ſubſelii.

Gratia igitur Hominem gratum faciens illa eſt, quæ per ſe primò datur, ut ille ipſe, qui recipit, Deo gratus efficiatur; quomodocumque res ipſa contingat: hoc eſt; ſeu Gratia illa forma ipſa ſeu ſtrictè, ſeu latè ſit, qua fit aliquis verè ac propriè Deo gratus, ut eſt Gratia ſanctificans habitualis; ſeu mera ſit præparatio, diſpoſitio, motio, excitatio, ut quis Deo gratus evadat; ut ſunt Gratiæ omnes merè actuales, excitantes, prevenientes: ſeu demum conſummatio Gratiæ ſit, perfectio, aut etiam qualecumque augmentum.

Gratia verò gratis data, quæ ſub altero diviſionis membro collocatur, non ea profectò eſt, quam aliqui prima fronte inſipienter exiſtimant: quæ ſcilicet gratis detur ſine meritis: hoc etenim pacto quæcumque Gratia gratis eſt; ſed Gratia gratis data illa dicitur, quæ non confertur Homini ad ſui profectum, ſed ut opera ſua ad Aliorum ſalutem cooperetur.

In explicanda qua late patet Gratia gratum faciente ſeu actuali, ſeu habituali tota ferme occupatur ſuſcepta præſens Theologica Diſputatio. De Gratia gratis data perpauca Theologi diſputant. Quapropter, ut ab eo, quod minimum eſt, expediamus nos quantocitiùs, quo ſubindè liceat in eo, quod eſt præcipuum, diutiùs immorari, de Gratia gratis data primùm dicemus, in reliquis de Gratia gratum faciente prolixe diſputaturi.

Ad examen itaque veniat, quæ prima ſolet a Theologis agitari quæſtio celeberrima: quot ſint Gratiæ gratis datæ?

Gratiæ illæ novem numerantur ab Apoſtolo *Epiſt. ad Corinth. cap.* 12. *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem Spiritum: alteri fides in eo-*

dem

dem Spiritu: alii gratia ſanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum; quibus inſtructi eſſe debent Miniſtri Evangelici. Diviſionem hanc peremptoria ratione 1. 2. *quæſt.* 111. *a.* 4. D. Thomas hoc ratiocinio demonſtrat: ut quis dignè operetur in Miniſterio Apoſtolico, tria maximè deſiderantur: Primò, ut habeat plenam notitiam Veritatum: ſecundò, ut eas ſciat congruenter proponere: tertiò, ut eas poſſit Prodigiis, atque Miraculis confirmare. Ut ergo notitiam Veritatum habere poſſit, Sapientia, Scientia, & Fides deſiderantur. Ut eas prædicet, duo dantur; Genera Linguarum, & Interpretatio Sermonum, ut ſciat, & quo ad idioma, & quo ad ſenſum proponere. Ut tandem confirmare poſſit, quatuor requiruntur, quibus probet, ſe Dei nomine loqui; & hoc ut faciat, neceſſum eſt, ut nomine Dei præſtare poſſit, quæ ſolius Dei ſunt propria; & ipſe per Eum noſcat, quæ ſolus Deus noſcere per ſe poteſt. Ut primum faciat, duo neceſſaria ſunt: Gratia ſanitatum, & Operatio Virtutum, per quas facere poteſt, quæ ſolus Deus facit, ut ex hoc probare queat, ſe Dei nomine prædicare Hominibus. Ut autem alterum præſtet, alia duo deſiderantur; nempe Prophetia, & Diſcretio ſpirituum, per quas internas Hominum cogitationes, & Animorum affectus rimari valeat.

Mirum eſt, fuiſſe Theologos quoſdam recentiores, inter quos Vaſquez, Suarez, & Bellarminus, qui eam Apoſtoli Diviſionem Gratiarum gratis datorum judicaverint mutilam; contenderentque, præter novem illas, numerari etiam debere Characterem Sacerdotalem, & Eccleſiaſticam Juriſdictionem; non bene advertentes Characterem illum, & Eccleſiæ Juriſdictionem ad Gratias gratis datas minimè pertinere, ſed ad Miniſtrationes; quas Apoſtolus ipſe a Gratiis gratis datis apertè diſtinguit. Poſtquam enim Gratias eas gratis datas enumeravit, ſubdit Miniſtrationum genera inquiens: *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia; primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde Virtutes; exinde Gratias curationum, Opitulationes, Gubernationes, Genera linguarum. Numquid omnes Apoſtoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores?* & cæt. Et ſanè diſtinxiſſe Apoſtolum Miniſtrationem a Gratiis gratis datis perſpicuum eſt *ex verſ.* 5. *& 6.* ejuſdem Capitis; ubi legitur: *Diviſiones verò Gratiarum ſunt: idem autem Spiritus. Et Diviſiones Miniſtrationum ſunt: idem autem Dominus. Et Diviſiones Operationum ſunt: idem verò Deus, qui operatur omnia in Omnibus.* Sicut itaque diſtinguit Apoſtolus Operationes a Gratiis, atque Miniſtrationibus, ita Miniſtrationes a Gratiis ipſis ſecernit.

Diſcrimen porro hoc intereſt inter Gratias gratis datas, atque Miniſtrationes; quod primæ ſignificent, ac reſpiciant actum enuntiationis Veritatum; ſecundæ principium, & authoritatem deſignent; quorum primum ſiſtit in Charactere, alterum in Juriſdictione.

Sunt & alii, qui dicunt, Scientiam, & Sapientiam connumerari inter Virtutes intellectuales; Fidem verò inter Theologicas. At repono ego, dupliciter ſpectari eas poſſe: vel enim ſunt ad profectum ſuſcipientium, vel ad aliorum utilitatem: Ut intellectuales, Hominum Mentes illuſtrant: ſimiliter Fides, ut Theologica, Mentem Hominum imbuit veritatibus Fidei: Scientia vero, Sapientia, & Fides, quatenus ad aliorum ſalutem pertinent, Gratiæ gratis datæ dicuntur. Unum tamen obſervare operæ pretium eſt; quod quia Deus Opt. Max. ad Hominum converſionem bonis, & malis Miniſtris uti poteſt; ita Gratiæ gratis datæ ab Eo & bonis, & malis Hominibus conceduntur; & cui tandem Ipſe vult. Hinc legimus, Balaamum, & Caipham, homines ſceleſtiſſimos prophetaſſe.

Unum eſt, quod huic objici poſſet: videlicet quòd in Sanctorum Apotheoſi Eccleſia Gratias gratis datas, tanquam argumenta Sanctitatis, agnoſcat: ex quo colliget fortaſſe quiſpiam, Gratias gratis datas bonis, & malis Hominibus nequaquam a Deo concedi. Huic expediendæ difficultati Reſponſio in promptu eſt. In canonizando, ut dicitur, utitur Eccleſia & rationibus demonſtrantibus, & rationibus etiam, & argumentis probabilibus. Porro ex his Gratiis non ſumit Eccleſia, niſi argumenta probabilia: quin ſi cætera Sanctitatis indicia & probationes deficerent, ad Sanctificationem Eccleſia minimè deveniret. Stat itaque certum, indubitatumque, Gratias gratis datas tribui Omnibus a Deo poſſe, bonis nimirum, & malis, quibus Ipſe voluerit. Altera longè gravior Difficultas ſupereſt hoc de Argumento eliquanda: Num ſcilicet Gratiæ gratis datæ a Deo concedantur per modum Habitus permanentis; an potius vialis cujuſdam coruſcationis; Seu an quibus dantur, taliter dentur, ut iis quovis tempore pro libito uti poſſit; an vero ex occaſione hìc & nunc infundantur ad aliquid peragendum; quo peracto ceſſent omnino, atque evaneſcant.

Quæ quidem Quæſtio ejuſmodi eſt, ut & curioſitatem veſtram abundè explere & induſtriam noſtram minùs utique exercere valeat. Plana enim res eſt, quæ Factis potiſſimùm comprobatur, nec iis involvitur Difficultatibus, quæ ſolutione ſint difficillimæ, ut in aliis Gratiæ Quæſtionibus plurimum contigit. Quod ut percipiat ſtudioſa Juventus, revocet in memoriam oportet, quod ex Apoſtolo Paulo ante proferebamus, *Epiſt.* 1. *ad Corinth. cap.* 12.

nu-

Digitized by Google

novem videlicet eſſe Gratias gratis datas quas iterum recenſere ne pigeat: *Alii quidem*, inquit, *datur Sermo Sapientiæ: alii autem Sermo Scientiæ ſecundùm eundem Spiritum: alteri Fides in eodem Spiritu: alii gratia ſanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio Sermonum:* De tribus primis; nimirum Scientia, Sapientia, & Fide, nulla ſuboritur dubitatio, an hæ ſint per modum Habitus permanentis: nam fatentur ferme Omnes, eas eſſe Habitus Menti infuſos. De aliis itaque tribus Controverſia eſt; nempe de Prophetia, de Gratia patrandi miracula, & de Facultate loquendi variis Linguis; quibus tres aliæ accedunt per ſeſe: an videlicet iſtæ ſint per modum Habitus permanentis vel vialis corruſcationis? Dico igitur, Prophetiam non fuiſſe per modum Habitus permanentis, neque in maximis Prophetis; ſed per modum duntaxat vialis cujuſdam coruſcationis, certiſque in occaſionibus eam habuiſſe. Patet hoc petitis a Scriptura Momentis. Propheta Nathan eam certè non habuit per modum Habitus permanentis; nam Hic aliquo caſu, quo prophetare putabat, falſum prænuntiavit: E. G. dum interrogatus a Davide, quiſnam fabricaturus eſſet Templum, ita reſpondit, ac ſi Ille eſſet fabricaturus, *Lib.* 2. *Reg. cap.* 7. *Dixit* (David) *ad Natham Prophetam: Videſne quòd ego habitem in Domo Cedrina, & Arca Dei poſita ſit in medio pellium? Dixitque Natham ad Regem: Omne, quod eſt in corde tuo, vade fac: quia Dominus tecum eſt:* Scilicet, vade, fac Templum. Ubi certè falſum prænuntiavit. Eadem ſiquidem nocte vocatus Nathan a Deo juſſus eſt retractare, quæ dixerat, verumque prædicere: *Vade, & loquere ad Servum meum David: Hæc dicit Dominus: Nunquid tu ædificabis mihi Domum ad habitandum? ...... Cùmque completi fuerint dies tui ...... ſuſcitabo ſemen tuum poſt te ...... Ipſe ædificabit Domum nomini meo.*

Patet idipſum etiam Exemplo Eliſæi *Lib.* 4. *Reg. cap.* 3. Rogatus hic, ut futurum aliquod prophetaret, dixit Ille, adduci ad ſe Citharœdum, qui ſcilicet armonia ſua Spiritum ejus in ecſtaſim raperet, & hoc pacto prophetaret: unde liquet, Gratias gratis datas Prophetis fuiſſe a Deo conceſſas non per modum Habitus permanentis, ſed per modum vialis cujuſdam coruſcationis:

Hoc ipſum confirmatur ex eodem *Lib. cap.* 4. de ipſo Eliſæo, qui de amaritudine Sunamitidis, cujus Filius objierat, apertè dixit: *Anima enim ejus in amaritudine eſt, & Dominus celavit a me, & non indicavit mihi.* Imò David ipſe neſciebat, quid Saul eſſet de ſe ipſo reſponſurus ad Jonatam, *Lib.* 1. *Reg. cap.* 20. *Quis renunciabit mihi, ſi quid fortè reſponderit tibi Pater tuus*

durè

durè de me? Alia multa proferri poſſent Prophetarum Exempla, qui de futuris interrogati, ſe ignorare teſtati ſunt.

De altera etiam Gratia oritur hic difficultas: num poteſtas patrandi Miracula fuerit in Prophetis per modum Habitus permanentis, vel per modum vialis cujuſdam coruſcationis; adeo ut quandocumque, & ubicumque vellent Miracula perpetrarent? De qua etiam pari ratione pronuntio, facultatem patrandi Miracula non fuiſſe in Prophetis per modum Habitus permanentis. Patet hoc Iſaiæ Prophetæ Exemplo; qui certè hac donatus fuit Gratia ad ſanitatem aliis reſtituendam: cum enim ad Ezechiam Regem ad mortem ægrotantem profectus eſſet, qui certè rogatum ab Eo fuiſſe, ut ſanitatem redderet, putandum eſt, apertè ſignificavit, id præſtare non eſſe in poteſtate ſua, inquiens: *Diſpone Domui tuæ, quia morieris tu, & non vives: Lib. 4. Reg. cap. 20.*

Conſtat idipſum etiam variis Sanctorum novi Teſtamenti Exemplis: in D. Bernardo, cui ſanandi Gratia conceſſa erat; nec tamen poterat ſemper ægrotis ſanitatem reſtituere. Quinimo fertur in ejus Vita, quod cùm patraturus eſſet Miracula, explorabat, an ſentiret ſpiritualem quamdam in præcordiis ſuavitatem; & cùm eam minimè perſentiret, noſcebat, Deum nolle eidem Gratiam ea in occaſione impertiri.

Habemus etiam exemplum in S. Vincentio Fererio; qui Miracula non patrabat, niſi priùs a Præpoſito ſuo licentiam obtinuiſſet. Ex quibus compertiſſimum fit, Gratias hujuſmodi gratis datas nequaquam a Deo concedi per modum Habitus permanentis.

De tertia Gratia, nimirum de facultate loquendi gravior oritur difficultas: an ſcilicet Apoſtoli, qui Gratiam Linguarum die Pentecoſtes prodigioſo illo Spiritus Sancti viſibili illapſu acceperunt, ita eandem acceperint, ut indeſinenter in iis perduraverit, ita ſanè, ut quandocumque vellent, quo liberet, idiomate loqui poſſent?

Contendunt bene Multi, Gratiam hanc Apoſtolos non habuiſſe per modum Habitus permanentis. Id ut evincant, afferunt duorum Apoſtolorum Exempla, qui primi in ordine Apoſtoli erant; Petri nimirum, & Pauli. Utebantur Hi, ajunt, Interpretibus, quibus certè haud uſi fuiſſent, ſi per ſe ipſos id præſtare quiviſſent. Hoc porro perſpectum eſt in Petro, qui D. Marcum Interpretem habuit; quo Antiochænæ Eccleſiæ Epiſcopo creato, alio utebatur Interprete nomine Glaucia. Paulus verò habuit Titum Interpretem; quin & dum eſſet Troade, Concionem habere haud potuit, quod Interprete ſuo Tito careret, ut ipſemet teſtatur Apoſtolus in ſua *Epiſt. 2. ad Corinth. cap. 2. Cùm veniſſem autem*

Troa-

Digitized by Google

Troadem propter Evangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino, non habui requiem Spiritui meo, eo quòd non inveneri̇m Titum fratrem meum; ſed valeſaciens eis, profectus ſum in Macedoniam. Quæ verba ſic intelligit D. Hieronymus Epiſt. 150. ad Hedibiam quæſt. 11. ut Apoſtolo ingentis doloris cauſa fuerit, quòd Tito interprete deſtitutus, Troade pro concione dicere non potuerit: *Quia prædicationi ſuæ fiſtulam, organumque, per quod Chriſtum caneret, non invenerat*.

Obſervant hic Patres idcirco Epiſtolas D. Pauli Stylo inter ſe, & Charactere diſcrepare, & alias eſſe aliis elegantiores, quia pro rerum neceſſitate diverſis interpretibus in iis conſcribendis uſus eſſet, quin imo obſervant Epiſtolam ad Hebræos aliis Græco idiomate exaratis eſſe ornatiorem, atque elegantiorem, quia eam Hebraico idiomate ſcripſit, & natus erat hebræus: unde ex his colligunt, non habuiſſe Apoſtolos loquendi facultatem per modum habitus permanentis.

Quia tamen Apoſtolos Donum linguarum inſtar Habitus permanentis obtinuiſſe, communiter exiſtimatur, videndum eſt nobis, quid ſibi vellint Patres illi, qui dicunt Petrum, & Paulum uſos Interpretibus fuiſſe. Obſervare igitur operæ pretium eſt, Interpretes alios eſſe idiomatis, alios ſententiarum, atque doctrinæ. Primi illi ſunt, qui quod uno idiomate ſcriptum eſt, in aliud vertunt: Secundi ſunt ii, qui quod ſuboſcurè, & involutè ſcriptum eſt, clariùs exponunt. Ad rem itaque veniamus. Petrus, & Paulus doctrinæ habuerunt Interpretes; ita ut, quæ Paulus ſermonis profunditate eructabat, iſti plano ſermone diſſererent. Contingebat ergo, ut Apoſtoli rapti afflatu Spiritus S., dum prædicabant Evangelium, plerumque alta, & obſcura Myſteria eructarent: proinde accedebant Interpretes, qui ea planiùs exponebant; facilique, atque ad captum Simplicium accommodato ſermone reddebant.

Alterum eſt, quod Alii quærere ſolent: num Apoſtoli omnium Nationum Linguis, an propria dumtaxat Lingua Syro-hebræa loquerentur.

Ad cujus reſolutionem notandum venit, donum Linguarum fuiſſe Miraculum quoddam, quod non adimplebatur in voce loquentium, ſed in auribus audientium. Patet id *in Actibus Apoſtolorum cap. 2. Cæperunt loqui variis Linguis, pro ut Spiritus S. dabat eloqui illis*. Contingebat enim, Apoſtolos loquendo uno idiomate ab omnibus eſſe intellectos: qua de cauſſa in Actibus ipſis legitur eodem capite diverſarum Nationum Populos inclamaſſe: *Quomodo nos audivimus unuſquiſque Linguam noſtram, in qua nati ſumus?* Et infra: *Audivimus eos loquentes noſtris Linguis* ma-

magnalia Dei. Quaſi id audirent illi tantum; non item ipſimet Apoſtoli loquerentur. Petrus itaque dum primò Concionem habuit, in qua preſentes ei fuerunt ex omni Gente Auditores, ab omnibus intelligebatur; quamtumvis Petrus non poſſet omnibus idiomatibus uno eodemque tempore loqui: id enim miraculosè contigit: quod etiam contigiſſe legimus poſtremis hiſce temporibus in Viris nonnullis Apoſtolicis, Vincentio Ferrerio, Ludovico Bertrando, & Franciſco Xaverio, ut patria quique Lingua locuti a diſſonis Gentibus intelligerentur.

Ego tamen, quantum capio, quantum ſapio, pronuntiarem, utroque modo Apoſtolos Linguarum donum fuiſſe præditos; nimirum & ut patria Lingua loquentes a diverſarum Nationum Hominibus intelligerentur; & ut re vera Nationum omnium propriis idiomatibus uti poſſent, ſi vellent. Quum multitudini ex pluribus conflatæ Nationibus ſermonem habebant, primo Privilegio Eos uti, neceſſum erat, ut a ſingulis eodem tempore intelligi poſſent: quum verò, uni vel alteri ſingulariter loqui contingebat, propria Perſonæ illius Lingua uti poterant, ſi fortè haberet. Hoc enim Scripturæ Textui, qui variis Eos Linguis loquutos expreſsè aſſerit, congruere magis videtur: ac præterea, quod alii pluribus ſanctis Viris non ſemel conceſſum legimus in Hiſtoriis, id Apoſtolis denegare, ſalva Eorum præminentia, & dignitate, non poſſumus.

Hæc de Gratiis gratis datis dicta ſufficiant. Nunc poſtulat Officii ratio, ut de Gratia gratum faciente pauca dicamus: quod in ſequenti Deo dante præſtabimus.

PRÆ-

PRÆLECTIO II.

Gratiam gratum facientem non eſſe externum Dei favorem, ſed Donum internum Animæ a Deo collatum, eique per modum Habitus inhærens, & a Charitate diſtinctum, propugnatur.

DE Gratiis gratis datis in antehabita Prælectione fusè diximus: reliquum modo eſt, ut ad alteram ſpeciem, nempe ad Gratiam gratum facientem, animum convertamus. In hoc porro Argumenti genere tria inter cætera ſolent a Theologis inveſtigari: Primum, an hæc Gratia gratum faciens ſit Donum aliquod Animæ intrinſecum, a Deo collatum; an potius externus aliquis favor, quo Deus Homines afficit? Secundum, quid ſit iſtud Donum in Anima Juſti? Tertium demum, an Donum iſtud diſtinguatur a Charitate? Tria hæc, Viri Theologi, hodiernæ Exercitationis materiam miniſtrabunt, quibus feliciter expeditis ad graviora, quæ Confeſſum noſtrum plùs deceant, properabimus. Ad primum itaque accedamus.

Calvinus, atque Lutherus, cum quibus in primo propoſito Capite Controverſia eſt, cenſuerunt, Gratiam hanc nonniſi externum eſſe favorem Animæ a Deo collatum: quod ut oſtenderent, Momenta tria proferebant. Primum eſt, quòd idem cenſendum putabant de Amore Dei erga nos, ac de Hominum amore erga ſe invicem. Homines porro dum ſeſe amant, nil plane producunt in Objectis a ſe dilectis: neque enim dum Petrus Paulum amat, aliquid in Paulo intrinſecum ponit. Hoc idem contingere in Dei amore, quem Gratiam appellamus, effutiebant.

Momentum alterum, quo turpiter luſi ſunt, ex Prædeſtinatione repetebant. Prædeſtinatio, ajebant, eſt actus amoris Dei: unde Sacris in Literis ſæpenumero dilectionis nomine ſignificatur. Porro Prædeſtinatio non eſt aliquid Animæ intrinſecum, cùm ſit actus Voluntatis Divinæ æternus, quo Homines eliguntur ad gloriam, antequam ſint.

Tertiò aſſerebant, idem prorſus judicium fieri debere de amore Dei, ac de odio Dei, cum Contrariorum eadem ſit ratio: at verò odium Dei nihil intrinſecum ponit in Reprobis: non enim eam ponit malitiam, propter quam Deus odio illos habet. En quæ fuerit Pſeudo Reformatorum eorum Sententia, quibuſque fundamentis innixa.

At Synodus Tridentina, cui ſpecialis cura demandata fuit ad eos Errores examinandos, eorumdem Sententiam anathemate dixit *Seſſ. 6. can.* 11. *Si quis dixerit, Homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa Gratia, & Charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, quæ illis inhæreat: aut etiam Gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei, anathema ſit.* Contendit enim, remiſſionem peccatorum non fieri aliqua externa denunciatione, ſicut Calviniſtæ contendunt. Canone verò ſubſequenti diſertius definit: *Si quis dixerit, fidem juſtificantem nihil aliud eſſe, quam fiduciam Divinæ Miſericordiæ, peccata remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſſe, qua juſtificamur; anathema ſit.*

Scio tamen, quid Adverſarii ad hoc reponere ſoliti ſunt; ſcilicet floci facere authoritatem Concilii Tridentini, quod Synagogam potius eſſe percenſent, ac impiè blaſphemant. At ſi ipſis oſtendero, petitis a Sacris Litteris fundamentis, totum illud, quod definivit Concilium, veriſſimum eſſe, Cauſſa cadant profectò, velint nolint, neceſſum erit.

Oſtendo igitur primò Authoritate Apoſtoli, qui 2. *ad Corinth.* cap. 1. ſcribit: *Signavit nos* (Deus) *& dedit pignus Spiritus Sancti in cordibus noſtris.* Quid autem eſſe aliud poteſt pignus iſtud Spiritus Sancti poſitum in cordibus noſtris, niſi Dei Gratia, quæ pignus eſt Hæreditatis æternæ? Si porro poſitum dicitur in cordibus noſtris, non itaque externus eſt favor; ſed quid intrinſecum Animæ a Deo collatum.

Idipſum evinco ex Epiſt. 1. Joan. cap. 3. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet:* hoc eſt quia Gratia ſanctificans in ipſo eſt. Et in fine ejuſdem Capitis: *Et in hoc ſcimus, quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis.* Si itaque in nobis manet, utique internum eſt, non externum. Quid porro aliud eſt ille Spiritus, de quo manet in nobis, niſi Spiritus Sanctus ſanctificans per Gratiam ſuam Animas noſtras? Gratia itaque ſanctificans, ſeu gratum hominem Deo faciens, internum aliquid eſt ſecundum dilectum Diſcipulum, non favor externus, vel pura non imputatio peccati, ut Pſeudo Reformati perperam contendunt.

Quod porro Sacris in Litteris expreſſum eſt, lucidiſſima doctrina exponit, & explanat Angelicus Doctor: Quale nempe diſcrimen ſit inter amorem Dei, & Hominum. Amor Dei, cùm ſit efficaciſſimus, non ſolùm eſt affectivus, ſed etiam effectivus: unde Deus per amorem ſuum bonitatem producit: nec Deus amat Homines, quia boni ſunt; ſed ideo boni ſunt, quia Deus eos amat. Oſtendemus id

id Divinæ Scientiæ exemplo: nam rês non ideo cognoſcuntur a Deo, quia ſunt; ſed ideo res ſunt, quia a Deo cognoſcuntur. Ratio in promptu eſt; quia per actum Imperii qui ſcientificus eſt, res Deus producit: unde multò magis per amorem ſuum bonitatem producet. En quid promit 1. 2. *quæſt.* 113. *D. Thomas*.

Scio tamen, eſſe Nonnullos, quibus hæc D. Thomæ probatio non arridet, quique eam elumbem eſſe arbitrantur: ajunt enim: Objectum ſupponitur ad quemcumque actum; ſed actus amoris bonitatem ſupponit, quæ amatur: quare, ſi objectum amoris Dei bonitas eſt, a Deo igitur non producitur, ſed ad amorem præſupponitur. Verùm non advertunt inconſulti, valere hoc quidem in actibus merè ſpeculativis, minimè autem in practicis. Sed de his fuſiùs cùm de Divina Scientia diſſeremus.

Addunt & aliud, ut D. Thomæ Authoritatem enervent: Deum ſcilicet amare Hominem propter merita, adeo ut merita priora amori Dei ſupponantur. Non itaque, inquiunt, amor Dei Homines bonos facit, ſed bonos invenit.

Falſum prorſus eſt hoc: nam Deus imò amat Homines ſine meritis, ut ex eo amore merita conſequantur, juxta illud S. Proſperi *Lib.* 2. *de Vocatione Gentis*.

Quod autem jactitant de amore Hominum, ultro citroque concedimus nos, nihil ipſum producere in Objecto amato; nam hic eſt merè affectivus, non effectivus amor, quia amor eſt Creaturæ.

Ruit pariter mole ſua illud alterum, quod addunt de actu Prædeſtinationis, momentum, nimirum hunc actum utpote æternum, nihil producere in Prædeſtinatis. Nam, etſi nihil hic in æternitate producat, producit nihiloſecius in tempore: Gratiam videlicet ipſam, qua Prædeſtinati donantur, ut finem, ad quem ſunt ab æternitate deſtinati, conſequantur: Gratia ſiquidem ipſa eſt Prædeſtinationis effectus, & quidem primarius, ſine quo fine illum attingere nullatenus poſſent. Hinc ſæpius in Scripturis, Prædeſtinationis nomine Gratiam deſignari legimus, & vice verſa Gratiæ nomine (finali videlicet) Prædeſtinationem ipſam; ſumtis nimirum effectu pro cauſſa, & cauſſa pro effectu.

Hactenus dè primo Argumenti propoſiti membro cum Lutheranis, & Calvinianis egimus: cum Summis nunc Catholicæ Eccleſiæ Theologis de membro altero diſputandum: quid videlicet internum iſtud Dei Donum ſit, quod adverſus primos propugnavimus?

Magiſter Sententiarum, Theologiæ Scholaſticæ Princeps *Lib.* 1. *Diſt.* 17. totus eſt, ut oſtendat, nil aliud eſſe, quàm Perſonam ipſam Spiritus Sancti Hominibus juſtis unitam, ut actus eliciat

Charitatis: quinimo Ille ipſemet ſit & Charitas, & Gratia. In eam porro deſcendit Ille Sententiam, quia Dilectus in ſua *Epiſt.* 1. *cap.* 4. ſcripſerat: *Deus Charitas eſt; & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Magiſtro Sententiarum Oliander adhæret *in ſua Harmonia Evangelica*, ubi docet, eam ipſam Sanctitatem ineſſe nobis, qua Deus Sanctus eſt.

Eccleſia tamen, & Cætus omnium ferme Theologorum ſentiunt; nimirum Spiritum Sanctum non eſſe Gratiam ipſam ſanctificantem, qua Juſtus Deo charus efficitur; ſed Gratiam fructum eſſe Spiritus Sancti. Hoc patet imprimis *Epiſt. ad Galatas cap.* 5. *Fructus autem Spiritus, eſt Charitas:* dein *Epiſt. ad Rom. cap.* 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Licèt enim Apoſtolus non explicet nomen Gratiæ, ſed Charitatis, cùm tamen Charitas neceſſariò dependeat a Gratia tamquam a forma, origine, & radice, & ita nectantur invicem, ut una ſine altera ſtare non poſſit, ſi Spiritus Sancti fructus eſt Charitas, debet eſſe & Gratia ipſa. In eorum autem Sententia, qui Gratiam a Charitate minimè ſecernunt, ut mox videbimus, decretorium planè Apoſtoli momentum equis non videt?

Id etiam conſtat ex quadam D. Thomæ ratione *Lib.* 1. *Sentent. diſtinct.* 13., ubi hæc habet: Ut Spiritus Sanctus elliciat actus Charitatis, qui in nobis ſunt, neceſſe eſt, unitum eſſe animis noſtris. Deus porro uniri non poteſt, niſi vel per modum ſpeciei intelligibilis, vel per modum ſubſtantiæ, ſeu perſonalitatis. Primo modo non poteſt; nam ſi hoc pacto uniretur, nos ipſi Deum intuitivè videremus; cùm Beati idcirco videant intuitivè Deum, quia Deus unitur eorum mentibus per modum ſpeciei intelligibilis. Neque ſecundo modo poteſt; quia nos ipſi eſſemus tunc perſonaliter uniti Spiritui S., quo modo unitum fuit Divinum Verbum Umanitati Chriſti; & ſic eſſemus Deus ipſe, uti Chriſtus Deus erat. Quod verò ſpectat ad Locum illum Apoſtoli, in quo habetur: *Deus Charitas eſt;* hoc neutiquam intelligendum eſt de ea Charitate, qua nos diligimus Deum; hæc enim Charitas creata eſt; ſed de Charitate, qua nos diligit Deus, quæ cum actus Divinus ſit, eſt ipſemet Deus. Quærendum modò a nobis eſt, quid ſit Gratia illa ſanctificans, qua diligimus Deum?

Reſponſio Theologorum eſt; Qualitatem eſſe inhærentem, & adhærentem Animæ. Sanctio hæc lata fuit in *Canone majoris in Concilio Vienenſi*; ſubinde in Concilio Tridentino *Seſſ. 6. Can.* 11. ſuperiùs relata, quam ne pigeat repetere: *Si quis dixerit, homines juſtificari, vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola*

pec-

peccatorum remiſſione excluſa Gratia, & Charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam, Gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantùm favorem Dei: anathema ſit. Et ea definitio Concilii cohæret cum eo, quod dixit Apoſtolus: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*.

Audio quid ad hoc Nonnulli reponunt: Si ita ſit, inquiunt, Charitas itaque, & Gratia minori utique præditæ ſunt dignitate, quàm quæcumque Subſtantia; cum Accidentia relatè ad Subſtantias ordinis ſint admodum inferioris: Qualitates autem quælibet in genere Accidentium collocantur.

Rideo ad hujuſmodi argumentationem. Verum equidem, ſi Qualitas ſecundum phyſicam æſtimationem penſetur; cùm tunc non ſit niſi merum accidens: at ſi moraliter accipiatur, Qualitas eſt excellentior ſubſtantia ſive ſpiritualis, ſive corporalis ea ſit. In Theologicis enim diſputatur de rebus ſecundum eſſe morale, non phyſicum, de quo Philoſophis relinquimus diſputandum.

Aliud ſupereſt examinandum: cujus nimirum generis ſit hæc Qualitas inhærens Animæ. Quandoquidem Qualitas dividitur in Diſpoſitionem, & Habitum; ut Phyſicis compertum eſt.

Diſpoſitio enim eſt Qualitas facilè mobilis, diſponens Subiectum ad bene, vel male agendum: Habitus contra difficilè mobilis dicitur. Quocirca profero, Gratiam ſanctificantem infundi Homini per modum Habitus permanentis. Liquet hoc ex *Epiſt. 1. cath. Joan. cap. 2. verſ. 27. Et vos unctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis*.

Opponunt tamen Plerique: videmus, inquiunt, hanc Qualitatem amitti per unicum mortale peccatum: ergo non eſt dicenda per modum Habitus permanentis in Anima; quippe quia eſt valde facilè mobilis. Prævidit Difficultatem D. Thomas, *quamquam Charitas, & Gratia amittantur per unum peccatum mortale; non tamen dicendum eſt, facilè moveri; quia homini habenti Gratiam non eſt facilè committere peccata*. Quam Doctrinam tradiderat etiam Ariſtoteles, licet Paganus inquiens: *Juſto non eſt facilè operari injuſtum*. Reponi etiam poſſet, Habitum eſſe quandoque facilè mobilem ratione pravæ diſpoſitionis in ſubjecto, quamquam ſit ex ſeſe difficilè mobilis. Quando igitur reperitur in Subjecto extra nativum ſuum ſtatum, ſit facile mobilis: Porro Gratia ſanctificans in ſtatu viæ, eſt in ſtatu præternaturali; cùm connaturalis ſtatus ejus in Patria ſit; ubi impoſſibile eſt, juſtos, & ſanctificatos mala opera eſſe perpetraturos.

Ad tertium propoſitæ de ſanctificante Gratia Controverſiæ Caput tandem accedimus: num videlicet diſtinguatur a Charitate?

Sæpe enim penes Theologos eas, unam cum altera confuſas, obſervare contingit.

De hac Quæſtione diu contentio viguit, & quidem acriter, inter Scholam Thomiſticam, Subtilem, atque Molinianam. Hic tamen vos admonitos volo, me non movere quæſtionem, an ita inter ſeſe Gratia, & Charitas diſtinguantur, ut etiam abinvicem ſeparari poſſint. Conſentiunt enim Theologi omnes, Charitatem abſque Gratia Sanctificante ſtare nullo modo poſſe, nec ex oppoſito Gratia ſine Charitate. Si enim una eſſet ſine altera, apertiſſima contingeret contradictio. Quandoquidem qui Charitate careret, Gratiam autem haberet, eſſet Dei amicus, & non eſſet. Eſſet amicus, quia diligeretur a Deo per gratiam, qua ipſum Sanctificaret, & jus ad Gloriam ei tribueret: non eſſet amicus, quia Charitate privatus non diligeret Deum, quod ex debito amicitiæ præſtare deberet, aliiſque titulis longè multis, ut patet per ſeſe. Non itaque de ſeparatione, ſed de diſtinctione procedit Controverſia; cùm, uti ſcitis, plura inter ſe diſtinguuntur, quæ certè ſeparari non poſſunt. Scotus *Lib.* 2. *Diſt.* 27. *quæſt. unica* Gratiam a Charitate non eſſe diſtinctam, probare contendit; quem etiam ſecuti ſunt Molinianæ Scholæ Profeſſores; quos inter Molina, Henriquez, aliique non pauci. D. Thomas adverſæ Sententiæ ſubſcribit 1. 2. *quæſt.* 110. *art.* 3. *&* *Quæſt.* 27. *de Verit art.* 2. ubi Gratiam Sanctificantem a Charitatis Habitu diſtingui affirmat, & probat. Hoc tribus Principiis ex Sacris Litteris delibatis evincitur.

Primum Principium eſt, quòd ea neceſſariò diſtingui debent, quæ in prima ſui productione ordinem ſervant prioris, atque poſterioris: porro Gratia & Charitas in ſui infuſione ejuſmodi ordinem ſervant; quod luculentiſſimo Joannis Apoſtoli Teſtimonio demonſtratur ex *Epiſt.* 1. *Cathol. cap.* 4. *In hoc* inquit dilectus Diſcipulus, *eſt Charitas: non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam Ipſe prior dilexit nos*. Ubi de Charitate Dei erga Homines loquitur; quæ nihil eſt aliud, quàm Gratia ipſa, qua illos Sanctificat, ſibique gratos efficit: dixerat enim immediatè antea, quod *Deus Charitas eſt*; nempe ipſe Dei actus, quo nos diligit; & quod *in hoc apparuit Charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in Mundum, ut vivamus per Eum*. Porro, inquio ego, Charitas, qua nos Deum diligimus, non eſt Gratia, ſeu Charitas, qua nos diligit Deus, ſed ad ipſam ſubſequitur; priùs enim, quàm nos Deum diligamus per Charitatem, quæ Virtus Theologica eſt, & de qua in præſentia contendimus, an diſtinguatur a Gratia, Ipſe per Gratiam nos diligit. Servatur igitur ex Scriptura inter utramque ratio prioris, atque poſterioris; ac per conſequens ab invicem diſtinguuntur.

Alte-

Alterum Principium eſt, quòd videlicet Gratia Sanctificans radix ſit, & origo Charitatis. Probatur hoc Authoritate Apoſtoli *Ad Rom. cap.* 5. *Charitas Dei Diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis;* nimirum per fructum Spiritus Sancti, qui fructus ipſa eſt Gratia, ut ſuperiùs dicebamus. Datur igitur idcirco Charitas, quia antea datur Gratia; adeo ut infuſio Gratiæ origo ſit Charitatis.

Tertium demum Principium eſt: quæcumque inter ſeſe numerum faciunt, diſtinguuntur ab invicem: Gratia autem, & Charitas Sacris in Litteris invicem connumerantur, uti legimus 2. *ad Corinth. cap.* 13. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Charitas Dei, & Communicatio S. Spiritus ſit cum Omnibus vobis.*

Scio quid Adverſarii reponunt, ut vim Apoſtolicæ Authoritatis elidant. Ajunt enim, Apoſtolum illo in Loco non eas enumerare, quaſi numerum faciant, ſed per figuram idem ipſum aliis terminis recenſere: quod nituntur evincere ex ipſomet a nobis allato Teſtimonio; ubi certè numerat Apoſtolus & ipſam Spiritus Sancti Communicationem; quæ tamen nihil eſt aliud, quàm Gratia ipſa.

Verùm non advertunt, Communicationem illam Spiritus Sancti aliud prorſus ſignificare, quàm Gratiam Santificantem, quæ potius Infuſio dicitur, quàm Communicatio. Ea porro Spiritus Sancti Communicatio, quàm precatur Apoſtolus, pro aliis Gratiis, nimirum gratis datis, ſummenda venit, vel pro Donis ipſius Spiritus Sancti, quæ ſeptem recenſentur, quæque ipſam Sanctificantem Gratiam augent, atque perficiunt; non pro ipſamet Gratia, quæ primò infuſa ſupponitur, tamquam cæterorum omnium Donorum radix, origo, ac fundamentum.

Sed expreſſiùs ſeſe Apoſtolus ipſe explicat *ad Timoth. cap.* 1. inquiens: *Superabundavit autem Gratia Domini noſtri cum Fide, & Dilectione;* ubi eodem modo diſtinguit Gratiam a Fide, ac a Dilectione, videlicet Charitate. Quis porro Gratiam idem eſſe cum Fide aſſerat?

Quod autem ex tribus allatis Principiis probat D. Thomas, ſubinde ratione confirmat. Hoc ille utitur ratiocinio: Quod dat eſſe Simpliciter, ab eo diſtinguitur, quod dat operari; cùm operari, ſecundum Philoſophos ſequatur ad eſſe: Gratia porro Sanctificans in ordine ſupernaturali dat eſſe ſimpliciter; ideo enim Quis conſtituitur in eſſe ſupernaturali, quia Santificante Gratia donatur; Charitas autem Hominem ponit in actu operandi, cùm operetur per Charitatem: debet ergo Gratia Santificans a Charitate diſtingui.

Alterum vulgatiſſimum Principium eſt apud Logicos: Accidentia

'tia ſcilicet diſtingui ad diſtinctionem Subjectorum; Gratia porro ſubjectatur in ſubſtantia Animæ; Charitas verò in Voluntate: at ſubſtantia Animæ diſtinguitur a Voluntate: liquet ergo, Gratiam eſſe diſtinctam a Charitate. Miror ego, Scholæ ſubtilis Theologos in eam veniſſe Sententiam.

Videamus modò, quid in contrarium adducant. Inprimis Cardinalis Bellarminus vim facit maximam in Authoritate Concilii Tridentini; quod ipſi videtur, non diſtinguere Gratiam a Charitate *Seſſ. 6. cap.* 3. Enumerat enim Concilium ea omnia, quæ Peccatori in Juſtificatione infunduntur; Fidem ſcilicet, Spem, & Charitatem: ſubjungit Eminentiſſimus, certius eſſe infundi Gratiam ſanctificantem, cùm hæc radix ſit Juſtificationis; adeoque verum eſſe concludit, Tridentinum Concilium nomine Charitatis intellexiſſe Gratiam: alioquin manca eſſet iſtiuſmodi enumeratio.

Miror interim, Miror, Cardinalem eruditiſſimum tam abſonam conſecutionem ex aperto Principio eduxiſſe. Idcirco enim Tridentinum Concilium in Peccatoris Juſtificatione tria illa connumeravit, non connumerata Gratia, quia ſtatim ſub initium Capitis illius explicaverat Gratiam ipſam, tamquam eam, qua formaliter ſit Juſtus, & Sanctus. Dein addo, Concilium iſtud *Seſſ. 6. Can.* 11. ubi ea deſcribit, per quæ Peccatoris contingit Juſtificatio, hæc habere, quæ ſuperiùs retulimus: *Si quis dixerit, Homines juſtificari, vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione excluſa Gratia, & Charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam Gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantùm favorem Dei; anathema ſit*. En quàm plane, apertèque diſtinctam a Charitate Gratiam connumeravit Tridentinum.

Bellarminus verò, aliique Theologi bene multi nonnulla congerunt Scripturæ Teſtimonia, & Sanctorum Patrum Pronunciata, ut evincant, effectus, qui tribuuntur Gratiæ, tribui etiam Charitati; quo exinde inferunt, Gratiam, & Charitatem eſſe revera inter ſeſe unum & idem, ſola nomenclatura diſtinctas. Tribuitur enim, inquiunt, Gratiæ, quod Hominem reddat amicum Deo: quod dignum Cæleſti Regno eundem conſtituat: quod inter Filios Dei, & Diaboli Filios diſtinguat: quod divinæ Naturæ participem eum faciat: aliaque plura Dignitatis inſignia: quæ tamen omnia Charitati quoque dicuntur tribui.

At non video, quid ex hac conſecutione extundere poſſint: licet enim effectus unius cauſſæ alteri tribuatur, non conſequitur inde, cauſſas eorundem produtrices effectuum unum idemque eſſe inter ſe: cùm repugnantia nulla ſit, unum eundemque effectum ad plures variaſque cauſſas poſſe referri.

Repo-

Repono etiam, effectus illos non eodem prorſus modo tribui Gratiæ, & Charitati: nam Gratia eos producit effectus, tamquam cauſſa radicalis primaria; Charitas verò ut ſecundaria.

Unicum eſt, quod eis fortaſſe excitare ſcrupulum poſſit; nimirum, ſi Gratia diſtingueretur a Charitate, poſſet Deus, per abſolutam Potentiam ſuam, unam ab altera ſeparare: nam quæ diſtincta ſunt, per Potentiam Dei abſolutam ſeparari poſſe, contendunt Theologi cum Philoſophis.

Verùm nec id quidem incommodat. Multa quippe ſunt, quæ licet diſtinguantur, nequeunt tamen a Deo ſeparari, nec per abſolutam Potentiam. Siquidem Subſtantia Animæ diſtinguitur ab Intellectu, & Voluntate realiter, nec tamen a Deo ſeparari ab invicem poſſunt. Nihil eſt igitur, quod ex hoc allato Momento aliqua veritatis ſpecie ab iis extundi quoquo modo fas ſit. Hactenus de Gratiæ gratum facientis natura ſatis ſuperque dictum. In ſequentibus de Gratia actuali & ejus Diviſionibus Sermonem inſtituemus.

Digitized by Google

PRÆLECTIO III.

Variis actualis Gratiæ expoſitis Diviſionibus, de Gratiæ Sufficientis nomine diſſeritur: qua Pueros abſque Baptiſmate morientes carere penitus, demonſtratur.

HActenus in ſuſceptæ Tractationis proludiis hærimus, dum de Gratiis gratis datis, & de Gratia gratum faciente habituali diſputavimus. Nunc ad interiora, ſecretioraque Myſteria progredimur, de Gratia actuali prolixè diſputaturi. Quæcumque enim ab Hæreſeos Pelagianæ natalibus ad noſtra uſque tempora tanto animorum æſtu de Divinis Auxiliis obortæ ſunt contentiones, de hac Gratia actuali fuere.

Nomine Gratiæ actualis intelligimus Divinum quemdam impulſum, ſeu motum Animabus noſtris impreſſum, quo Deus Hominem ad actus ſupernaturales Naturæ vires ſuperantes excitat, movet, & applicat; quovis tandem modo illa excitatio, motus, & applicatio fiat; ſeu per phyſicam quandam qualitatem; ſeu per ſpiritualem aliquam delectationem.

Gratia iſta multifariè dividitur: dividitur enim in Operantem, & Cooperantem. Gratia Operans ea dicitur, qua Deus primum affectum boni operis in Animabus inſpirat: Gratia Cooperans eſt, qua Deus una cum Anima jam bene affecta, jamque bene volente boni operis actum exequitur; juxta illud Auguſtini *Lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 17. Quoniam ipſe* (Deus) *ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.*

Hæc tamen diviſio, nedum ab Auguſtino tradita eſt; ſed etiam ex Sacris Literis deducta: Iſajæ *Cap. 26. Omnia enim opera noſtra operatus eſt nobis: Et 1. Corinth. cap. 15. Non ego autem, ſed Gratia Dei mecum eſt: & Ad Philip. cap. 2. Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere.*

Dividitur etiam, aut certè dividi dicitur in Gratiam Prævenientem, & Subſequentem; cujus utrumque Diviſionis membrum ex Sacris Paginis petitur pluribus in locis; & præcipuè *Pſal. 58. Miſericordia ejus præveniet me: & Pſal. 22. Miſericordia tua ſubſequetur me.*

Obſervare tamen operæ pretium eſt, hanc Gratiæ Diviſionem non eſſe diverſam, ſed eandem omnino cum præcedente, variis tantùm verbis expreſſam, atque deſcriptam: cùm ea, quæ dicitur Operans, ſit etiam Præveniens; & ea Subſequens ſit, quæ Cooperans appellatur.

Divi-

Dividitur etiam in Excitantem, & Adjuvantem: quod ex Sacris Literis perinde colligitur: *ad Epheſ. Cap.* 5. *ſurge qui dormis .... & illuminabit te Chriſtus:* Eccleſia: *Excita Domine tuorum Fidelium voluntates: ad Rom. Cap.* 8. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram*. Hæc quoque Diviſio a duabus prioribus nihilo differt; Gratia quippe Excitans, eſt & ipſa Præveniens, & Operans; Gratia Adjuvans, eſt & ipſa Subſequens, atque Cooperans.

Poſt tot tandem Diviſiones altera Diviſio ſubſequitur, qua alia dicitur Gratia Creatoris, Salvatoris altera. Prima illa eſt, quæ data fuit primis Parentibus in Statu Naturæ innocentis: Altera, quæ datur in Statu Naturæ Lapſæ per peccatum: & idcirco dicitur Gratia Salvatoris, quia data nobis eſt meritis Chriſti: at hæc potius Statuum Naturæ Humanæ diviſio dicenda a nobis eſt, quàm Gratiæ.

Alia præ cæteris celebris Diviſio eſt Gratiæ actualis in Sufficientem, & Efficacem; de qua tantum in Scholis, præcipuè poſtrema hac ætate, diſputatum fuit. Hanc Divinæ Gratiæ Diviſionem iiſdem verbis expreſſam nuſpiam leges in Auguſtino; ſaltem quo ad primum Diviſionis membrum, nempe Gratiam ex nomine ſufficientem: Gratiam poſſibilitatis, Gratiam actionis invenies appellatam: item Auxilium *ſine quo* non fit opus; Adjutorium *quo* fit; numquam tamen hiſce terminis *Sufficientis*, & *Efficacis* expreſſa legi poteſt in Auguſtino. Quare plerique Theologi ſunt, qui contra eos efferveſcunt, quibus Diviſionem Gratiæ hiſce vocibus expreſſam, mens fuit, in Scholas invehere. Quo enim pacto, exclamant, Gratia Sufficiens appellari poteſt contra nativam vocabuli conditionem, ſi non ſufficit? Novam certè Grammaticam cudere neceſſe erit, ſi oppoſitam illi, quam habent natura ſua, tribuere ſignificationem verbis velimus. Sanè, ſi a me quæratur, bona Theologorum, qui vocabulum hocce in Scholis jam familiare fecerunt, venia dicam, quod ſentio: nimirum congruentiùs loqui, ſtrictiùſque Molinianos, qui Gratiam ſufficientem illam appellant, cui nihil omnino aliud deſideratur. Nihilo tamen minùs, quia in Scholas jam invectum eſt vocabulum illud *Sufficientis* ad Gratiam meræ poſſibilitatis denotandam, loquendum eſt cum multis, & ſentiendum cum paucis, ut Vulgus loquitur. Oſtendam tamen, non ita hanc eſſe ineptam locutionem, ſed Gratiam hoc pacto dici poſſe *Sufficientem*; quia nimirum ad poſſibilitatem agendi, quam tribuit, nil aliud deſideratur. Gratia enim, de qua hic agitur, dicitur Sufficiens non ſimpliciter, & abſolutè, ſed in linea poſſibilitatis, ſeu potentiæ, actus primi. Ut autem ea in linea ſufficiens aptè dicatur, ſatis eſt, ſi nihil

aliud requiratur ad poſſibilitatem, ſeu ad potentiam in actu primo. Quod quidem demonſtrari poteſt Exemplo. Occulum bene valentem, dicimus Potentiam ſufficientem ad videndum, quanquam ut actualiter videat, plura deſiderentur: ſed quia hæc non deſiderantur, ut detur poteſtas ad viſionem, ſed tantùm, ut poteſtas hæc exeat in actum; idcirco ſufficiens poteſtas appellatur, cui nihil aliud deſiderari poteſt: ita de Gratia ſufficiente, proportione ſervata, pronunciandum. Hæc enim taliter Potentiam expedit in ratione Potentiæ, & in actu primo, uti loquuntur Scholaſtici, ut potens omnino fiat ad operandum, nec ad hoc alia indigeat Gratia; tametſi indigeat, ut in ipſum operationis actum erumpat.

Exemplum alterum manifeſtum habemus in Charactere Sacerdotali, qui procul dubio aptè, concinèque dicitur Potentia Sufficiens ad Conſecrationem Corporis Chriſti. Porro, ut hæc Potentia exeat in actum ſecundum Conſecrationis, multa deſiderantur; debita ſcilicet materia, forma, & intentio: ſed quoniam hæc non ad dandam Potentiam inſerviunt; ſed ut Potentia in actum ſecundum exeat operationis, ideo ſufficiens poteſtas ad conſecrandum Sacerdotalis Character appellatur. Quid ni igitur etiam Gratia, quæ datur Homini, dicetur Sufficiens, licet altera deſideretur, ut actum exerat operationis?

Unum eſt, quod ſine ſtomacho audiri nequit: quod nimirum Janſeniani deblaterant. Ajunt Iſti, Gratiam Sufficientem eſſe Monſtrum quoddam Gratiæ; cùm ab Orbe condito uſque modò nil boni ab ea factum ſit. Dein inquiunt: Si hæc Gratia conferat ſolùm poſſibilitatem ad operandum, datur ergo, ut nos magis peccatores efficiat: meliùs enim foret, nos eſſe deſtitutos hac Gratia, cùm tunc non evaderemus Rei apud Deum: nam datur hæc Gratia, nec tamen nos agimus: unde erat Quidam, qui in ſuis precibus dicebat, ſeu veriùs blaſphemabat: *a Gratia Sufficiente libera nos Domine*. At hæc omnia proferuntur ab iis, qui neſciunt naturam Gratiæ Sufficientis. Quod enim dicitur, Gratiam hanc, cùm merè Sufficiens ſit, nil prorſus operari, intelligendum eſt comparatè ad Opera perfecta: nam comparatè ad Opera imperfecta, & initialia non eſt merè ſufficiens, ſed etiam motiva.

Quod verò ad Eum pertinet, qui orans dicebat: *a Gratia Sufficiente libera nos Domine:* ſcire juvat, ſub Pontificatu Innocentii XII. inter alias Propoſitiones a Tribunali Sacræ Congregationis damnatas, hanc quoque & quidem meritò fuiſſe proſcriptam.

Actualis Divinæ Gratiæ Diviſionibus explicatis ac bono in lumine

ne poſitis, illud primum in Controverſiam vocatur de Gratia Sufficiente: num videlicet omnibus, & ſingulis Hominibus hanc Gratiam Deus largiatur. Quæſtio hæc magis recentes Theologos anxios habet, quàm veteres Magiſtros habuerit: quamobrem ab ejus Tractatione abſtinere nequaquam poſſumus.

De tribus itaque Hominum generibus Controverſia movetur: Primò, de Pueris ante Rationis uſum ſine Baptiſmate ſublatis: ſecundò, de Infidelibus: tertiò de Induratis, & obcæcatis Hominibus Chriſtianis. Hodierna luce de primis, de cæteris in ſequentibus diſſeramus.

Duæ itaque Puerorum diſtinctæ ſunt ſpecies. Sunt Alii, qui poſtquam ex matris utero prodierunt, ex hac vita decedunt: Alii, qui moriuntur priuſquam naſcantur. Infideles itidem duplicis generis inveniuntur. Alii, qui Fidem aliquando ſuſcepere, vel ſaltem de Fide aliquid audiere: Alii verò, qui nullam de Fide cognitionem habuerunt; cùm nunquam illis prædicatum fuerit Chriſti Evangelium. Indurati, & obcæcati & ipſi duplici in ordine reponuntur. Alii, qui, tametſi indurati ſint, atque obcæcati, ad obcæcationis & indurationis terminum, ſeu conſummationem nondum pervenerunt: Alii vero, quorum obcæcatio abſoluta eſt, atque perfecta. Qua poſita diſtributione, quærendum modò, an Pueri ſine Baptiſmate decedentes Gratia ſufficienti donati ſint. In qua agitanda Controverſia vos monitos volo, nomine Gratiarum Sufficientium hìc non eſſe intelligendas Gratias actuales illas, quibus Intellectus illuſtratur, excitaturque Voluntas Hominis: certum eſt enim, ante uſum rationis Pueros hujuſcemodi Gratiarum eſſe omnino incapaces: proindeque id quæri a Theologis ſolet; an Pueri illi omnes non ſuſcepto Baptiſmate morientes proximam ſemper poteſtatem habuerint ſuſcipiendi Baptiſma; an verò deſtituti ſint, non ſolùm defectu cauſſarum ſecundarum, ſed etiam ratione Divinæ Voluntatis, quæ noluit, ut iis Baptiſma conferretur.

Concludo itaque, Pueros hos omnes non habere Gratiam ſufficientem; non habere proximam ad ſuſceptionem Baptiſmatis poteſtatem; ſed hanc plerumque ſtare penes Deum, qui non vult, ut hi Pueri baptizentur. In hac propugnanda Sententia D. Auguſtinus ſemper mihi Author, & Princeps eſt habitus. Is enim *Lib. de Dono perſev. cap.* 12. illam difficultatem expendens; quare, & quomodo tam multi Pueri ad Baptiſma pervenire non poſſint? Reſpondet D. Doctor: *Plerumque enim feſtinantibus Parentibus, & paratis Miniſtris, ut Baptiſma Parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paululùm in hac vita non tenuit, ut daretur.* Si ergo aliquando contingit, ut Parentes prom-

pti

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

pti ſint, & Miniſtri parati ad conferendum Baptiſma, nec tamen confertur, concludendum eſt, non habere Pueros Gratiam Sufficientem, nec poteſtatem proximam ad ſuſcipiendum Baptiſma; ſed hanc ſtare penes Deum. Docet id Auguſtinus *Lib. 6. contra Julianum cap.* 14. Cum enim reponerent Pelagiani, idcirco Parvulos non pervenire ad Baptiſma, quia voluit Deus ea privatione caſtigare peccata Parentum ſuorum: Repoſuit contra Auguſtinus, in medium afferens nonnullorum Exempla, qui ex piiſſimis Parentibus orti ſunt; aliorumque, qui fuere ex ſceleratis hominibus nati; & tamen contigit, ut ex piiſſimis parentibus Orti ſine Baptiſmate decederent; nati verò ex ſceleratis hominibus baptizarentur. Auguſtini verba decretoria ſunt loco laudato: *Aliquando adoptat in filium, quem format in utero immundiſſimæ fœminæ; & aliquando non vult eſſe ſuum filium, quem format in utero ſuæ filiæ.*

Hoc idem, quod docet Auguſtinus, docuit etiam Diſcipulus ejus S. Proſper in Carmine de Ingratis; ubi conferens eam Puerorum diſtinctionem, hæc habet:

Nec meritis iſtud poteris aptare Parentum,
Ceu pia profuerit redimendis cura, bonorum;
Abſtuleritque aliis aliena ignavia vitam:
Cùm videas multos ſanctis Genitoribus ortos
Nullo ſalvari ſtudio potuiſſe ſuorum:
Expoſitiſque Aliis ob turpia crimina Matrum
Miſſam Externorum curam, quæ ſtercore raptos
Per fontem vitæ cæleſti traderet Aulæ.

Cùm viderent igitur Pelagiani, Pueros impuriſſimarum fœminarum quandoque baptizari, filios e contra ſanctiſſimarum Matrum ſine Baptiſmate decedere, ideo hoc contingere ajebant, quia Deus eorum Puerorum futura peccata voluit caſtigare, quæ prævidit operaturos, ſi ad adultam ætatem perveniſſent. Hoc tamen impugnat Auguſtinus tamquam ſtolidiſſimum figmentum: unde ait, Pelagianos futura fingere, quæ futura non ſunt: nam ſi ad ætatem adultam venturi non ſunt, quomodo erunt perpetraturi peccata?

Veritatem illam, quam Auguſtinus hiſce Oraculis confirmavit, placet nunc alio ex Capite comprobare, & oſtendere, Pueros illos aliquando privari Baptiſmate, ob defectum cauſſarum ſecundarum, quæ a Deo ipſo impediuntur, ne effectum producant. Cùm Baptiſma itaque conferri nequeat, niſi Puero jam genito, quomodo habebit poteſtatem ſuſcipiendi Baptiſma Puer ille, qui, ut

ut ſæpe ſolet, in utero moritur? Erit qui dicat, etiam hoſce Pueros habere hanc poteſtatem, quia ſomniatum a multis eſt, conferri poſſe Baptiſma Puero in utero exiſtenti Inſtrumentis quibuſdam adhibitis, nempe medio criſtiligio.

Quàm ſtolidum, & ineptum hoc ſit adinventum, pateſcit primò ex eo, quod, eſto extremis graviditatis menſibus poſſet ita uterus dilatari, ut per fiſtulam aqua ſtillari poſſet; tamen Puer ille ita ſecundinis, & membranis eſt involutus, ut aqua ablui, nequaquàm poſſibile foret. Nam membranæ illæ, & ſecundinæ quamvis ſubtiliſſimæ eſſent; reſiſtunt nihilominus aquæ, quæ fortè poſſet infundi. Nos ſtolidam hanc Opinationem penitus, penituſque rejicimus, & inanibus Poetarum figmentis adnumeramus. Sed etſi daremus pro maxima liberalitate, extremis menſibus graviditatis poſſe per fiſtulam aquam ſtillari, quia iis fortaſſis temporibus uterus aperiri tantillùm poteſt; primis certè menſibus via nulla immitti aquam, fas eſſet: eam enim uteri apertionem ipſi etiam Adverſarii in extremis dumtaxat menſibus ponunt. Puer igitur ille primis illis ſaltem menſibus poteſtatem certè non habet Baptiſmum ſuſcipiendi; cùm eo tempore ſtillationem fieri, impoſſibile prorſus ſit.

Sed quid ad hoc opponere ſolent Adverſarii, audire ne pigeat. Clamant Illi, habere Deum ſinceram Voluntatem Salutis Omnium, atque ita Puerorum quoque in Matrum uteris, ſive extra uteros abſque Baptiſmate morientium: habet itaque Deus Voluntatem, ſaltem antecedentem, ut baptizentur: Voluntas enim hæc antecedens ſalvari nequit, niſi per hoc, quòd media ad Salutem apprimè neceſſaria, cujuſmodi Baptiſmus eſt, præparentur. En quod primò deblaterant, ut eam nobis Sententiam incruſtent.

Hoc tamen duplici ex Capite abſurdum probo. Non deſunt, & quidem maximæ notæ Theologi, & quamplures etiam ex Schola Moliniana, qui ſuſtinent, Principium illud locum non habere in his Pueris. Ita Vaſqueſius *in Comment. ad primam* 2. *D. Thomæ ad artic.* 3. Verum cùm noſtra Sententia ſit, ut aliàs contra Janſenium propugnavimus, Deum velle omnes Homines, nullo dempto, ſalvos fieri, ac per conſequens etiam Parvulos illos, qui ſine Baptiſmate ex hac vita decedunt, cum Homines & ipſi ſint, propterea dicimus, hoc Deum velle per Voluntatem antecedentem, nolle autem per Voluntatem conſequentem, quæ ſemper cum effectu conjuncta eſt. Quod porro cauſſæ ſecundæ impediantur, ne Puer, quem Voluntate conſequente non vult ad Gloriam pervenire, Baptiſma ſuſcipiat, ſed ſine Baptiſmo moriatur, hoc præſtat Deus ipſe: ſi enim id non præſtaret, Puer certè baptizaretur,

tur, & ſic ſalvaretur contra Voluntatis ſuæ conſequentis Decretum: quod aſſerere abſurdiſſimum eſt. Vult itaque Deus, tanquam Omnium Redemptor, cunctorum etiam Salutem Voluntate antecedente; non ambigimus: ſed vult etiam, ut Sapientiſſimus Omnium Proviſor, Voluntate conſequente permittere, ut aliqui a ſuo Fine deficiant. Quare hoc? Rationes plures ſubminiſtrat Doctor Angelicus 1. *part. quæſt.* 23. *artic.* 3. 4. *&* 5. & alibi, a nobis aliàs relatas, dum de hacce materia adverſus Janſenium ad quintam ejus Propoſitionem ageremus: ubi & oſtendimus, quo pacto duæ ille contrariæ Voluntates in Deo eſſe poſſint unam nimirum, antecedentem, qua ſincerè velit Omnium ſalutem; alteram, conſequentem, qua permittat, aliquos Salutem minimè conſequi. Ne tamen jejunos vos mittam, audite Apoſtolum *ad Rom. cap.* 9. *Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias Gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in Gloriam*. Ex quibus Apoſtoli verbis ſatis liquet, omnes illos, quos antecedenter prædeſtinavit, conſequenter nolle prædeſtinatos, ut ſpecialis erga Electos Benevolentiæ argumentum ſit, quòd ii non adipiſcantur Regnum, qui antecedenter erant (ſed inefficaciter) a Deo ad Regnum ipſum prædeſtinati.

Nec quicquam obeſt, quod ſubdebatur;. Voluntatem ſcilicet illam antecedentem intelligi, & explicari non poſſe, niſi ſaltem per mediorum præparationem; quæ tamen præparatio pro Pueris illis deſignari non poſſet, ſi ſemel poteſtate carerent ſuſcipiendi Baptiſmum. Dicimus enim, & pro illis præparata fuiſſe media in communi, & ipſum etiam Baptiſma: hoc enim ab Chriſto Domino pro omnibus omnino Hominibus fuit inſtitutum: *Euntes ergo*, Apoſtolis inquiebat, *docete omnes Gentes, baptizantes eos:* ſed aliud eſt præparare, aliud applicare. Si ſecundas cauſſas Deus impediret in caſu noſtro, nedum Baptiſma præparatum eſſet, ſed reapſe applicaretur Infanti. Quare, dum dicimus, Infantem in Matris utero morientem poteſtatem non habere ſuſcipiendi Baptiſma, non ita intelligimus, ut nulla facta ſuppoſitione, ſeu quatenus abſolutè Homo eſt, ea careat poteſtate, quod pertinet ad Voluntatem antecedentem; ſed ſuppoſito, quod in Matris utero ſit moriturus: quæ conditio ad Voluntatem attinet Dei conſequentem. Quare eo ipſo, quo Deus Puerum illum in utero Matris moriturum Voluntate conſequente decernit, impoſſibilem illi reddit Baptiſmatis ſuſceptionem; adeoque Puero illi nullum Sufficientis Divinæ Gratiæ Auxilium confertur: & nihilominus ſalvatur in Deo Voluntas illa antecedens veriſſima, ſinceriſſima, qua om-

omnium Hominum Salutem Deum abſolutè velle, catholicè aſſerimus.

De prima itaque ſuſceptæ hujus Diſputationis parte ſatis diximus : ad binas alias pertractandas accedendum modò ; in quibus num Infidelibus, & obduratis Hominibus Sufficientes Gratias Deus largiatur, differendum eſt. Hoc in ſequenti, Deo auxiliante, perficiemus.

Digitized by Google

PRÆLECTIO IV.

Tam Infideles, qui nihil de Evangelio audiere; quàm induratos, & obcæcatos, dum eorum obduratio atque obcæcatio conſummatæ ſunt, Sufficientibus Gratiis privatos eſſe, demonſtratur.

Tres eſſe Infidelitatis ſpecies, commune fuit ſemper Scholarum Effatum; ſeu tria eſſe Hominum genera, qui Fide deſtituti dicuntur. Alii, qui vulgò Hæretici; Alii Hebræi, Alii Gentiles & Ethnici appellantur. Hæretici ii ſunt, qui Fidem aliquando ſuſceperunt, & in Baptiſmate profeſſi ſunt, ſed poſtmodum reliquerunt. Hebræi ſunt illi, qui Fidem in umbra ſuſcepere, ſeu ſaltem in Figuris veteris Teſtamenti. Gentiles tandem, & Ethnici ii dicuntur, qui Fidem nullo modo ſuſceperunt; imò nec de Fide quidquam audiere; quibus ſcilicet nunquam prædicatum fuit Evangelium. Dum porro a nobis hìc diſputandum eſt, utrum Infidelibus Sufficientes Gratiæ a Deo concedantur, nec ne, non de Hæreticis, nec de Judæis, ſed de Gentilibus ſermo venit.

Mirum, quantum circa hos digladientur inter ſeſe recentioris Scholæ Theologi. Ego tamen, qui Auguſtini ſententiam ſemper amplexus fui, dico, Infidelibus, quibus numquam prædicatum fuit Evangelium, gratias ſufficientes a Deo denegari. Quod ut evincam, utar in primis ineluctabili principio in Scholis omnibus conceſſo. Supponuntur privati ſufficientibus Gratiis ad ſalutem & fidem obtinendam, qui excuſabiles ſunt, quique pro peccato Infidelitatis excuſantur; Porro Infideles ſua excuſantur infidelitate, neque ex ea cauſa damnantur; id patet ex Evangelio Joannis 15. ubi exprobrans Deus Judæis eorum pervicaciam, hæc habet: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*. Si ergo Chriſto Judice hi excuſationem habent, ad quos Chriſtus non venit, nec venit per miniſtros; cum Infideles iſti tales ſint, nam nec Chriſtus venit ad eos, neque per miniſtros venit, ergo erunt hi Infideles pro ſua hac infidelitate excuſandi; & ſi puniantur, non propter infidelitatem puniuntur; ſed propter peccata contra naturæ legem patrata.

Patet hoc etiam ex altero D. Pauli teſtimonio; ex quo liquet, eos eſſe a ſua infidelitate excuſandos, qui credere non potuerunt.

Quo-

Digitized by Google

Quomodo credent ei, ait Apoſtolus *ad Rom.* 10., *ſi non audierunt?*. ſi ergo Infideles hi Evangelium numquam audierunt, cur non erunt pro ſua Infidelitate excuſandi? Hoc argumento preſſi nonnulli Theologi recentiores reponunt, Infideles iſtos deſtitutos quidem eſſe auxiliis ſufficientibus proximis; habere tamen auxilia remota. Unde habent hoc? ex D. Thomæ doctrina; dicit hic *ad caput* 10. *epiſt. ad Rom. lect.* 3. quod ſi eſſet Infidelis in ſylvis, qui nil quicquam de Evangelio audierit, ſi tamen hic ductum rationis naturalis ſequeretur in obſervantia legis naturalis, Deus mitteret Angelum potius, aut ei delegaret Prædicatorem aliquem extraordinarium, quemadmodum miſit Paulum ad Macedones, Petrum ad Cornelium, ut ipſos erudiret in fide. En quid hìc primo loco reponunt. Admitto ego Doctoris Angelici authoritatem; at nego conſecutionem, quam ex eo D. Thomæ loco inferunt. Quamquàm enim eo loci S. Doctor dicat, quod ſi eſſet Infidelis in ſylvis, qui de Evangelio nihil audiſſet, mitteret ei Deus Angelum potius, aut Prædicatorem extraordinarium, ut eum in fide erudiret, dummodo ductum naturalis rationis ſequeretur; eo tamen in loco ſubjungit: *quod autem eſt facere, quod in ſe eſt in obſervantia legis naturæ, non eſt ab hominibus ex ſe, ſed a Deo*. Si porrò ut ille faciat, quod in ſe eſt ad obſervandam legem naturæ indiget auxilio Dei, ut moveatur, falſum eſt ergo, habere auxilia ſufficientia remota, quibus ſi bene utatur, ſalutem æternam poſſit obtinere.

His addiderim ego; Obſervantia legis naturæ non eſt niſi obſervantia primi præcepti, quod eſt Dilectio Dei, ut authoris naturæ; ſicuti primum Legis Evangelicæ præceptum eſt amor Dei, ut authoris gratiæ; porro ut primum illum præceptum adimpleatur, effectus eſt gratiæ non tam ſufficientis, verùm etiam efficacis; nam in ſtatu naturæ lapſæ cum ſupponatur vitiata natura propter peccatum averſa a Deo non tam ut authore naturæ, quàm gratiæ, nequit quis amare Deum, niſi gratia non tam ſufficienti quàm efficaci adjutus ſit. Quomodo ergo damnabuntur? dicent fortaſſis aliqui. Triplici de cauſa. Primò propter originale peccatum, quod certè in dubium verti nequaquam poteſt, cum ab omnibus hominibus contrahatur. Secundò propter ingentia ſcelera, quibus ii immunes non ſunt, qui in tenebris Infidelitatis immerſi jacent. Tertiò propter non obſervatam legem naturæ, cujus obſervantia ex neceſſitate illis incumbit. Dicent tamen. Quomodo hoc fieri poteſt, ſi deſtituti ſunt etiam gratiis ſufficientibus ad iſtiuſmodi obſervantiam. Quibus Reſpondeo ego, cur ſunt iis auxiliis deſtituti? certè niſi quod ſuis ipſi peccatis id demeruerunt. Qui enim incidit in peccatum, hoc facit non ex defectu bonæ volun-

tatis Dei, ſed ratione pravæ voluntatis, & malitiæ ſuæ. Doctrina eſt D. Th. 2. 2. *qu.* 2. *art.* 5. ubi quærit, an ad credendum aliquid explicitè homo tenetur? Et primo loco ſibi objicit: *Nullus tenetur ad id, quod non eſt in ejus poteſtate: ſed credere aliquid explicite, non eſt in Hominis poteſtate: Dicitur enim Rom.* 10. *Quomodo credent in illum, quem non audierunt? Quomodo audient ſine Prædicante?* Cui Difficultati tali pacto reſpondet: *Dicendum, quod ſi in poteſtate Hominis eſſe dicatur aliquid excluſo Auxilio Gratiæ, ſic ad multa tenetur Homo, ad quæ non poteſt ſine Gratia præparante, ſicut ad diligendum Deum & Proximum: & ſimiliter ad credendum Articulos Fidei. Sed tamen non poteſt cum Auxilio Gratiæ, quod quidem auxilium quibuſcumque divinitus datur, miſericorditer datur: quibus autem non datur, ex juſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati, & ſaltem Originalis peccati, ut Auguſtinus dicit in Lib. de Correp. & Gratia.*

Audiamus quid Adverſarii nobis opponant. Afferunt illud Joan. cap. 1. ubi de Verbo Divino loquens hæc habet: *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Certe ſi quid ex eo loco colligi poſſet, colligerentur non tam Gratiæ ſufficientes, verùm etiam efficaces, quibus homo non ſolùm poſſet illuminari, ſed re ipſa illuminaretur. Unde locus ille Joannis intelligendus eſt de illuminatione actuali, *illuminat*, non de poſſibili. Cui addiderim ego, locum illum eſſe intelligendum hoc pacto; quod Deus illuminat omnem hominem venientem in mundum in ordine naturali, hoc eſt dando lumen rationis naturalis, quo Deum proſequi poſſit. D. Auguſtinus tamen hoc pacto illum Joannis locum exponit, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; non quia omnes illuminentur a Deo, ſed quia nemo eſt, qui illuminatur, qui non illuminetur a Deo; & hoc exponit apertiſſimo exemplo Magiſtri, qui ſolus in Urbe literas doceat; dicitur, hic omnibus literas edocere; non quaſi quod omnes, qui in Urbe ſunt, ab eo literas diſcant; ſed quia nullus ex iis eſt, qui literas diſcunt, qui ab eo non diſcant.

Aliud dein afferunt argumentum ab Apoſtolo deſumptum ad Rom. cap. 1. *Inviſibilem enim ipſius, a creatura Mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur . . . . . . ita ut ſint inexcuſabiles*; ex quo colligunt Infidelibus ſemper auxilia ſufficientia a Deo concedi.

Quod autem dicitur, lucere omnibus hominibus divinum lumen per ea, quæ facta ſunt, non probat habere omnes homines Gratias a Deo ſufficientes, ſed tantum ut ea cognoſcant, quæ ad Deum ſpectant ut Authorem naturæ; Illud poſtea, quod ſubjungit Apoſtolus, inexcuſabiles eſſe, intelligendum eſt, ſi Deum non

nove-

Digitized by Google

noverint ut Authorem naturæ. Eo enim in loco agit Apoſtolus contra Philoſophos, qui cum dona multa naturalia a Deo acceperint, tamen eum non cognoverunt neque ut naturæ Authorem.

Sequitur nunc de obcæcatis & induratis differendum; quod, ut novam dicendi materiam præbet, ita diſtincta ac peculiari Exercitatione in ſequentibus pertractabitur.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO V.

Peccatores induratos & obcæcatos Gratiis ſufficientibus perſæpe privari, oſtenditur.

SAtis & abunde probavimus in anteceſſum, pueros ſine baptiſmate functos, & Infideles, qui nil quicquam de Fide audiverint, Gratiis ſufficientibus eſſe deſtitutos, quos Infideles *negativos* Schola vocitat; modò inquirendum eſt nobis, an Peccatores indurati, & obcæcati Gratiis ſufficientibus deſtituantur. Qua in re multos Adverſarios experiri contingit. Quinimo ex his eo laxitatis devenere quamplures, ut non modo contendant, obduratos hos homines Gratiis ſufficientibus donatos fuiſſe, ſed etiam non peccaturos aperto ore confirment, ſi iis eſſent deſtituti. Sententiam hanc, vel ut melius dicam, errorem ſuſcitarunt in Galliis Moliniani anno 1641, qui in publicis Concluſionibus propoſitionem hanc protulere: peccatum eſt violatio legis divinæ: ſi violatio legis divinæ in eo conſiſtat, quod quis vel Deum non noverit, vel quod de Deo actu non cogitaverit, eſt peccatum materiale, minimè verò pæna dignum; quem errorem ſequutis inde temporibus die 24 Auguſti anni ſubſequentis Alexander VIII. damnavit.

Mea tamen hac in re ſententia eſt, induratos, & obcæcatos Gratiis ſufficientibus perſæpe privari; nihilo tamen minus eo etiam in ſtatu peccare poſſe.

Quod pertinet ad primam hujuſce diſputationis partem, author & Princeps mihi ſemper habitus eſt Auſtuginus *lib. de correptione & gratia cap.* 12. ubi quæſtionem hanc agitaſſe videtur contra Pelagianos. Agens ibi Auguſtinus de Protoparentibus noſtris, qui in Paradiſo peccavere, duo auxiliorum genera diſtinguit, quorum alterum auxilium, ſine quo non fit opus, appellat; alterum auxilium, quo fit opus; quæ duo genera Viri de Schola in ſufficiens, & efficax diſtinguere ſoliti ſunt; qua poſita diſtinctione concludit S. Doctor, Adamum & Evam, dum Mandatum Dei tranſgreſſi ſunt, non fuiſſe deſtitutos auxilio ſine quo; ſubjungit tamen, quod nunc, qui eo deſtituti dicuntur, deſtituti ſunt propter originale peccatum, ex quibus Auguſtini verbis liquet, induratos & obcæcatos aliquando gratiis ſufficientibus, nomine auxilii ſine quo eo in loco ab Auguſtino expreſſis, privari.

Hoc idem docuiſſe videtur in *Sermone de Verbis D.* ubi ait:

pecca-

peccator cum vult non poteſt, quia quando potuit non voluit: ideo per malum velle perdidit bonum poſſe. Si igitur Gratia ſufficiens illa eſt, per quam dicitur, habere homo bene agendi poteſtatem, ſequitur ex Auguſtini verbis concludendum, perdere aliquando per malam voluntatem hanc bene agendi poteſtatem;

Hoc etiam Auguſtinus *de nat. & Grat. cap. 67.* pauciſſimis immutatis verbis docet: *Illud eſt peccati pœna juſtiſſima, ut qui, rectum facere eum poſſet, noluit, amittat poſſe cum velit*.

Tandem Auguſtini doctrinam mutuatus eſt S. Iſidorus *lib. 2. de ſummo bono cap. 15. nonnulli ita deſpiciuntur a Deo, ut deplorare mala ſua non poſſint, etiamſi vellint*. Hoc ipſum tandem D. Gregorius 11. *Moral. cap.* 5. aſſeruit.

At miſſis Sanctorum Patrum teſtimoniis, rem pertractemus ſpeculatione ipſius Gratiæ ſufficientis. Gratiæ itaque ſufficientes nil aliud ſunt, quàm momentaneæ quædam intellectus illuſtrationes, & voluntatis excitationes, quibus moventur homines, & excitantur ad opera bona exercenda. Quæro itaque a Viris Theologis, an peccatoribus induratis, & obcæcatis præſtò ſemper ſint bonæ illæ intellectus illuſtrationes, piæ illæ excitationes voluntatis? certè liquet experimento, eas non ſemper illis preſtò eſſe; nam tantum abeſt ut peccatores indurati de Deo cogitent, ut ſua potius perverſitate delectentur; unde concludendum eſt nobis, obcæcatos & induratos aliquando gratiis ſufficientibus privatos eſſe.

Sunt, qui ut ſeſe hac difficultate poſſint expedire, inquiunt, peccatores licet induratos habere quidem eas intellectus illuſtrationes, & pias voluntatis excitationes, ſed ad eas minimè attendere.

At reſponſum hoc tamquam inſulſum, ac futile impugnat Cardinalis Belarminus *lib. 2. de lib. arb. cap. 6. & ſeq.* nam cum eæ ſint actus quidam indeliberati, qui a Deo immittuntur in cor hominum, quomodo fieri poteſt, ut ad eas non attendant? Sed etſi daremus, has intellectus illuſtrationes, & voluntatis excitationes habere, nequaquam tamen ad ipſas attendere; eſſent perinde in homine, ac ſi non eſſent.

At rem paulo intimius conſideremus: iccircò contendunt hi liberales Gratiarum ſufficientium largitores, non eſſe illos Gratiis ſufficientibus deſtitutos, quia ſi iis deſtituti eſſent, peccatorum rei omnino non eſſent, quæ in eo fatalis deſertionis ſtatu committerent; Propterea quod, ut illi quidem argumentantur, nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt: Gratiis autem ſufficientibus deſtituti peccata vitare non poſſent; cum Gratiæ illæ ipſæ vitandi peccati poſſibilitatem largiri dicantur.

Iccircò ut largos illos Gratiarum largitores è ſuis ipſorum præſidiis

ſidiis depellam, factturum me operæ prætium exiſtimavi, ſi duo hæc ex oppoſito demonſtravero.

Primo: Peccare re ipſa poſſe, peccatumque re vera ad pœnam æternam imputari, tametſi nulla mentis illuſtratio in anteceſſum affulgeat, nullaque ſuperna excitatione pulſetur humana voluntas.

Secundo: A culpa non vacare, qui præcepti implendi impotentia laborat, ſi in eam ſemetipſum ſponte conjecerit: uti profecto in eam ſe ſponte conjecit peccator ille, qui in pœnam præcedentium delictorum Gratiis ſufficientibus, juſto Dei judicio, deſtituitur.

Quod primum attinet, nempe peccari re ipſa poſſe, peccatumque ad pœnam æternam imputari, tametſi nulla mentis illuſtratio præfulgeat, nulla piæ voluntatis excitatio prævolet, manifeſtum in primis arbitror, tum ex damnatione erroris Peccati Philoſophici lata ab Alexandro VIII. die 24 Auguſti Anni *1690*, tum ex damnatione propoſitionis Jeſuitæ Rauvii lata a Clero Gallicano anno *1641*, & renovata Anno 1700; Tum demum ex damnatione propoſitionis 25. lata ab Accademia Lovanienſi anno *1657*.

Accedunt his momenta rationum, quæ ſuffugium quodcumque Theologis contrarium ſentientibus occludunt; & commenta quælibet ab imo ſuffodiunt.

Ideo ad verum, propriumque peccatum admittendum neceſſaria fingi poſſet prævia illa mentis illuſtratio, ut ſcilicet homo aliquantulam ſaltem haberet notitiam pravitatis hujuſmodi actionis: At peccari omnino poteſt, ſaltem contra legem naturalem, etſi nulla præluceat notitia legis naturalis, maximè ſi eam peccator ipſe notitiam extinxerit, aſſuefactione peccandi; liquet ergo, neceſſarias non eſſe eas intellectus illuſtrationes, & voluntatis excitationes ad committendum peccatum; proindeque induratos & obcæcatos verè, proprièque peccare, etſi deſtituti ſint Gratiis illis ſufficientibus.

Ad hæc etiam: Gratiæ illæ ſufficientes, quas recentiores iſti Theologi neceſſariò prælucere debere dicunt in mente, & voluntate peccantis, ut peccatum verè illi imputetur ad pœnam æternam, cum actuales dumtaxat ſint ad modum vialis dumtaxat illuſtrationis intellectus, & excitationis voluntatis; imo cum gratiæ iſtæ actus indeliberati intellectus, & voluntatis dicantur eſſe a Deo animabus immiſſi, certè ſi ejuſmodi eſſent illæ, ut peccatum imputari neceſſariò poſſit, conſequens eſſet, neminem umquam peccati reum eſſe poſſe, quin in anteceſſum actus hoſce exercuerit; & ſi ſic eſt; vel a peccatis excuſandi erunt homines ſceleſtiſſimi perditiſſimique; vel dicendum numquam illos peccare,

re, quin indeliberatos illos rectæ cognitionis, & boni affectus actus exercuerint.

Dictis robur addet obſervatio, meo quidem judicio, longe graviſſima: quod nempe ſyſtema illud, quo ponitur Gratias ſufficientes peccatoribus neceſſariò concedendas eſſe, ut qui peccant peccatorum rei eſſe cenſeantur; omnem divinæ Gratiæ ideam Sacris in Literis nobis datam omnino deſtruere. Gratiam, ut peccatum vitemus neceſſariam prædicant Sacræ Literæ; iſti Gratiam ſuam ſufficientem neceſſariam dictitant, ut peccemus. Legem ſine Gratia occidere docet Apoſtolus, accedente Gratia vitam dare; iſti vice verſa, legem, ſine Gratia ſufficiente, occidere poſſe neminem dicunt; accedente tamen Gratia ſufficiente, occidendi vim obtineri? Quid plura? Chriſtum pro impiis mortuum ſcribit Apoſtolus, ut a peccatis liberarentur: Iſti Chriſtum pro impiis mortuum ſtatuunt, ut Gratiam illis promereretur, ſine qua peccare non poſſent, & qua accepta infallibiliter peccant.

An non iſtud eſt Gratiam ſufficientem jocum nobis, ac ludum facere?

Verùm inquiunt illi ad tanti abſurdi excuſationem, qui Gratia ſufficienti deſtituitur, implendi præcepti, vitandique peccati impotentia laborat; fidei porro caput eſt, neminem peccare in eo, quod vitare non poteſt: qui ergo Gratia ſufficienti ſunt deſtituti peccare non poſſunt; aut ſi quæ faciunt, quæ ſunt de genere peccatorum, non illis imputantur ad culpam & damnationem æternam.

Argutè profecto & eruditè: gratulor ingenii felicitatem. At ſi quæ peccatoribus illis demum accidit vitandi peccati impotentia, illorum ipſorum vitio, pravaque voluntate contracta eſt; ſi quæ illis ſubtrahuntur Gratiæ ſufficientes, nonniſi illorum vitio ſubtrhauntur: an non inde perperam excuſationem obtendent?

Tempus eſt, ut quotquot in ſui Syſtematis probationem momenta congerunt, diſtinctè refellamus.

PRÆLECTIO VI.

Momenta contraria diluuntur.

De induratis & obcæcatis dum diximus, multis probavimus argumentis, eos Gratiis ſufficientibus eſſe deſtitutos, ut in eo fatali deſertionis ſtatu, nec pænitere, nec divina adimplere mandata poſſint. Reliquum eſt in præſentia, ut oppoſitæ partis Momenta hinc inde congeſta diluamus. Hæc ad quinque capita revocantur.

Primum, quod difficillimum eſt, ex eo deſumunt, quod ab Eccleſia definitum ſit, Deum impoſſibilia non præcipere; at, inquiunt, ſi indurati & obcæcati Gratiis ſufficientibus eſſent deſtituti, Deus impoſſibilia præciperet, cum tunc non haberent poſſibilitatem agendi; Nequit ergo dari ſtatus, in quo Gratiis ſufficientibus deſtituantur. Ut hoc Momentum, quod illis capitale ſemper eſt viſum, diluere poſſimus, quærendum eſt nobis, de quibus Eccleſia loquatur, cum definit, Deum non præcipere impoſſibilia, num ſcilicet de quibuſcumque hominibus induratis & obcæcatis loquatur, vel de aliquibus tantùm. Porro ad rem hanc expendendam animum mecum ipſe converti; obſervavi, Eccleſiam de Juſtis tantùm hominibus definiviſſe; nempe mandata Dei non eſſe viris juſtis impoſſibilia; cæterum nil quicquam de induratis, & obcæcatis hominibus ſtatuiſſe.

Patet hoc ex ipſa Tridentini Concilii definitione *Seſſ. 6. cap.* 11. *nemo temeraria illa, & a Patribus ſub anathemate probibita voce uti* (debet); *Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia*. En quid Synodus illa declarat.

Hujuſce rei habemus in damnatione Janſenii luculentiſſimum documentum. Inter enim alias propoſitiones quæ ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatæ fuere, hanc etiam Summi Pontifices condemnarunt: *aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque Gratia, qua poſſibilia fiant*. An autem impoſſibilia, vel poſſibilia ſint induratis, & obcæcatis, hoc non definivit Eccleſia; imo ſi pauliſper conſideremus, & locum Janſenii penſitemus, ex quo ea propoſitio petita fuit, *Lib. 3. de Gratia Salvat. cap.* 13. ubi habetur, docuiſſe Janſenium mandata Dei eſſe impoſſibilia non tam juſtis, ſed etiam induratis & obcæcatis, clarè cognoſcemus, eam partem hominum induratorum inde-

mnem

mnem Eccleſiam reliquiſſe; eam tamen Juſtorum hominum partem ſub anathemate condemnaſſe. Perperam itaque diſputant, dum ex ea damnatione probare ſe poſſe putant, induratos, & obcæcatos Gratiis ſufficientibus non eſſe deſtitutos.

Quibus addiderim ego. Mandata Dei dici poſſunt poſſibilia, & impoſſibilia vel ſecundum ſeſe, vel ſpectatis viribus hominum. Si primo modo ſpectentur non ſunt impoſſibilia, quia Deus non præcipit impoſſibilia, licet fieri poſſint impoſſibilia ſpectatis hominum viribus. Videtis ergo quo pacto nutet duplici ex capite iſtorum opinatio.

Nihiloſecius vim repetunt Adverſarii ex quadam veteri cantilena. Ajunt enim; Fidei dogma eſt, Deum habere voluntatem ſalvandi omnes homines, Chriſtum eſſe pro omnibus mortuum, ergo nulli hominum denegatam eſſe gratiam ſufficientem. En tritam, ſolitamque cantilenam, contrà quam pugnat Tridentinum Concilium; Hoc enim, *Seſſ. 6. cap.* 3. ubi definivit Chriſtum pro omnibus fuiſſe mortuum ſtatim ſubjungit: *Etſi ille pro omnibus mortuus eſt; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt.* En igitur quod nihil ex hoc ad ſui ſyſtematis probationem extendere poſſunt.

Quod verò vulgò jactatur, habere Deum voluntatem ſalvandi omnes homines, probat, Deum ſecundum ſeſe præparare univerſis Gratias, nec per hoc contingit, omnibus re ipſa conferre; nam contingere poteſt, ut cui voluntate antecedente Dei præparatæ erant; ex voluntate dein conſequente propter demeritum præcedentium peccatorum non conferantur.

Tertium eſt, ex quo præſidium petunt gratiarum ſufficientium largitores, authoritas Concilii Senonenſis *decreto fidei* 15. In eo namque Concilio, poſtquam ſacra illa Synodus definivit, Gratiam eſſe omnibus neceſſariam, ſubjungunt Patres hi; *licet ea gratiæ neceſſitas humano non præjudicet arbitrio, quia Gratia Dei ſemper hominibus præſto eſt.*

Si tamen nos penitiùs advertamus, obſervabimus, futilem eſſe, ac nullius momenti authoritatem Concilii Senonenſis, cum iſtud non fuerit, niſi Concilium Provinciale, ad quod ſeptem Epiſcopi Senonenſis Provinciæ convenerunt; nec ipſius acta & decreta fuerunt ab Apoſtolica Sede confirmata. Id planum eſt in Congregationibus coram Clemente VIII. & Paulo V. Pontificibus celebratis; ubi cum Gregorius de Valentia, & Arrubal vim facerent in ſententiarum ſuarum probationem ex hujuſce Concilii authoritate, hæc ab omnibus eliſa fuit, atque rejecta.

Alterum petunt ex Scriptura Sacra momentum, *ego ſto ad oſtium & pulſo*, inquit Deus *Apocalipſis cap.* 43. ex quo probant, nul-

-lum præterire momentum, quo homines Gratiis a Deo conceſſis non fruantur.

Bene eſt. At Deus tamen non dicit eo in loco; *ſto ad oſtium* omni Momento & *pulſo*. Addo etiam, Deum ſtare fortaſſe ſemper ad oſtium, non quidem per gratias interiores, ſed exteriores; cùm nullum momentum ſit, quo vel præceptis, vel legibus, vel ſuppliciis homines non moneat. An autem indurati, & obcæcati Gratiis etiam exterioribus deſtituantur, non diſputamus.

Accedit & aliud, cui maximè fidunt Adverſarii, quod dudum definitum eſt, declaratumque tamquam erroneum; quod aliquis ſit, qui quamdiu vivit in præſenti vita ſalvari non poſſit; ex quo inferunt, homines quamdiu vivunt habere Gratias, quibus ſalutem æternam poſſint obtinere.

At hæc conſecutio falſiſſima eſt; nam illud quod definitum fuit, eſt intelligendum de Gratiis, quas accipere homo poteſt; & iccirco nullus eſt, qui ſalvari nequeat, quia nullus eſt, qui Gratias a Deo accipere non poſſit; Nos autem diſputamus, non an indurati, & obcæcati poſſint recipere Gratias ſufficientes, ſed an re ipſa recipiant; unde ex eo nil in ſui ſyſtematis Gratiam colligere poſſunt Adverſarii.

Reſtat unum expediendum Momentum. Inter induratos & obcæcatos multi ſunt baptizati; hi porro facti ſunt membra Chriſti, ergo Chriſtus aliquorum induratorum & obcæcatorum hominum caput eſt: Porro caput influit in Membra, ergo etiam Chriſtus influit in induratos & obcæcatos, qui ſaltem ſacro baptiſmate initiati ſunt. En alteram vulgatiſſimam cantilenam. Do, ultro citroque concedo, dari aliquos ex induratis & obcæcatis hominibus, qui baptizati ſint, quorum Chriſtus factus ſit caput; ad illud tamen, quod influat, inquio, non ſemper vitali ſpiritu influere; proindeque cum Gratia vitalis quidam ſpiritus ſit, ſequitur concludendum, non ſemper præſto eſſe hominibus induratis. Liquet hoc in corporibus naturalibus; Caput enim non ſemper influit motu vitali in membra corporis phyſici, maximè quando membra mortua ſunt, ac veluti a corpore diſciſſa. Ita cum indurati & obcæcati ſint propter ſcelera veluti diſciſſi a capite Myſtico Chriſti, conſequens eſt, Chriſtum in eos non influere, ſatiùs eſt iis, accepiſſe Gratias, cum uniti erant Capiti Chriſto, quàm quod iis præſto illæ ſint, dum a capite Chriſto diſciſſi ſunt. Hactenus de induratis & obcæcatis. Reliquum eſt ut videamus an ſaltem juſtis, inſtante præcepto, deſint aliquando iſtæ Gratiæ ſufficientes; quod in ſequenti præſtabimus.

PRÆ-

PRÆLECTIO VII.

Quoties hominibus juſtis inſtat obligatio alicujus implendi præcepti, toties iiſdem præſto eſſe Gratiam, demonſtramus.

EGimus in antehabitis contra liberales nimis gratiarum ſufficientium largitores, qui eas omnibus & ſingulis, quacumque occaſione, & ubique, a Deo concedi dicebant. Ad alios nunc, qui vice verſa parci ſunt adeo ac tenaces, ut eas non ſemper juſtis hominibus a Deo concedi ſuſtineant, mentem & animum convertemus.

Janſenius itaque hac proxima ætate in eam ſententiam venerat, dum dixit; *Juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia Dei præcepta: deeſt quoque Gratia, qua poſſibilia fiant*. Iccirco nos hac in re non quæremus, an ſemper Juſtis, quacumque occaſione, & ubicumque ſufficientes Gratiæ concedantur; nam certum eſt, nequidem Juſtis ſemper præſtò eſſe Gratiam; quia cum hæ Gratiæ viales ſint quædam intellectus illuſtrationes, & voluntatis excitationes, certius eſt ſemper, & ubique hujuſmodi illuſtrationes, & excitationes non affulgere; quando ſcilicet Juſti aliis negotiis diſtracti ſunt. Quæremus ſolùm, an hæ Gratiæ denegentur Juſtis hominibus, dum inſtat his obbligatio alicujus adimplendi præcepti.

Nos ergo, ut Veritatem Catholicam tueamur, ſartam tectamque faciamus, ſtatuimus, quoties hominibus juſtis inſtat obbligatio alicujùs implendi præcepti, toties præſto eſſe gratiam. Quod ut aſſeram, movet me maximè Apoſt. 1. ad Corinth. 10. *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis; ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere*. Ex quibus Apoſtoli verbis patet, hominibus Juſtis ſemper præſtò eſſe Gratias, cum inſtet obbligatio alicujus adimplendi præcepti; Aliàs tentarentur hi ſupra id, quod poſſunt.

Accedit & aliud gravius momentum. Si dum inſtat hominibus juſtis obbligatio implendi præcepti, deeſſet iis ex parte Dei auxilium ſufficiens, præceptum illud implere impoſſibile eſſet: nam Gratia ſufficiens ea dicitur, quæ confert poteſtatem adimplendi divina mandata; Hoc porro dicendum non eſt, cum Sacris in Literis habeatur, & ab Eccleſiæ definitionibus ſancitum ſit, præcepta Juſtis hominibus numquam eſſe impoſſibilia. Hoc conſtat apertiſſime ex Definitione Concilii Tridentini Seſſ. *6.* cap. 11. *de Juſti-*

ſtificatione : nemo temeraria illa , & a Patribus ſub anathemate prohibita voce uti debet , Dei Præcepta Homini juſtificato ad obſervandam eſſe impoſſibilia. Et illa Janſenii Propoſitio, quæ habetur Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 1 . in qua aſſerebat, aliqua præcepta Juſtis volentibus & conantibus eſſe impoſſibilia, damnata fuit ab Innocentio X. & Alexandro VII. & tamquam hæretica, & tamquam blaſphema. Primò quia Scripturæ Contraria; ſecundò quia irrogat injuriam Deo . D. Auguſtinus , quem ducem Janſenius ſemper habere perperam gloriatus eſt, *Lib. de Natura & Grat. cap.* 26. oppoſitum docet : ait enim : *Deus , cùm per mediatorem Dei & Hominum Hominem Jeſum Chriſtum ſpiritualiter ſanat ægrum, vel vivificat mortuum, ideſt, juſtificat impium; & cùm ad perfectam ſanitatem , hoc eſt, ad perfectam Vitam, juſtitiamque perduxerit, non deſerit, ſi non deſeratur, ut piè ſemper, juſtèque vivatur.* Ex quibus Auguſtini verbis liquet apertè, Hominibus juſtificatis, dum inſtat Divini adimplendi Præcepti obbligatio, ſemper Gratiam præſto eſſe.

Hoc idem docet eodem Capite ; ubi ait , illud eſſe diſcrimen inter Medicum Humanum , & Divinum ; quod Humanus poſtquam ſanavit ægrotum, ipſum alimentis ſuſtentandum relinquit ; Divinus verò eum ſemper poſt reſtitutam ſalutem ſuſtinet , retinet, nec dimittit, niſi prius dimittatur.

Accedunt etiam in hujuſce Catholicæ veritatis confirmationem peremptòria momenta , quibus in antehabitis Tractationibus contra liberales hujuſcemodi gratiarum largitores uſi ſumus.

Iccirco probavimus nos, induratos, Infideles, & pueros ſine baptiſmate ex hac vita ſublatos, eſſe Gratiis ſufficientibus deſtitutos, quia Gratias iiſdem negat Deus vel propter demeritum Originalis peccati, vel propter aliqua præcedentia ſcelera. At ſi ſic eſt, ubi ſermo ſit de Juſtificatis, nulla ratio eſt, propter quam poſſit eis Deus denegare Gratiam. Non peccatum originale: cum hoc ſuſcepto baptiſmate deletum ſit. Non præcedentia peccata; quia per pœnitentiam ea diluerunt . Cum igitur nulla ratio inveniri poſſit propter quam eis Deus negare Gratias poſſit , concludendum eſt nobis, Gratias ſemper iiſdem præſtò eſſe, dum inſtat alicujus implendi mandati obbligatio.

Confirmat hoc ipſum ratio altera decretoria, quam alicubi inſinuant D. Auguſtinus & D. Thomas: Ratio, cur Deus non deneget Juſtis hominibus Gratiam, hæc eſt; quia nempe inter Deum & Juſtos inita eſt amicitia, cum hi ſint per Gratiam ſanctificantem & charitatem Juſtificati; quoties ergo amicitia contracta eſt, amicus ſincerus (cujuſmodi eſt Deus) amicum non deſerit, niſi prius deſera-

feratur ab eo. Violaret ergo Deus ſtrictiſſimas amicitiæ leges, ſi Gratias Juſtis hominibus denegaret.

Ex hac tamen ratione enaſcitur aliquibus ſcrupulus, quem eximere neceſſum eſt, nequid inde in ſui erroris præſidium Janſeniani quoquo modo colligere valeant. Deus, ajunt illi, etiamſi Sufficientem Gratiam Juſtis Hominibus denegaret, non idcirco amicitiæ Leges violare cenſeretur, quemadmodum eaſdem Leges non violat, dum Juſto ſubtrahit in graviſſima tentatione Gratiam ſuam Efficacem, qua deſtitutus certiſſimè labitur in peccatum; ut contigit Apoſtolorum Principi, cui ſi Deus ea in tentatione, qua victus fuit, Efficacem Gratiam contuliſſet, certocertius victoriam retuliſſet. Quemadmodum itaque amicitiæ cum Petro initæ Leges non violavit, tametſi Efficax Auxilium, quo ſolo Chriſti negationem vitaſſet, ipſi ſubtraxerit; ita amicitiæ Leges cum Juſto quolibet violare Deus minimè dicendus eſt, quamvis inſtante Præcepti ſervandi obligatione Sufficiens Auxilium eidem deneget.

Hæc, Viri Theologi, ut fatear quod res eſt, ſalebroſa ſemper difficultas fuit: an ſcilicet prius Homo peccet, quam ei Deus Gratiam Efficacem deneget; vel contra Deus prius deneget Gratiam, quàm peccatum Homo committat. Mirum eſt, quàm multa, variaque diverticula excogitarint Theologi, ut nodum hunc expedirent. Sunt enim, qui dicant, admiſſionem peccati, & Gratiæ denegationem in vario genere cauſſæ ſeſe præcedere, ac ſubſequi. In genere cauſſæ materialis, inquiunt, præcedere patrationem peccati; in genere cauſſæ efficientis præcedere negationem Gratiæ: quemadmodum dum Ventus ingreditur in cubiculum per feneſtram, quæri poteſt, an prior ſit introitus Venti, an verius apertio feneſtræ? Ajuntque iſti, Ventum priorem eſſe in genere cauſſæ efficientis, feneſtræ verò apertionem in genere cauſſæ materialis.

Verùm non advertunt illi, aliud eſſe Venti ingreſſum, aliud Ventus ipſe. Ventum in genere cauſſæ efficientis priorem eſſe ipſa feneſtræ apertione, bene eſt, non ambigimus; ingreſſum autem Venti prioritatem hanc præſeferre, omnino negamus: nullius enim cauſſæ prioritate concipere poſſumus Ventum, ut jam ingreſſum, priuſquam aperiatur feneſtra, per quam ſolam ingredi Ventus poteſt.

Quare miſſis hiſce de genere cauſſæ materialis & efficientis diſtinctionibus, quæ Philoſophos magis, quàm Theologos, decent: repono ego, Deum, dum Juſto peccanti denegat Efficacem Gratiam, non propterea violare amicitiæ Leges; quia nimirum eam illi ſubtrahit, non propter præcedentia mortalia, ſed propter venia-

nialia peccata. Habemus in Petro ipſo Exemplum accommodatiſſimum. Negans Chriſtum Petrus incidit in peccatum, ac proinde Deus ipſi Efficacem Gratiam ſubtraxit. Si namque illam ei contuliſſet, Chriſtum certò certius non abnegaſſet. Deus tamen Gratiam Petro ſubtraxit ob præcedentium peccatorum venialium demeritum, quæ permulta in anteceſſum eum admiſiſſe haud quaquam ambigimus. Commiſit enim veniale peccatum primò in negligentia orandi: nam ſemel & bis admonitus, ut vigilaret, oraret, ne intraret in tentationem, ipſe nihilominus ſomno immoderatè indulſit. Commiſit itidem veniale peccatum ex quadam elatione, qua ſeſe Apoſtolis cæteris prætulit, dum Chriſto temerè reſpondit: *Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor: Matth. Cap. 26.* quaſi de ſe plus nimio ſupra cæteros fideret. Admiſit etiam veniale peccatum in auriculæ Malchi amputatione; quanquam enim a mortali excuſatum eum velint, quia Myſterii ignarus id in Magiſtri ſui defenſionem præſtiterat, quia tamen imprudenter ſe geſſit, non expectato Chriſti aſſenſu, a veniali ſaltem excuſari omnino non poteſt. Peccavit etiam venialiter a Magiſtro ſuo recedendo, Eumque ob animi puſilanimitatem deſerendo, quòd ſibi quoque periculum vitæ imminere pertimuerit, ſi Chriſtum proximè ſequeretur, ejuſque ſeſe Diſcipulum palam manifeſtaret: quæ quidem communis fuit cæterorum Apoſtolorum animi abjectio. Peccavit tandem venialiter, dum ſe fidentiùs, quàm par fuerat, Domeſticis Principis Sacerdotum immiſcuit, occaſionemque præbuit Ancillæ, ut repetitis interrogationibus eundem impeteret; quibus tandem adactus, *ſe Hominem non noviſſe* ſacrilegè faſſus eſt.

Neque obeſt dum dixeris: ſi Deus ob veniale peccatum, inviolatis utique amicitiæ Legibus, Gratiam denegat Efficacem, quare, iiſdem quoque ſalvis omnino Legibus, ſufficientem etiam denegare non poterit? Latiſſima namque diſparitas eſt: denegata Efficaci Gratia, remanet adhuc agendi poteſtas; quæ tamen, negata ſufficienti, nequaquam remanet; adeoque in primo caſu amicitiæ Leges non violaret Deus, quia id quod præciperet, poſſibile ſemper Homini foret; in altero autem eas reſcindere cenſeretur, quia Juſtum & amicum ſuum ad aliquid obſtringeret, quod ei impoſſibile prorſus evaderet; nec impertiri omnino, quo poſſibile fieret. His etiam addiderim venialia peccata non ejus eſſe deformitatis, ut pœnam illam graviſſimam mereantur, quæ in ſufficientium Auxiliorum privatione conſiſtit. Hæc etenim pœna, ut in ſuperioribus dictum fuit, graviſſimis duntaxat criminibus congruit, ac ſceleſtiſſimis pec-

catoribus, quos peccandi conſuetudo obduravit, & excæcavit, tantummodo infligitur.

Probata igitur, ac bono in lumine poſita, circa ſufficientem Gratiam, Catholica veritate; ſolvendæ remanent de Gratia efficaci celeberrimæ controverſiæ, de quibus, ut novam difficilemque diſputandi materiam præbent, ita diſtinctè ac peculiariter in ſequentibus pertractabimus.

Digitized by Google

PRÆLECTIO VIII.

De Gratiæ Efficacis neceſſitate. Et num neceſſaria ſit homini ad veritates ſupernaturales cognoſcendas?

DE Gratia efficaci, deque ejus neceſſitate & ad verum cognoſcendum, & ad bonum operandum, quantum Theologi officium poſtulat, pro modulo noſtro diſputaturi, agemus loco primo de hujuſce Gratiæ neceſſitate ad veritates cognoſcendas; dein agemus de ipſius neceſſitate ad bona opera peragenda. Dum porro de neceſſitate Gratiæ ad cognitionem veri ſermonem inſtituimus, intelligendum eſt primò de cognitione Veritatum ſupernaturalium, quæ ad Fidem pertinere dicuntur.

Veritates itaque ſupernaturales duobus modis a Theologis diſtinguntur: Aliæ ſunt quandoquè ſupernaturales in ſe ipſis, ſuntque ſimul & ſemel ſupernaturales etiam in medio, & per medium in quo cognoſcuntur: aliæ ſunt quidem ſupernaturales in ſe ipſis; in medio tamen, in quo cognoſcuntur, nonniſi naturales ſunt. Afferamus exemplum. Deum eſſe Trinum, & hominem factum, ſupernaturalis Veritas eſt. Dum Deum Trinum & hominem factum per Divinam revelationem cognoſcimus, non tam ſupernaturalis veritas eſt in ſe, ſed etiam in medio, cum revelatio Divina ſit ſupernaturalis. At ſi fortè contingat, Deum Trinum, hominemque factum cognoſci non ex vi Divinæ revelationis, ſed alio titulo, ut nimirum præſtetur aſſenſus, naturalis veritas eſt ratione medii, quo cognoſcitur; quod patet clariſſimo exemplo. Dæmones quandoque credunt, norunt, aſſentiunt, Deum Trinum eſſe, & hominem factum, non quia iiſdem revelatum ſit, ſed propter evidentiam ſignorum; itidem Hæretici, qui ab Eccleſia Catholica in pluribus Fidei Articulis diſociati ſunt, profitentur tamen una ſimul cum Catholica Eccleſia Incarnationem & Trinitatem; uti ſunt Lutherani & Calviniſtæ, non jam propter revelationem, ſed ex propria electione. Nam ſi per revelationem profiterentur, alios etiam quoſcumque Catholicæ Fidei articulos profiterentur.

Hac igitur poſita diſtinctione ſtatuendum eſt nobis, ad Veritates ſupernaturales cognoſcendas, quæ ſupernaturales ſolùm in ſe ipſis ſunt, non autem in medio, non requiri Divinam Gratiam, ſed naturalem propenſionem ſat eſſe; neque enim Dæmones, neque hæretici, qui præſtant aſſenſum ſuum, Deum eſſe Tri-

Trinum, & hominem factum, habent Gratiam, vi cujus ipſi cognoſcant.

Oritur hìc difficultas; an ſcilicet Gratia ſit neceſſaria ad præſtandum veritatibus revelatis aſſenſum, quæ non ſolum in ſe, verùm etiam in medio ſupernaturales dicuntur. Gratiam igitur omnino neceſſariam eſſe ad iſtarum veritatum revelatarum cognitionem fidenter pronuncio.

Patet hoc ex triplici Scripturæ capite: *Cujus Gratia eſtis ſalvati: Apoſtolus cap. 2. ad Epheſ.* Si fides ergo donum Dei eſt, & aſſenſus Fidei præſtatur, meritò conſequitur, neceſſariam eſſe Gratiam ad veritates revelatas cognoſcendas.

Id ipſum inſinuat *Apoſtolus epiſt. 2. ad Corinth. cap. 3. non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt;* ſi ergo non poſſumus cogitare ſine ope Divinæ Gratiæ, multò minus poſſumus credere.

Eſt & aliud Apoſtoli oraculum *1. ad Corinth. cap. 4. Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Ex quo colligebat Auguſtinus contra Pelagianos, neceſſariam eſſe Divinam Gratiam ad præſtandum veritatibus revelatis aſſenſum.

Unum eſt tamen, quod hac in parte negotium faceſſere poteſt; nam multi putarunt, Auguſtinum in eam veniſſe ſententiam, ut crederet hominem ex ſolis liberi arbitrii viribus ad initium fidei pervenire poſſe; nam dum expendit *libro de Dono perſeverantiæ Cap. 14.* illud Evangelii de Tiriis & Sidoniis, qui Chriſto prædicanti crediſſent exemplo Corozaitarum, & Bethſaitarum, qui Chriſto prædicanti, & ſigna facienti non credidere, ſibi viſus eſt Auguſtinus, nonnullis ineſſe naturale quoddam lumen ingenii, ut faciliùs moveantur ad fidem, ſi congruas ſuis mentibus voces audierint, vel ſigna conſpexerint. Ex quo videtur putaſſe Auguſtinus, dari aliquos acumine ingenii valentiores, qui dummodo certa verba audiant, & ſigna conſpiciant, facilè moventur ad Fidem.

Locus hìc malè torſit recentiores Theologos: Fuere nonnulli, qui ut facilè ſeſe poſſent expedire, dixerunt, Auguſtinum de naturali lumine locutum non fuiſſe, ſed de lumine naturaliter Divino.

Sed hoc videtur mihi non aliud eſſe, quàm ludere verbis; idem enim ſonat lumen naturaliter Divinum, ac lumen ſupernaturale. Quare dicerem potius, Auguſtinum locutum fuiſſe de motione externa, & objectiva; non interna & formali; quo pacto hoc? quia homines ingenio valentiores, ubi audiant prædicatorem, meliùs perſpiciunt vim & efficaciam, qua movet Concionator ad Fidem. Cæterùm qualecumque ſit hominis ingenium, ſine Gratia

Dei ad fidem moveri nequaquam poteſt, quod patet ex ſubſequentibus Auguſtini verbis : *Et tamen ſi Dei altiori judicio a perditionis maſſa non ſunt Gratiæ prædeſtinatione diſcreti , nec ipſa eis adhibentur , vel dicta Divina vel facta , per quæ poſſent credere , ſi audirent utique talia , vel viderent* . Idque patet exemplo , quod *cap. 16.* actuum Apoſtolicorum refertur : ubi legitur, Apoſtolos habuiſſe quandoque concionem , & ex ea concione, ex omnibus mulieribus, quæ audierant, unica mulier purpuraria , nomine Lydia , prædicato Evangelio Fidem præſtitit ; & hoc contigit , quia *Dominus cor ejus aperuit , intendere his, quæ dicebantur a Paulo.*

Reſtat aliud diluendum momentum; nimirum quo pacto homo poteſt ſine gratia præſtare aſſenſum verbis hominis alicujus prædicantis , cur verò non poterit etiam ſine Gratia præſtare aſſenſum veritatibus revelatis? Apertiſſima diſparitas eſt: dum probus aliquis vir loquitur , naturaliter certi eſſe poſſumus de ejus probitate & de veritate , quam dicit ; & ex hac notione poſſumus dictis ſuis aſſenſum præſtare , quin cor noſtrum Divinæ Gratiæ auxilio muniatur. At licet certiores ſimus, Deum nullatenus mentiri poſſe , non ſumus tamen naturaliter certi , hoc Deum revelaſſe ; nam revelationis notitiam habemus ex ſcripturis, quæ naturalis non eſt.

Sunt nihiloſecius qui dicunt : poteſt homo ex ſtimulo vanæ gloriæ ad aliquid credendum moveri; Ad hoc porro non movetur ope Divinæ Gratiæ, quia Deus non movet ad actus peccaminoſos.

Mirum eſt , quantum in ea rhapſodia diluenda inter ſeſe digladientur Theologi.

Ego tamen negari poſſe putarem, ex motivo vanæ gloriæ moveri homines ad credendum; nam hoc motivo non movemur , niſi ad actus externos, non autem internos.

Sed demus etiam, moveri homines ex motivo vanæ gloriæ captandæ; non repugnat porro, motivum hoc eſſe a Deo ut motore , ut actus phyſicus eſt ; quod certè exemplo compertum eſt : dum pravus aliquis Sacerdos ex fine Simoniaco conſecrat , puta capiendæ pecuniæ , movetur hic profectò ſtimulo avaritiæ; Deus ergo , qui influit in operationem conſecrantis , influit , quatenus actus eſt operativus Sacramenti , non ut eſt actus inhoneſtus, & pravus.

Atque hæc de neceſſitate Gratiæ efficacis ad veritates ſupernaturales cognoſcendas. Nunc de ejuſdem Gratiæ neceſſitate ad bona opera exercenda nobis eſt diſputandum, quod alterum inſtitutæ diſputationis membrum eſt, eritque amplum ſequentis Exercitationis argumentum.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO IX.

An Gratia efficax neceſſaria ſit ad bona opera exercenda?

De Gratiæ neceſſitate ad bonum opus exercendum dum diſputo, offerunt ſeſe primo magni nominis Theologi, cum quibus, & contra quos nobis erit in præſentia diſputandum. Inter hos ennumeratur Michael Bajus Accademiæ Lovanienſis Profeſſor, Cornelius Janſenius, & Gregorius Ariminenſis Inſtituti Auguſtiniani Profeſſor.

Michael Bajus *lib.* 1. *de natura pura cap.* 16. probat, ad bonum opus peragendum neceſſarium eſſe influxum Gratiæ ſanctificantis & charitatis, adeo ut quodcumque opus moraliter bonum ſine hoc influxu exerceatur, inhoneſtum ſit atque peccaminoſum.

Mitiùs de hoc cenſuit Janſenius, imo dicit oppoſitum *Lib.* 3. *de nat. lapſa cap.* 15. 16. 17. *Sine fide verò capp.* 18. 19. 20. *&* *Lib.* 4. *a cap.* 1. *uſque ad* 17. ubi ex Auguſtino aliiſque PP. & ex Concil. Arauſicano probare contendit, nulla ſine fide opera bona eſſe, Virtuteſque morales Philoſophorum Gentilium, & Romanorum, non Virtutes, ſed Vitia fuiſſe.

Gregorius Ariminenſis his omnibus mitiùs perſenſit; Quamquam enim putaret, neceſſarium non eſſe influxum nec Gratiæ ſanctificantis, nec Charitatis, nec Fidei; contendebat tamen neceſſarium eſſe influxum Gratiæ actualis, adeo ut homo ſine hoc influxu nequeat bonum opus exercere.

Ad Michaelis igitur Baii opinationem veniamus. Neceſſarium certè non eſſe Gratiæ ſanctificantis influxum & charitatis ad bonum opus peragendum, nec omne bonum opus, quod ſine iſtiuſmodi influxu exercetur, peccatum eſſe, ſanxit Synodus Tridentina *Seſſ. 6. de Juſtificatione can.* 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante Juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri; aut, quantò vehementiùs quis nititur ſe diſponere ad Gratiam, tantò eum gravius peccare; anathema ſit*. Quod etiam confirmat eadem Synodus in hac *Seſſ. de Juſtif. Can.* 8. ubi hæc habet: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere; anathema ſit*. Si ergo timor gehennæ elicitus ante Juſtificationem bonus eſt; non ergo omne opus moraliter bonum, quod fit ab homi-

homine nondum juſtificato, peccatum eſt. Cæterùm Pius V. & Gregorius XIII. varias propoſitiones a Michaele Bajo aſſertas proſcripſere; quarum trigeſima quinta hæc erat: *omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt;* & altera Quadrageſima: *in omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati*, & has Summi ii Pontifices condemnarunt; ſi ergo omne opus, quod exercetur ab homine nondum Juſtificato, peccatum non eſt, argumento eſt, opera moraliter bona, quæ ſine influxu Gratiæ ſanctificantis & charitatis exeruntur, non eſſe inhoneſta ac peccaminoſa.

Hoc idem in anteceſſum ſtatuiſſe videtur Auguſtinus *lib. de Spir. & lit. cap.* 28. ubi ait, *Sicut non impediunt a vita æterna juſtum quædam peccata venialia, ſine quibus vita hæc non ducitur; ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cujuslibet peſſimi hominis invenitur.*

Confirmavit hoc idem SS. Doctor *lib. de patientia cap.* 26. ubi hæc habet. *ſi quis autem non habens charitatem, quæ pertinet ad unitatem ſpiritus, & vinculum pacis, quo Catholica Eccleſia congregata connectitur, in aliquo ſchiſmate conſtitutus, ne Chriſtum neget, patitur tribulationes, anguſtias, famem, nuditatem, perſecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel beſtias, vel ipſam crucem, timorem gehennarum, & ignis æterni: nullo modo iſta culpanda ſunt, immo verò & laudanda patientia eſt.*

Sed quid neceſſum eſt nobis, Pontificum, Conciliorum, & Patrum teſtimonia perquirere; cum res per ſeſe pateat ſola duce naturali ratione? Ut enim opus ſit moraliter bonum, ſatis eſt, ſi ex fine honeſto fiat; poteſt autem quis operari ex fine honeſto, etſi charitas & Gratia Sanctificans non maneat in eo; & certè, ſi ut opus aliquod eſſet moraliter bonum, neceſſum eſſet, ut fieret ex influxu Gratiæ Sanctificantis, vel charitatis, confunderetur ordo moralis cum ordine ſupernaturali; cum ad bonum opus ſupernaturale requiratur, ut cum charitate dominante exerceatur.

Duo ſunt, quæ Michaelem Bajum in eam perverſam ſententiam induxere; Unum, quod multa congerat Sacrarum Scripturarum Oracula, in quibus videtur Deus quæcumque peccatorum hominum opera reprobare. Reprobat enim Sacris in Literis ſacrificium impiorum, proteſtans ſe, ea nullatenus excipere *Iſaiæ* 1. *ne offeratis ultra Sacrificium fruſtra: Incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam, & Sabbathum, & feſtivitates alias non feram, iniqui ſunt cætus veſtri.* Abominatur etiam orationes peccatorum; unde ea habetur Regii Vatis maledictio: *oratio eorum eſt abominatio.*

En

En quod primò deluſit Michaelem Bajum; ubi enim Deus rejicit in Scripturis opera peccatorum, non generatim rejicit, ſed ea ſolum, quæ ex hypocriſi fiunt; ad auram & vanam gloriam captandam; quinimo patet, Deum non omnino peccatorum opera reprobare: nam videmus *Danielis* 4. adhortari Regem ſceleſtiſſimum, ut peccata ſua eleemoſinis redimat.

Alterum, quod Michaelem illuſit hoc eſt; quod paſſim legatur in Auguſtino, nihil boni eſſe in homine, niſi quod a Divina Gratia hominibus impartitur; nihilque boni ab homine fieri, niſi fiat ex charitate. At non obſervavit imprudens, Auguſtinum diſtinguere bona opera, quæ bona ſimpliciter & abſolutè dicuntur, quæque ad ſalutem proficiunt æternam, ab iis operibus, quæ bona dicuntur ſecundum quid, quæque valent ad profectum aliquem naturalem obtinendum.

Dubium ea de re longè majus enaſcitur Bajo, ex eo quod putat omnia ſaltem opera bona, quæ ab Atheis fiunt, eſse ex neceſſitate peccata mortalia; nam cum bonum opus referri debeat ad Deum, ut authorem naturæ & rectitudinis, Athei nedum opera ſua ad Deum, ut authorem naturæ & rectitudinis non referunt, ſed nequidem Deum cognoſcunt.

Difficultatem hanc prævidit & occupavit D. Thomas *lib.* 3. *cont. Gent.* Concedit enim, ad opus quodcumque bonum peragendum neceſſum eſſe, illud ad Deum referre, uti authorem naturæ & rectitudinis; ſed ſatis eſſe ait, ſi implicitè ac mediatè referatur; nam hoc ipſo, quod bonum opus exercetur, hoc ſtatim ad honeſtum finem refertur; & ſic implicitè cenſetur referri ad Deum. Ita ſanè Athei, qui nullam habent Dei, ut authoris naturæ & rectitudinis, notitiam, implicitè ac mediatè opera ſua bona referunt ad Deum, dum hæc ad honeſtum finem referunt.

Confutato jam ſatis ſuperque Janſenii Magiſtro, nunc ad diſcipulum ſuum agitandùm vocem & animum convertamus; ſtatuamuſque ſtatim contra ipſum, Influxum fidei, quemadmodum contendit ipſe, neceſſarium non eſſe ad opus moraliter bonum exercendum. Id ut planum faciam, recurro ad authoritatem Scripturæ & Auguſtini, quem Janſenius magnoperè veneratur & colit, quemque Ducem ac Principem ſuis in operibus profitetur.

Ex Scriptura igitur liquet primò, multa opera bona eſſe ab Infidelibus elicita, quæ non ſolùm non fuere peccata, ſed etiam Sacris in Literis commendata, amploque munere a Deo ipſo donata. *Lib. enim exod. cap.* 1. refertur factum Obſtetricum Egyptiarum, quæ contra præceptum Regis intactos ſervarunt pueros Hebræorum, licet eis Pharaon præcepiſſet, ut ſi pueri ex fœminis Hebræis naſcerentur, ſuffocarent. Porro factum hoc non tam

in

Digitized by Google

in Scriptura laudatur, ſed etiam magnam mercedem Deus obſtetricibus largitus eſt; cum eis ædificaverit domos; & tamen Fœminæ illæ gentiles erant.

Legitur item alterum *in lib. Joſue cap.* 2. *&* 6. Nimirum Rahab, quæ excepit incolumes exploratores Egypti, qui a Joſue miſſi fuerant ad explorandam Terram, Urbemque Hierico, hoſque ſalvavit ab interitu, quem Gentiles ipſis intuliſſent, ſi eos repeiſſent. Deus autem mercedem Rahab, quantumvis infideli, largitus eſt.

Extat & aliud factum *in lib. Eſther cap.* 2. ubi legitur, Aſſuerum Regem ab invidia, ab acerbitate, a livore converſum eſſe in manſuetudinem erga Eſtherem, & Iſraelitas. Porro Aſſuerus ille, cujus lenitas non tam commendata, quàm remunerata legitur in Scriptura, Gentilis erat. Liquet ergo ex Sacris Literis multa eſſe Infidelium geſta, quæ non modò laudantur, ſed magna etiam mercede donata ſunt. Non ſunt igitur opera omnia Infidelium peccata.

Hoc etiam eliciam ex authoritate Auguſtini: nimirum multa eſſe facta geſtaque, quæ non tam laudantur, ſed etiam mercede donantur. *lib.* enim 5. *de Civitate Dei cap.* 15. refert, dediſſe Deum amplum Romanis imperium in remunerationem virtutum, quas exercere ſolebant. Romani porro Gentiles erant.

Epiſtola itidem 130 laudat virginalem continentiam Polemonis Juvenis Ethnici, eamque dicit eſſe donum Dei; ſi ergo donum Dei fuit, quis dicet, fuiſſe peccatum?

Idem inſinuat *lib. de Gratia Chriſti cap.* 24. ubi recolens factum lenitatis Aſſueri ſuperiùs allatum, contendit, eam Regis lenitatem donum Dei fuiſſe, dum poſt facti illius expoſitionem hæc verba ſubjungit. *Puto non deſipere, ſed inſanire hominem, quiſquis de illo Rege, qualis tunc erat, hæc ſenſerit: & tamen convertit Deus, & tranſtulit indignationem ejus in lænitatem.* Adeo certum eſt, cenſuiſſe Auguſtinum, non omnia Infidelium opera eſſe peccata.

Sed longè diſertiùs difficultatem hanc evacuaſſe videtur *epiſt.* 99. *ad Evodium:* ubi ait, dari in infidelibus aliqua opera adeo bona, ut meritò fidelibus ipſis imitanda proponantur.

At quid eſt neceſſe, Sacrarum Scripturarum teſtimonia, & Auguſtini authoritates perquirere, ut in propatulo Catholicam veritatem ponamus. Res ipſa judicata contrarium evincit, cum inter ſeptuaginta novem propoſitiones Michaelis Baj, quæ a Summis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. anathemate percuſſæ ſunt hæc habeatur numero 25: *Omnia opera Infidelium ſunt peccata.*

Unum eſt, quod fucum feciſſe videtur Cornelio Janſenio. Non

ſatis

ſatis hic intellexit, quod in novo Teſtamento de operibus perlegitur: Apoſtolus enim *epiſt. ad Rom. cap.* 14. ait: *Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt;* ex quo collegit Janſenius, omnia bona Infidelium opera eſſe peccata.

Ineptè tamen & inconſultò; nam Apoſtolus eo loci fidem non accipit pro virtute Theologica, ſed pro conſcientia. Patet hoc apertiſſimè ex Apoſtoli Inſtituto: ibi enim reſpondet Apoſtolus difficultati ſibi a Fidelibus propoſitæ, utrum licitum eis eſſet comedere carnes, quæ venales in macello proſtabant. Sæpe enim contingebat, proſtare carnes manducandas, quæ Idolis ſacrificatæ fuerant: unde eo in caſu reſpondet Apoſtolus: *bonum eſt non manducare carnem . . . . . . beatus qui non judicat ſemetipſum in eo, quod probat. Qui autem diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt: quia non ex fide. Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Ubi apertè videmus de conſcientia, non de fide Theologica Apoſtolum fuiſſe loquutum, quaſi diceret: *qui diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt: quia non operatur ex conſcientia: omne autem quod non eſt ex conſcientia, peccatum eſt.* Alterum eſt, quod deluſit Janſenium, Apoſtoli oraculum *in epiſt. ad Hebræos cap.* 11. *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo;* Concludit ergo Janſenius, opus, quod ſine Fide fit, Deo placere non poſſe, & per conſequens peccatum eſſe, cum Deo ſolum bonum placere poſſit.

Ad hujus reſolutionem obſervare operæ prætium eſt, Apoſtolum ubi ait, *ſine fide impoſſibile eſſe placere Deo:* intelligere, hominem ſine fide impoſſibile eſſe placere Deo, non opus; ibi enim fit ſermo de homine, qui Infidelis eſset, ſi ſine Fide operaretur; & hoc pacto, qui Infidelis eſt, nequit placere Deo. Opus verò, quod ſine Fide fit, Deo placere poteſt; quia licet fiat ſine Fide, non iccircò fit ex Infidelitate.

Difficultatem hac in re videtur habere aliquam D. Auguſtini Sententia *lib.* 4. *contra Julianum Pelagianum cap.* 3. ubi habet: *Si Gentilis nudum operuerit, periclitantem liberaverit, ægri vulnera foverit . . . . . prorſus in quantum non eſt ex fide, peccatum eſt:* ex quibus apertè liquet, docuiſse Auguſtinum, omnia, quæ ab Infidelibus fiunt, peccatum eſse.

Difficultatem illam tamen depellit id, quod eo in loco ſubjungit SS. Doctor: ſi Gentilis nudum operuerit, prorſus in quantum non eſt ex fide, peccatum eſt; non quod factum, quod eſt nudum operire, ſit peccatum; ſed de tali opere non in domino, ſed in ſe ipſo gloriari. Unde videtis, eo in loco Auguſtinum in tantum docere ea eſſe peccata, in quantum fiunt ad auram acquirendam, & ad vanam gloriam captandam. Michaelis Baii & Jan-

ſenii erroribus de neceſſitate Sanctificantis Gratiæ, & fidei ad opera moraliter bona exercenda, incidenter confutatis, inſtitutæ de actuali Gratia tractationis ratio poſtulat, ut inquiramus (quod loco tertio propoſuimus ex Sententia Gregorii Ariminenſis) an ſaltem ad opus moraliter bonum neceſſarius ſit influxus Gratiæ actualis? de quo in ſequentibus diſputabimus.

PRÆ-

PRÆLECTIO X.

Ad bona moraliter opera elicienda, aliquem actualis Gratiæ concurſum prærequiri, demonſtratur.

Conſutatis & Michaelis Baj, & Cornelii Janſenii opinationibus, ordo nunc poſtulat, ut ad quorundam Recentiorum commenta eventilanda labores noſtros impendamus. Nonnulli ergo Theologi viam mediam hac in parte tenuere; & quamquam hi nec Gratiæ Sanctificantis, nec charitatis, nec fidei influxum ad opera moraliter bona exercenda, neceſſarium eſſe contenderent, putarunt tamen, Gratiam aliquam actualem prærequiri. Hac de re litigant inter ſeſe Theologi benè multi recentiores.

Hæſi ego aliquantiſper, quam in partem propendere deberem; Tandem rebus attentiùs penſatis, in hanc Sententiam veni: nempe in ſtatu naturæ corruptæ neminem poſſe opus moraliter bonum elicere ex ſolis viribus naturæ; ſed aliquem actualis Gratiæ concurſum eſſe prorſus neceſſarium.

Id ut evincam, in medio proferam tria principia, quibus omnes Theologi aſſentiri videntur.

Primum eſt: Natura per Adæ peccatum non ſolùm fuit gratuitis donis ſpoliata, verùm etiam in naturalibus vulnerata, quod diſertè probat Auguſtinus *lib.* 2. *Quæſt. Evangel.* 19. in quo expendens parabolam Samaritani illius, qui de Jeruſalem deſcendens in Jerico, in latrones occurrit, qui eum plagis vulnerarunt, & ſemivivum reliquerunt; docet ibi SS. Doctor Samaritani ſpecie Adam peccatorem eſſe intelligendum, latrones Diabolum, qui eum plagis vulneravit, & non tam gratuitis donis, ſed etiam naturalibus ſpoliavit. Natura igitur nulla opera bona præſtare poteſt, quin media aliqua Gratia ſupra corruptionem ſuam, & debilitatem aſſurgat.

Principium alterum eſt, in quo omnes ferme conveniunt, hominem per peccatum Adæ eſſe averſum a Deo non ſolùm ut a fine ſupernaturali, ſed etiam ut a fine naturali; Hujus fundamentum eſt D. Thomæ; nam Adam peccando legem non tam ſupernaturalem, ſed etiam naturalem tranſgreſſus eſt. Ex quo principio deducitur; quod qui eſt averſus a Deo non tam ut a fine ſupernaturali, ſed etiam ut a fine naturali, non poteſt converti ad Deum, ut ad finem ſupernaturalem, & naturalem, niſi ope ali-

cujus Divinæ Gratiæ actualis. Cum igitur converti debeat opera moraliter bona eliciendo, concludendum eſt nobis, id ex ſolis ingenitis naturæ viribus præſtare nequaquam poſſe.

Hoc idem, quod ex iis principiis deductum eſt, docuit Doctor Angelicus, qui ubicumque expendit, quid homo poſſit ex ſolis viribus naturæ, ſemper & ubique reſtrictionem poſuit, ut poſſit aliqua opera elicere ſine ope Gratiæ. Quærens ergo 1. 2. *Quæſt.* 109. *artic.* 2. quid poſſit liberum hominis arbitrium in ſtatu naturæ lapſæ ad opera bona exercenda? Reſpondit, poſſe quidem in ſtatu naturæ lapſæ edere aliqua bona opera, quæ bona ſint ad commoditatem naturæ, & Reipublicæ, ſicut eſt ædificare domos, plantare vineas, & ſimilia; at non opera virtutis, & honeſtatis moralis, aliaque id Genus.

Id longè diſertiùs expoſuit idem SS. Doctor 2. 2. *quæſt.* 136. *artic.* 3. *ad.* 2. Ait enim: *Bonum politicæ virtutis commenſuratum eſt naturæ humanæ: & ideo abſque auxilio Gratiæ gratum facientis poteſt voluntas humana in illud tendere, licet non abſque auxilio Gratiæ Dei.*

Alibi tandem expendens, an poſſit homo ex propriis naturæ viribus aliquas ponere præcedentes diſpoſitiones ad juſtificationem? Definit, poſſe ex viribus ſuis naturalibus ponere diſpoſitiones merè negativas; Porrò opera moraliter bona ſunt diſpoſitiones poſitivæ, ſaltem remotæ ad Gratiam juſtificationis; ſi ergo diſpoſitiones ſunt poſitivæ remotæ, ſequitur concludendum, liberum hominis arbitrium, ſine ſubſidio Gratiæ, eas elicere nullatenus poſſe.

Dicet fortaſse non nemo, diſpoſitiones illas eſse negativas, hoc eſt, quibus removentur impedimenta ad juſtificationem obtinendam. Cui ego reſpondeo, ipſum Doctorem Angelicum ſuſtinere, non ponere impedimentum Gratiæ, non poſse eſse ſine Gratia. Quod Auguſtinus etiam expendens, ſtatuit, opera moraliter bona, quæ interdum a Gentilibus peracta ſunt, exercita non fuiſse, niſi ope Gratiæ; docuit hoc etiam *lib. de Gratia Chriſti cap.* 24. ubi recolens præſtitam illam ab Aſſuero in Eſtherem, & Iſraelitas lenitatem, ſubjungit, hujuſce manſuetudinem in eo fuiſse donum a Deo præſtitum: Similiter idem S. Doctor *epiſt.* 130. in memoriam revocans illum caſtitatis actum a Polemone Juvene Ethnico exercitum, docet, fuiſse donum Dei, quod in eo per Gratiam Chriſti operatus eſt Deus.

Sunt nihiloſecius qui dicunt: ſi in ſtatu Naturæ Lapſæ liberum hominis arbitrium opus moraliter bonum exercere nullatenus poſset, opus ergo moraliter bonum erit ordinis ſupernaturalis, proindeque confunderentur ordines naturalis, & ſupernaturalis inter ſeſe.

Id

Id ut evacuem, obſervare neceſſum eſt, aliquid dici poſſe naturale ſecundum ſeſe, & ſupernaturale ratione medii & cauſæ ſecundæ, unde prodit; quod fiet manifeſtum exemplo. Facultas videndi naturalis eſt; Facultas gradiendi pariter naturalis eſt ſecundum eſſe: attamen ſi cæcum natum ſpectemus, cui Chriſtus viſum reſtituit, ſupernaturalis eſt; nam hæc facultas videndi, quamquam ex ſe naturalis ſit, ſpectata tamen cauſa, Deo nimirum viſum cæco reſtituente, ſupernaturalis eſt. Ita gradiendi facultas ſecundum ſeſe naturalis eſt, ſed ſi claudum illum ſpectemus, quem erexit Petrus ingrediens in Templum, eſt ſupernaturalis. ita etiam opera moraliter bona ſunt & ordinis naturalis, & ordinis etiam ſupernaturalis abſque ulla ordinum confuſione; naturalis ſcilicet ſecundum ſeſe, ſupernaturalis ratione medii & cauſæ; videlicet ratione corruptionis naturæ per peccatum vulneratæ in utraque potentia animæ; adeoque ita viribus deſtitutæ, ut quod ante perſemet præſtare poterat, poſtmodum abſque ſuperiori adjutorio prorſus nequeat.

Reum me dicerent Adverſarii, ſi intactum hìc prætermiſerim celebratum Apoſtoli Oraculum *cap. 2. in epiſt. ad Rom.* ubi hæc habentur: ***Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt; ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex.*** Quo loco, Judice Apoſtolo, evincere ſe putant, gentes naturaliter facere ea, quæ legis ſunt.

Mirum eſt, quantum hic locus torſerit Recentiores nonnullos. Sunt, qui reponunt, ut hujus oraculi vim elidant, Apoſtolum non de Gentibus in gentilitate conſtitutis ſermonem facere; ſed de Gentibus ad Chriſtum converſis, quales erant Ninivitæ, Melchiſedech, Naman Syrus, Regina Saba, & Cornelius; qui naturaliter præſtitere quæ legis ſunt. Faciliùs tamen erit reponere, *ly naturaliter* non eſſe in ore Apoſtoli intelligendum pro ut natura opponitur Gratiæ, ſed pro ut natura opponitur legi; adeo ut ſignificare voluerit Apoſtolus, Gentes ſine lege Moſaica ea præſtitiſſe, quæ legis ſunt; nam etiam in lege naturæ vigebat Gratia.

Quæ demum producuntur hinc inde congeſta momenta rationum, cum ex ſolis petantur congruis, nihil certò probant, nihil evincunt. Quare donec meliora ſuccurrant, nihil de tota quæſtione ulterius diſputandum exiſtimamus.

PRÆ-

PRÆLECTIO XI.

Non poſſe hominem lapſum ex ſolis ſuis viribus diligere Deum, ut authorem naturæ, multis argumentis oſtenditur.

AGitatis de Gratiæ efficacis neceſſitate ad opera moraliter bona efficienda graviſſimis Controverſiis; Ordo nunc poſtulat, ad eas movendas quæſtiones mentem, & animum convertamus, quæ de alia ejuſdem Gratiæ neceſſitate moveri ſolent, ſcilicet, an hæc Gratia neceſſaria ſit ad amandum Deum, ut authorem naturæ. Qua in re obſervandum in primis eſt, Deum, uti eſt author naturæ, ita eſſe authorem Gratiæ. Rurſus amor ille, quo Deus diligitur, ut author naturæ, duplex diſtingui a Theologis ſolet. Primus imperfectus & inefficax; Efficax & perfectus alter; Actus amoris inefficacis & imperfecti eſt, quo Deus ſola quadam ſimplici complacentia diligitur. E contra vero actus amoris efficacis ille eſt, qui complectitur & benevolentiam erga Deum, & ponit omnia media ad poſſeſſionem Dei obtinendam.

Hac itaque diſtinctione poſita, diſputant invicem inter ſeſe Theologi, an in ſtatu naturæ lapſæ poſſit homo diligere Deum, ut authorem naturæ ſine ope Gratiæ. Non deſunt, qui negent; nec deſunt, qui affirment.

Qua in re itaque nos D. Auguſtini ſententiam amplectimur, ſcilicet, non poſſe hominem lapſum ex ſolis ſuis viribus Deum diligere, ut authorem naturæ.

Hoc docet in primis S. Doctor *epiſt.* 117. *ad Vitalem Cartaginenſem cap.* 14. ubi ait: *liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.*

Id etiam docet Celeſtinus I. *in epiſtola decretali ad Hallos Epiſcopos:* ubi habet: *in prævaricatione Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem & innocentiam perdidiſſe & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium poſſe conſurgere, niſi eum Gratia Dei miſerantis erexerit.*

Huic ſuccinit Gelaſius *in epiſt. ad omnes Epiſcopos per Picenum conſtitutos*, in qua conceptiſſimis verbis aſſeruit, peccato originali humanam ſubſtantiam eſſe depravatam: hoc eſt naturæ potentias ad ejus ſubſtantiam ſpectantes.

Facit integram etiam propoſitæ ſententiæ fidem *Concilium* 2.

Arau-

Digitized by Google

Arauſicanum cap. 1. *Si quis per offenſam prævaricationis Adæ, non totum, id eſt ſecundùm corpus, & animam, in deterius dicit hominem commutatum, ſed animæ libertate illæſa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus adverſatur Scripturæ dicenti:* anima, quæ peccaverit, ipſa morietur, &: neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus cui obeditis? &: a quo enim qui ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt. *Ezech.* 18. *Rom.* 6. 2. *Petr.* 2. *& cap.* 25. *Ac ſic ſecundum ſupraſcriptas ſanctarum Scripturarum ſententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante, & prædicare debemus, & credere; quod per peccatum primi hominis inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea aut diligere Deum, ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt, poſſit; niſi eum Gratia miſericordiæ Divinæ prævenerit.*

Sed quid peregrina teſtimonia perquirimus, ut veritas in propatulo appareat? Satis eſt, quod naturæ principia ſcrutemur.

Primum principium eſt, facultatem læſam & vulneratam ex ſe ipſa non poſſe elicere actum excellentiſſimum, quem certò certiùs eliceret, ſi ſana eſſet; porro actus hic perfectiſſimus eſſet amor Dei, ut authoris naturæ; cum igitur debilitata ſit atque infirmata, nequit hunc actum exercere ſine ope Gratiæ.

Huic addiderim ego. Amor iſte efficax, de quo ſermo nobis eſt, ſecum importat obſervantiam legis naturalis, cum implementum legis naturalis neceſſariò ad amorem Dei, ut authoris naturæ conſequatur; Porro non poſſe hominem ſine ſubſidio Gratiæ adimplere legem naturalem, ſi bene meminiſtis in anteceſſum expoſui, dum protuli locum illum Apoſtoli *in epiſt. ad Rom. cap.* 2. *gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt; ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex.* Oſtendique locum illum eſſe intelligendum de implemento pro ut opponitur legi, non pro ut opponitur Gratiæ; qua ſane in parte plerique hallucinantur Theologi.

Unum tamen eſt, quod adverſæ parti graviſſimum præfert momentum; poſſe nimirum hominem naturaliter diligere Deum, quia D. Thomas 1. *part. quæſt.* 60. *art.* 5. *ad* 5. ait, Angelos ipſos peccantes naturaliter diligere Deum: quod confirmat *in* 2. *ſentent.* 4. *diſt.* 33. *quæſt.* 2. *art.* 2. *ad* 5. nimirum pueros ex hac vita ſine baptiſmate decedentes Deum naturaliter diligere; ex quo inferunt ipſi, quod cum homo in ſtatu naturæ lapſæ nequeat eſſe inferioris conditionis, ac ſint Dæmones in Inferis, pueri in Lymbo; concludendum eſt, quod ſi hi Deum naturaliter diligunt, naturaliter & homo Deum, ut authorem naturæ, diligere poſſit.

At

Digitized by Google

At imprudentes non advertunt , D. Thomam aſſerentem , Dæmones , & infantulos ſine baptiſmo ſublatos naturaliter amare Deum, non loqui de amore amicitiæ, ſed de amore concupiſcentiæ. Quinimo amor ille eſt, quo magis reos ſe faciunt apud Deum.

Ejuſdem furfuris eſt aliud, quod jactitant Adverſarii, ut amorem illum in ſtatu naturæ lapſæ poſſibilem dicant : quod nimirum homo in ſtatu illo naturaliter diligit parentes ſuos , & amicos , quin in hiſce amandis Gratia aliqua indigeat ; quid ergo indigebit, ut Deus ametur, qui ſuper omnia amabilis eſt?

Rideo ad hujuſcemodi argutationem . Poteſt quidem homo in ſtatu naturæ lapſæ parentes, & amicos diligere ſine adminiculo Gratiæ ; nequit tamen amare Deum ; quia cum Deus ſit puriſſimus Spiritus, non ita movet & excitat, ſicut parentes & amici, qui ſenſibus ſubjecti ſunt.

Addo etiam amorem parentum, & amicorum non habere ſecum tot, & tanta impedimenta vincenda , ſicut habet amor Dei , & per hoc fit, ut quantumvis homines poſſint parentes ſuos, & amicos diligere ſine ope Gratiæ, nequeant tamen ſine hujuſce adminiculo diligere naturaliter Deum.

Sed dicet fortaſſe aliquis : In ſtatu naturæ lapſæ numquid homo non poteſt naturaliter cognoſcere Deum, ut auctorem naturæ? Cur non poterit etiam naturaliter amare ? Patentiſſimum diſcrimen eſt; quia per Adæ peccatum magis vitiata voluntas eſt, quàm intellectus , cum Adam peccando perverſæ voluntatis peccatum commiſerit ; & per hoc fit , ut licet homo poſſit cognoſcere naturaliter Deum , non poſſit tamen ſine ſubſidio Gratiæ naturaliter amare.

Quia verò nova ſeſe hoc loco aperit difficultas non ſegniter ac defunctoriè perpendenda; iccirco in Exercitationem alteram mittimus majori otio expediendam . Videlicet, an ad opus ſalutare perficiendum indigeat homo Divinæ Gratiæ , & quidem efficacis adjutorio?

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO XII.

Num ad opus ſalutare perficiendum neceſſaria ſit Divina efficax Gratia.

IN ea, quam modò ſuſcipimus agitandam Controverſiam: nempe, an neceſſarium ſit Divinæ Gratiæ adjutorium ad opus meritorium æternæ ſalutis, hiſtorica veluti narratione complectemur, quæ ad impetendum Pelagianorum & Semipelagianorum errorem protulit Auguſtinus; cum in hac ſententia æquè peccarent Pelagiani ac Semipelagiani. Quo itaque pacto erroneam iſtorum opinationem Auguſtinus oppugnaverit in præſens oſtendemus.

Dicebant ergo Pelagiani, ad bonum opus perficiendum non eſſe neceſſariam Divinam gratiam. Semipelagiani verò, qui iccirco Semipelagiani dicti ſunt, quod partem erroris Pelagianorum tuerentur, partem etiam execrarentur, initium ſaltem boni operis ex nobis eſſe dicebant, non verò ex Gratia Dei. Quare Auguſtinus ut ambos ex æquo confutaret, probaretque & initium bonorum operum, & profectum, nonniſi ex Dei Gratia eſſe poſſe, momenta ex Apoſtolo repetebat.

Primum *ex epiſt. ad Philipenſes cap.* 2. deſumpſit: *Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.* Ex quo colligebat S. Doctor & initium, & profectum bonorum operum ex Deo eſſe.

Veritatem hanc contra Pelagianos oſtendit aliis etiam petitis ex Scriptura momentis, *Pſal.* nimirum 76. *Et dixi, nunc cæpi: hæc mutatio dexteræ excelſi.*

Pſal. 80. *Dilata os tuum & implebo illud. Pſal.* 118. *Viam iniquitatis amove a me: & de lege tua miſerere mei.*

Aliud deſumebat momentum 2. *Corint.* 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

Hæc, aliaque id genus multa afferebat S. Doctor, ut Pelagianis oſtenderet, ad bonum opus perficiendum neceſſariam eſſe Divinam Gratiam.

Nihilominus Auguſtinus, ut Pelagianos impugnaret, ſtatutamque ſententiam ſuam certiorem faceret, omnibus hiſce momentis addidit Summorum Pontificum, & Concilium authoritatem.

Impetebat itaque loco primo Pelagianos auctoritate Zozimi Ponti-

tificis Maximi: Cum enim ab initio Pelagius & Cæleſtius falſis ſuis dogmatibus ſummo artificio fucatis Pontifici impoſuiſſent, litteras hic commendatitias ad Affricanos Epiſcopos dedit; quos tamen, cognita poſtmodum veritate, anathemate condemnavit. Qua quidem epiſtola in Pelagianorum confutationem uſus eſt Auguſtinus.

Nitebatur itidem idipſum evincere authoritate Innocentii I. Cum enim Affricani exorbitantia Pelagianorum dogmata expoſuiſſent, miſit eis Pontifex Decretalem contra Pelagianos epiſtolam; quam cum accepiſſet Auguſtinus, dum eſſet in Affrica, in hanc vocem erupit. *Jam enim de hac cauſſa duo conſilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam. Inde etiam Reſcripta venerunt. Cauſſa finita eſt: Utinam aliquando finiatur error. Serm. 2. de verb. Apoſt. prope finem.* Quod totum etiam authoritate Concilii Cæſarienſis roboravit.

Quòd verò ad Semipelagianorum hæreſim pertinet, qua ſuſtinebant, initium bonorum operum in nobis eſſe, hanc verè Auguſtinus non confutavit Conciliorum authoritate; nam quamdiu vixit, nil definitum erat; unde uſque ad obitum Auguſtini iſtorum ſententia non habebatur ut error in Eccleſia Catholica; cæpitque in Concilio Arauſicano II. confutari; & Cæleſtini I. Felicis IV. & Bonifacii II. authoritatibus reprobari.

Quod autem ad momenta pertinet, quibus & Pelagiani & Semipelagiani utebantur ad eorundem ſententiæ defenſionem, ad plura capita revocantur. Quorum primum Pelagianorum hoc eſt; ut nimirum boni operis perfectionem a Deo non eſſe demonſtrarent. Si Deus operaretur in nobis bonorum operum perfectionem, non mereremur nos per bona opera noſtra vitam æternam. Quod tamen Auguſtinus poſita diſtinctione exſufflabat: quod Deus nimirum, etiamſi operetur in nobis omnium bonorum operum perfectionem, non operatur in nobis quaſi nihil agentibus, ſed nobis conſentientibus, & adſtipulantibus operatur; unde ea opera bona, ideo meritoria ſunt nobis, quia nos Deo operanti aſſentimur.

Secundum momentum, cui fidebant maximè Pelagiani, iſtud eſt: quod ſi Deus bona opera operaretur in nobis, quoties quis a bonis operibus abſtinetur, non eſſet culpabilis, quia id non ageret, ad quod præſtandum Divina Gratia eſt neceſſaria, & ſine qua illud agere minimè poteſt. Ad hoc reſpondit Auguſtinus, iccirco Deum bona opera in nobis quandoque non operari, ideoque nos ex tali defectu culpabiles fieri; quia ea denegatio oritur ex interna hominis repugnantia; quod tamen verum eſſet, ſi ex nulla poſita a parte hominis repugnantia contingeret.

Semipelagiani tandem, ut ſuum errorem adſtruerent, hoc eſt, initium bonorum operum ſaltem in nobis eſſe, monſtrarent, multa afferebant Scripturæ teſtimonia, quibus Deus hominibus præcipit, ut

hi

hi boni operis initium ponant; puta cum adhortatur fideles: *Convertimini ad me.... & convertar ad vos. Zachariæ cap. 1. Convertimini ad correptionem meam .... vocavi & renuiſtis .... quid eſt quod debui ultra facere & non feci ei? an quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit lambruſcas?* Hæc & alia id generis multa, ut evincerent, jubere Deum, ac etiam expectare, ut convertamur nos, & bonos fructus feramus. Quibus uno verbo reponebat Sanctiſſimus Doctor, principium certiſſimum eſſe, Deum ſacris in Litteris nil quicquam præcipere hominibus, ut faciant, quod etiam & ipſe non præſtet; unde ipſe Deus ait: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Joan. 5. cap. 6.* Sed de his ſatis in ſuperioribus diximus.

Iis igitur, quæ ad Divinam Gratiam pertinent, pro ut Theologi memoriter ex Cathedra dicentis officium poſtulat, explicatis, nihil erit convenientius, quam ut Dei operationes explicemus, quas inter primum locum obtinet Intellectio, quæ ipſamet Scientia eſt, ut ſapienter obſervat Doctor Angelicus *in Proemio qu. 14. primæ partis.* Sed de hac in ſequentibus dicemus.

H 2 TRA-

N O T A.

Cum per annos quadraginta in publica Univerſitate Theologicas materias pro munere ſuo pertractaverit Author, mirari non debes, ſi hæc de Divina Gratia Tractatio in hoc Tertio volumine agitetur, cum in primo Operis hujuſce Volumine aliam adverſus Janſenium Diſputationem poſt Quæſtiones de Originali peccato immediatè poſitam videris; quod in Autographis reperimus. Potuit namque bis, vel etiam fortaſſis ter, aut quater, eo annorum curriculo, Controverſias de peccato Originis agitare; quibus modò unam, modò alteram Tractationem, prout liberet, ſubnectere, ne eundem ſemper ordinem ſervare videretur, conſultò poterat: quod quidem ex ejus Autographis non ſemel contigiſſe animadvertimus.

Hoc tamen non ita a te accipi volumus, ut eaſdem omnino Quæſtiones, vel Prælectiones, quas ſemel Is recitaverat, iterum recitaſſe ſuſpiceris. Non enim hoc de Seryio noſtro, cui certè nec Ingenii felicitas deerat, nec labor inimicus erat, prudenter exiſtimandum eſt: ſed quòd vel alias eodem de Argumento Quæſtiones, vel alia ſaltem ratione, ac methodo pertractatas in medium afferret, ut Ipſemet non ſemel indicat in Autographis ſuis; ubi cùm ſe Theologicam Diſciplinam univerſam pluries tradidiſſe aſſerat, fatetur etiam, ad eaſdem ſe materias quandoque redire neceſſitate compulſum eſſe: quod tamen ita præſtabat, ut vel Controverſias variaret, vel aliquid novi adderet, vel alia prorſus via incederet, quàm antea calcaverat.

Nos porro cùm ex Prologo, quem Tractationi de Incarnatione Author præfigit, obſervaverimus, eam Diſputationibus de Humanæ Naturæ ſtatibus ſubnexuiſſe, eidem Tractationi in Secundo Volumine primum aſſignavimus locum. Primum quoque in hoc Tertio Volumine Divinæ Gratiæ Tractatui conſultò dedimus; ut, explorato Medici Adventu, ejuſque Conditione, atque Virtute, ad Medicinam, quæ Dei Gratia eſt, explorandam accederemus. Neque enim ordinem a Theologis

Digitized by Google

logis ſervari ſolitum in poſthumis hiſce Operibus ſervare potuimus, tum quòd in paucis iſtis, quæ ad nos pervenerunt, Theologicis Tractationibus, Authoris methodo inſervire debuimus, juxta ea, quæ in Prologis, vel Diſputationum liminibus adnotavimus; tum etiam quòd æquæ, quantùm fieri poſſet, Voluminum moli conſulendum exiſtimavimus. Hinc nobis veniam non illibenter daturum Lectorem ſperamus, ſi hocce in Opere Theologiæ Partes confundimus, nec ſervatum vel a Magiſtro Sententiarum, vel a D. Thoma ordinem exhibemus: quod quidem in poſthumis Scriptorum Operibus frequenter contingere, ſatis compertum eſt.

Digitized by Google

TRACTATUS
DE
DIVINA SCIENTIA.
PRÆLUDIUM.

EX abyſſo, e qua feliciter emerſimus, ad alteram perſcrutandam provocamur: ex abyſſo ſcilicet Divinæ Gratiæ ad Scientiæ Dei abyſſum: ut jam cum regio Propheta Dicere liceat; *abyſſus abyſſum invocat in voce cataractarum tuarum; Pſ.* 41. in quam intendens Gentium Apoſtolus admirabundus exclamavit: *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei: quam incompræhenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Rom.* 11.

Nihil tamen altitudo illa Divinæ Scientiæ me terret, quominus memet vaſto, ac periculoſo mari committam; modò geminum Eccleſiæ ſidus in hacce nova navigatione propitium habeam, Auguſtinum, & Thomam: quibus ego Ducibus, ut in omni altera Theologica Tractatione lætor maximè, ita & in iſta, quæ de Dei Scientia diſputat, glorior, ac triumpho.

PRÆLECTIO I.

Dari veram in Deo, & ſtricti nominis dictam Scientiam; Creaturaſque omnes in Eſſentia ſua, tanquam in medio, cognoſcere; eamque cognitionem eſſe Creaturarum cauſſam, propugnatur.

DE Divina Scientia præſenti Exercitatione dicturus, ad quæſtiones, quæ a Theologis agitari ſolent, nulla interpoſita mora, ſtatim accedam; & ne plus juſto hæream in limine, tria ſimul inveſtigabo: Primò, num detur in Deo Scientia veri, ac proprii nominis, ſtricto, ac rigoroſo ſenſu accepta, qua Deus univerſa cognoſcat; non Scientia, ut ſchola loquitur, quomodocumque. ſed Scientia per proprias cauſſas? Hanc non utique perdifficilem, & obſcuram, ſed quæ caput eſt, & præludium cæterarum, quæſtionem ad examen vocare neceſſum eſt: Secundò; in quonam medio Deus ipſe Creaturas cognoſcat: Tertiò tandem; an Divina hæc Scientia ſit cauſſa effectiva Creaturarum?

Quod primum itaque attinet, dubium nullum eſt, dari in Deo Scientiam quamdam generatim acceptam. Nullus certè Theologus, aut Philoſophus quod ſciam, hoc inficiari auſus eſt, cum multis in locis Sacris in Litteris perlegatur; ut *Eſther cap.* 14. *v.* 14. *nos autem libera manu tua, & adjuva me, nullum aliud auxilium habentem, niſi te Domine, qui habes omnium Scientiam.* Et *Epiſt. ad Rom. cap.* 11. *v.* 33: *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei!* Et paſſim ubique in Scripturis cùm veteris, tum novi Teſtamenti, ubi Deo rerum omnium Scientia tribuitur, ſub quacumque temporis differentia conſiderentur; imo & ipſæ humani cordis cogitationes, alii cuivis, ſive homo ſit, ſive etiam Angelus, prorſus abſconditæ.

Quid plura? Si naturæ lumen conſulamus, hoc facilè percipemus. Lumine naturali compertum eſt, Deum eſſe Ens perfectius, quo majus dari nequit: porro non eſſet Ens perfectius, ſi claram Scientiam, & evidentem non haberet. Naturæ lumine compertum eſt, Deum eſſe rerum omnium Conditorem: at certius eſt, hujus orbis Conditorem cæcum non fuiſſe: itaque ſi ſolum naturæ lumen conſulamus, Deum claram & evidentem rerum omnium Scientiam habere facilè comperiemus. At hoc modò in quæſtione nequaquam venit: id ſolumodo diſceptandum eſt nobis; num ſcilicet Scientia, quam habet Deus, ſit Scientia per ſuas cauſſas? quod negavit Vaſqueſius. Concedit qui-

Digitized by Google

quidem ipſe habere Deum rerum omnium Scientiam ; negat tamen eſſe Scientiam per proprias cauſſas. Ut igitur hanc Vaſquesii opinationem futilem eſſe videamus, ſat erit, ea momenta reſfellere, quibus ipſe innixus eſt. Ad rem itaque noſtram. Primum momentum, quo contendit ipſe Scientiam Dei non eſſe notitiam *per cauſſam* , eſt ; quia ad talem Scientiam pertinet diſcurſus : porro, inquit ille , Deus nec diſcurrit , nec per notitiam unius pergit ad notitiam alterius, quia uno , eodemque intuitu omnia cognoſcit ; igitur Scientia Dei nequit dici Scientia *per cauſſas*.

Quàm futile ſit primum Vaſquesii momentum, bifaria ratio demonſtrat. Primò igitur; non conſentiunt Theologi, ad rationem eſſentialem Scientiæ pertinere diſcurſum ; quinimo defectum appellant : Unde videmus, in Angelis dari veram Scientiam, certam, & evidentem , quin tamen in ipſis detur diſcurſus . Secundò ; a Theologis , & Philoſophis duplex aſſignatur diſcurſus ; formalis unus, virtualis alter. Primus eſt, quando datur multiplicitas conceptuum, & ex uno fit progreſſus ad alterum; alter, dum ſcilicet uno eodemque actu abſque reali diſtinctione ex uno fit progreſſus ad alterum ; quatenus ſcilicet unus eſt cauſſa virtualis alterius: quemadmodum Deus cognoſcendo Eſſentiam ſuam cognoſcit & Attributa, quæ in eſſentia continentur.

Alterum accedit Vaſquesii momentum : quod nimirum ad rationem veræ Scientiæ requiritur, ut fiat progreſſus a magis notis ad minus nota: At in Deo non datur magis, vel minus notum, cum omnia ex æquo eidem nota ſint ; quare ipſe concludit, non dari in Deo veri , ac proprii nominis Scientiam , hoc eſt *per cauſſam*.

Hoc pari facilitate explodi poteſt : Verum equidem eſt, non fieri in Deo progreſſum a magis noto ad minus notum reſpectu ad actum cognoſcitivum Dei , cum Deo omnia ex æquo fiant nota ; bene verò ex parte rei cognitæ, quatenus ſcilicet res in ſe ipſis talem ordinem habent, ut ſicuti una eſt cauſſa alterius, ita una per ſe minus nota petat cognoſci per aliam.

Tertium Vaſquesii momentum tale eſt: Notitia, quæ habetur per cauſſam generalem, non eſt ſcientifica, ſed quæ per cauſſam peculiarem acquiritur: E. G. Non habet homo cognitionem ſcientificam de ſublunaribus, ſi hanc habeat per ſolem, vel alia aſtra : requiritur, ut habeat per cauſſas proprias : Deus porro habet Scientiam generalem ; nam quæcumque cognoſcit, per Eſſentiam ſuam cognoſcit ; Eſſentia verò Divina eſt cauſſa generalis ; proindeque notitia , quam per hanc cognitionem acquirit , ſcientifica dici nequit.

Hoc tamen occupavit D. Thomas *in Coment. ad Magiſtrum ſent.*

ſent. lib. 3. *diſt.* 13. ubi ait, quod eo in caſu res non cognoſceret ſcientificè Deus, quo in effectibus rationes tantùm genericas attingeret; ſecùs verò ſi attingat rationes ſpecificas. Et en quibus utitur momentis Vaſqueſius. Videtis ergo, non fuiſſe inutile de ſua hac opinatione loqui: licet enim exilis, exſucca, & parvi momenti eſſe videatur, quia tamen præludium eſt cæterarum quæſtionum, quæ nobis impoſterum pertractandæ ſunt, eam prætermittere omnino non licuit. Probato itaque, ſtatutoque hocce principio, dari in Deo veram, & proprii nominis dictam Scientiam, de talis Scientiæ modo, atque ratione inquirendum; quæ altera propoſitæ controverſiæ pars eſt; in quo ſcilicet medio Deus Creaturas cognoſcat?

Quo circa ſciendum eſt, extitiſſe olim Theologos, qui putarunt, Deum non aliud noſſe de Creaturis, quàm illud eſſe eminens, quod habent in Eſſentia Divina; non illud eſſe privatum, quod poſſident extra Deum. Abſurditas hujuſce ſententiæ patet: nam ſi Deus nonniſi illud eſſe eminens noſceret, & intelligeret, Deus re ipſa non haberet notitiam creaturarum: nam illud eſſe eminens eſt ipſa Eſſentia Creatoris. Addo: Deus idcirco Scientiam habet de creaturis, ut Providentiam habeat; hoc eſt, regat, diſponat, atque gubernet. Porro Providentia eſt de illo eſſe privato creaturarum, non eminente; nam hoc non ſubjacet Providentiæ.

Illud tamen in controverſia eſt; num Deus res creatas cognoſcat in ſe ipſo? Communis Theologorum ſententia eſt, noſſe Deum ipſas in ſua Eſſentia, tanquam in medio; eo modo, quo dum quis in ſpeculum figit oculos, eo actu viſionis, quo videt ſpeculum, videt & illud, quod a ſpeculo eidem repræſentatur. Hanc ſententiam, quæ jam communiter invaluit, probant, & ſuſtinent veteres Theologi, illo maximè nixi fundamento, quod D. Dionyſius Areopagita *lib. de Divinis nominibus cap.* 7. dicat: *ſe ipſam igitur Divina Sapientia noſcens, ſciet omnia.*

Nolo vim facere in hoc teſtimonio; cum perſpectum habeam, librum hunc D. Dionyſii non eſſe, ut Critici peritiſſimi ſuſtinent; ſed recentioris cujuſdam Scriptoris, cujuſmodi ſunt alii libri, qui eidem Dionyſio tribuuntur, quamquam revera Dionyſii non ſint, uti Liber de Myſtica Theologia, & alter de Cæleſti Hierarchia; cum his in libris multis de rebus fiat mentio, quæ ſunt præter uſum illius ætatis, in qua vixit Dionyſius. Vixit namque primo ineunte Chriſtiani nominis ſæculo, temporibus Apoſtolicis; & in his libris fit mentio Patriarcharum, & Epiſcoporum, quorum nulla iis temporibus mentio erat. Lata tamen hac in re, & aperta eſt D. Auguſtini ſententia *lib.* 11. *de Civitate Dei cap.* 7. ubi hæc habet:

Cogni

Cognitio quippe creaturæ in ſeipſa decoloratior eſt, ut ita dicam, quam cum in Dei ſapientia cognoſcitur, velut in arte qua facta eſt: cui decretoriam etiam rationem adiungit Doctor Angelicus *lib. 1. ſent. contra Gentes cap.* 49. ubi habet, non poſſe aliquam cauſſam totalem, & adæquatam comprehendi, niſi una ſimul cognoſcantur effectus, qui in ipſa continentur; proindeque cum Eſſentia Divina ſit cauſſa totalis, & adæquata creaturarum, comprehendens Deus Eſſentiam ſuam, eo ipſiſſimo actu res creatas cognoſcit, & intelligit.

Rationem hanc cavillatur Gabriel Vaſquez; &, ut eam elumbem oſtendat, affert Angelum in exemplum. Angelus, ait ille, comprehendit intellectum ſuum, nec tamen cognoſcit omnes intellectiones, ad quas ſuus intellectus extendi poteſt; nam infinita cognoſceret.

Miror, virum aliunde ſubtiliſſimum non obſervaſſe diſcrimen, quod inter Eſſentiam Dei, & intellectum Angelicum intercedit. Intellectus enim Angelicus non eſt cauſſa adæquata, quaſi a nullo alio in ſuis intellectionibus eliciendis dependeat; ſed habeat ſpecies intelligibiles neceſſum eſt; quas non habet a ſe, ſed a Deo per infuſionem. Eſſentia verò Divina eſt cauſſa totalis, & adæquata; & propterea ex hoc ſolùm, quod cognoſcit Eſſentiam, cognoſcit etiam eodem ipſiſſimo actu, nullo alio ſuffragante, creaturas. Stat ergo inconcuſſa Doctoris Angelici adducta ratio.

Quibus argumentis addi a nobis poſset, Intelligenti perfectiſſimo tribui debere modum intelligendi perfectiſſimum; proindeque Deo eſse certiſſimè tribuendum, cum Deus ſit intelligens perfectiſſimus. At certè modus intelligendi in prima Veritate perfectior eſt modo intelligendi in veritate participata: porro Eſsentia Dei eſt prima Veritas; ac per conſequens modus intelligendi in ea debet eſse perfectior.

Huic roboris eſt ratio altera: Scientia, quam habet Deus, creaturarum, eſt etiam Sapientia: id porro inter Scientiam, & Sapientiam diſcriminis eſt; ut Scientia per quaſcumque cauſsas intelligat; per altiſſimas autem Sapientia. Eſsentia igitur Dei cum ſit altiſſima cauſsa, conſequens eſt, quod dum Deus cognoſcit Eſsentiam ſuam, cognoſcat etiam creaturas.

Videamus modò, quid dicat in contrarium Vaſqueſius: medium, ait, in quo quid certò cognoſcitur, debet eſse connexum cum re, quæ cum eo medio cognoſcitur; aliter cognitio non eſſet infallibilis: atqui nulla datur connexio inter eſſentiam Dei, & creaturas, & maximè poſſibiles; igitur non eſt, cur Deus cognoſcendo eſſentiam ſuam creaturas etiam cognoſcat.

Hoc videtur ſpecimen Veritatis habere; ſed ita revera non eſt.

Repono etenim ego: Tanta eſt connexio Eſſentiæ Divinæ cum creaturis, & quidem poſſibilibus, ut ſi per impoſſibile non poſſet Deus producere Muſcam, Deus non eſſet omnipotens; & hoc non quidem per rationem a priori, ſed per rationem, ut Schola loquitur, a poſteriori. Unde a Vaſqueſio nihil quicquam ex hoc extundi poteſt.

Urget tamen: Creaturæ exiſtentes non habent neceſſariam connexionem cum Eſſentia Divina; nam minus neceſſarium nullam habet connexionem cum maximè neceſſario: porro res exiſtentes ſunt minus neceſſariæ, Eſſentia Dei eſt maximè neceſſaria; ergo nulla debet eſſe connexio inter res exiſtentes, & Divinam Eſſentiam.

Difficultatem hanc occupavit D. Thomas, dum dixit, minus neceſſarium non habere connexionem cum magis neceſſario per mutuam utriuſque ad invicem dependentiam; bene verò per non mutuam: E. G. Veritas primorum principiorum habet connexionem cum Concluſionibus, quæ habentur ex primis Principiis; & tamen prima Principia ſunt magis neceſſaria: igitur nec ex hoc poteſt Vaſqueſius inferre, Deum per cognitionem Eſſentiæ ſuæ non cognoſcere creaturas.

Poſito itaque, atque probato, Eſſentiam Divinam eſſe medium, in quo Deus creaturas intelligit, videndum modò, an ipſamet Divina Scientia feratur in Creaturas, nedum eas intelligendo, verùm etiam producendo; ſeu an res creatæ ideo ſint, quia ſunt; an potius ideo ſint, quia cognoſcuntur a Deo; quæ poſtrema pars eſt hujuſce propoſitæ quæſtionis.

In hac itaque difficultate unum eſt, in quo conveniunt, alterum, in quo ad invicem digladiantur Theologi. Conſentiunt iſti, Scientiam Dei cauſſam eſſe ſaltem directivam Creaturarum. Conſtat id Sacris in Litteris, præſertim verò *ad Epheſ.* 1. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Liquet & hoc ratione naturali; non enim exiſtimari par eſt, cæcum authorem Deum eſſe, qui operatur ad extra, & non intelligens; ut conducat creaturas ad finem. An autem Scientia Dei non tam directiva ſit creaturarum, quàm etiam productiva; hoc eſt, an ſint, quia ſunt, an verò ſint, quia a Deo cognoſcantur, hoc maximè contenditur. Certum eſt tamen, ſententiam illam, quæ dicit, Scientiam Dei non tam directivam, quàm productivam eſſe creaturarum, ſententiam eſſe SS. Patrum, & maximè D. Auguſtini, quo duce & nos hanc ſuſtinemus. Is enim *lib.* 15. *de Trinitate* creaturarum omnium, cùm ſpiritualium, tum corporalium notitiam in Deo ponit quovis in ſtatu operatricem, & effectricem, his verbis: *Univerſas creaturas ſuas ſpirituales, & corporales, non quia ſunt, ideò novit,* *ſed*

Digitized by Google

ſed ideo ſunt, quia novit. Non enim neſcivit, quæ fuerat creaturus. Quia ergo ſcivit, creavit; non quia creavit, ſcivit. Quod etiam confirmavit *lib.* 11. *de Civitate Dei cap.* 10. *Occurit animo quiddam mirum, ſed tamen verum, quod iſte mundus nobis notus eſſe non poſſet, niſi eſſet; Deo autem, niſi notus eſſet, eſſe non poſſet.*

Id ipſum repetit *lib.* 13. *confeſſ. cap.* 38. *nos itaque iſta, quæ feciſti videmus quia ſunt: Tu autem, quia vides, ea ſunt.* Gregorius itidem Magnus in hanc venit & ipſe D. Auguſtini ſententiam *Expoſ. Moralis lib.* 20. *cap.* 23. *in* 30. *cap.* 3. *Job. Quæ ſunt, non ab æternitate ejus ideo videntur, quia ſunt, ſed ideo ſunt, quia videntur.*

Ad rem itaque veniamus: Deus operatur omnia per actum imperii *Pſal.* 148. *Ipſe dicit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt. Gen.* 1. *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis . . . . . . Et factum eſt ita.* Sed actus imperii eſt intellectus: ergo ſcientia Dei nedum eſt directiva, ſed etiam productiva creaturarum.

Accedit & alia ratio: Si Scientia Dei non eſſet directiva, & productiva ſimul, ita ut res cognoſcerentur, quia eſſent, non ideo eſſent, quia cognoſcerentur: Scientia Dei penderet a creaturis; nam haberet ab his menſuram veritatis ſuæ: repugnat hoc dici: Dei igitur Scientia eſt directiva ſimul & productiva creaturarum.

Scio, quod reponunt Adverſarii: pendet, inquiunt illi a creaturis, tanquam ab objecto, non tanquam a cauſſa.

At conſtat, hoc eſſe falſiſſimum. Si Scientia penderet a creaturis, tanquam ab objecto, ut objectum eſt, haberet ab hoc menſuram veritatis ſuæ: præterea nequit fieri, ut minor ſit dependentia Scientiæ Angelicæ ab objecto, ac ſit dependentia Scientiæ Divinæ. Porro Angelus in rebus ad extra intelligendis non accipit ſpecies ab objecto, ut objectum eſt, ſed a Deo: igitur ſi Angelica Scientia id habet, ut non dependeat ab objecto, ut objectum eſt, non erit id denegandum Divinæ Scientiæ quaſi inferioris conditionis ſit Scientiâ Angelicâ.

Nihilominus urgent adverſarii: nulla Scientia facit objectum ſuum, ſed tantum ſupponit; Si ergo Scientia Dei eſſet effectiva creaturarum, faceret objectum, non ſupponeret ipſum.

At non advertunt, illud axioma philoſophicum intelligendum eſſe de Scientia merè ſpeculativa, non practica. Scientia enim ſpeculativa videt objectum, non operatur; practica verò operatur illud. Unde cum Dei Scientia nedum ſpeculativa ſit, ſed etiam practica, conſequens eſt, ut nedum directiva, verum etiam productiva rerum ſit creatarum.

I 2 Jacti-

Jactitant nihilominus: Ex eo, quod res vel eſt, vel non eſt, intellectus eſt verus, vel falſus: unde res prius debet eſſe, quàm ab intellectu cognoſcatur.

Repono ego, vulgatum illud axioma eſſe exponendum de intellectu creato, non autem de Intellectu Divino. Cæterùm dico: Non eſt minor perfectio Intellectus Divini, quàm ſit perfectio Divinæ Voluntatis; ſed res, quas amat Deus ad extra, non ideo amantur, quia bonæ ſint, ſed ideo bonæ ſunt, quia amantur a Deo; quia amor Dei eſt operativus bonitatis in creaturis: itaque pari ratione, cum ejuſdem perfectionis ſit Intellectus, res, quæ a Deo cognoſcuntur, non ideo cognoſcuntur, quia ſunt; ſed ideo ſunt, quia a Deo cognoſcuntur, cum & hic ſit nedum ſpeculativus ſed etiam practicus.

Si porro reponant, Scientiam ſimplicis intelligentiæ non facere res poſſibiles, adeoque nec illam Viſionis, de qua agimus, facere poſſe exiſtentes: reponimus, latum eſſe diſcrimen has inter Scientias.

Nam prima Scientia merè ſpeculativa eſt, quia non habet adjunctum decretum Divinæ Voluntatis: ſecunda autem eſt practica, quia decretum habet adjunctum. Unde ſi prima res poſſibiles non efficit, hoc ipſum tamen præſtat ſecunda.

Majorem difficultatem adverſus hypoteſim noſtram teſtimonia faciunt aliquorum Patrum, qui ſunt Origenes *in cap.* 8. *epiſt. ad Rom.* S. Joannes Chriſoſtomus *in cap.* 5. *epiſt. ad Rom.* Juſtinus Martyr *lib. quæſt.* 58. *ad Gentiles* S. Hieronymus *dialogo* 3. *adverſus Pelagianos:* qui omnes teſtantur, non ideo res eſſe, quia cognoſcuntur a Deo, ſed eſſe, quia ſunt.

At facilis ſolutio eſt: quod enim dicunt, res ideo cognoſci, quia ſunt, intelligendum eſt de cognitione, quæ fit non ex cauſſa vera a priori, ſed quæ fit ex cauſſa a poſteriori. Dein hi Patres, & præcipuè Hieronymus, loquuntur citatis in locis de peccatis, non verò de bonis operibus, vel de creaturis, de quibus hic ſermo eſt. Id patet exemplo a Hieronymo ibidem adducto; ait enim, non ideo peccaſſe Adam, quia Deus cognoverit Adam peccaturum. Ex quo clariſſimè conſtat, quod neque ex hiſce SS. Patrum teſtimoniis extundi poteſt, ideo res eſſe, quia ſunt, ſed ideo eſſe, quia a Deo cognoſcuntur.

In ſequentibus, Viri Theologi, ampliſſimum diſputationis campum ingrediemur, de Divina Scientia quoad hominum peccata, & futura libera contingentia, diſputaturi. An de his Deus perfectam habeat, certamque Scientiam, & in quo medio ea cognoſcat inveſtigabimus, ac reſolvemus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO II.

Mala Cùm pœnæ, tum culpæ, futuraque libera contingentia certò Deum cognoſcere propugnatur; ſingularumque cognitionum media ſtatuuntur, demonſtrantur.

CUm in antehabitis multis probaverimus argumentis, dari in Deo veri, & ſtricti nominis ſcientiam, illumque Creaturas omnes in Eſſentia ſua, tamquam in medio cognoſcere, nec non Divinam Scientiam cauſſam eſſe omnium Creaturarum; reliquum modò eſt, ut quæramus, num Deus, & in quo medio mala tam pœnæ, quàm culpæ, & futura libera contingentia cognoſcat.

Hoc itaque præſentis Exercitationis argumentum erit. Quo circa, quantum ad priora duo attinet, illud pro certo ponendum eſt, Deum mala tam culpæ, quàm pœnæ certiſſimè noſcere. Cum enim mala culpæ ſtrictè prohibeat, & mala pœnæ pro malis culpæ nobis infligat, juſtus profectò non eſſet Deus, niſi utraque certò cognoſceret.

Eo itaque pro certo poſito, de malis pœnæ ita ſtatuimus: Deus mala pœnæ eo in medio cognoſcit, in quo cognoſcit bona ſenſibilia, quibus mala pœnæ nos privant.

Ratio in promptu eſt; quia privationes cognoſcuntur per formas, quibus privant: uti tenebræ per lucem, ægritudo per ſanitatem, æterna damnatio per felicitatem æternam; qua de re non eſt admodum diſputandum.

At illud nobis eſt operoſius inquirendum, in quo medio Deus mala culpæ, ſeu peccata certò cognoſcat; peccata, inquam, ſeu præſentia, ſeu futura: Ex. Gr. Petrum die craſtina infallibiliter peccaturum. Qua in re notandum imprimis eſt, in quocumque peccato diſtinguendum eſſe materiale, & formale peccati. Deus autem habet ad materiale peccati concurſum aliquem, ſeu ſimultaneum, ſeu prædeterminantem; habet etiam decretum aliquod permiſſivum quo ad formale peccati. Unde ſi Deus cognoſcat, Petrum cras peccaturum, non alia via cognoſcit, niſi quòd datur decretum Dei de concurrendo ad materiale peccati, & decretum permiſſivum; hoc eſt, non impediendi peccatum. Ratio verò, cur Deus ita cognoſcat, eſt: Primò quidem, quia cognoſcit infirmitatem humanæ naturæ, quæ ſibimetipſi relicta tentationi ſuccumbit, qua provocatur ad malum. Secundò, quia ſtatuit Deus humanam

minam Petri naturam ſuæ infirmitati relinquere, eamque Gratiæ ſuæ præſidio non juvare, ut peccatum ea in occaſione devitet.

En tamen quid Adverſarii reponunt: Si Deus certò novit, Petrum gravi tentatione pulſatum, & ad peccatum provocatum infallibiliter peccaturum, ſi Divinæ Gratiæ præſidio deſtituatur, eum tamen Gratiæ ſuæ præſidio deſtituit; erit profectò peccati conſors, atque incentor: uti planè homicidii conſors, ac reus eſt ille, qui cum certò noverit, Petrum aliquo in diſcrimine poſitum infallibiliter occiſum iri, Petrum eo in diſcrimine ponit.

Nonnulli, ut ab ea difficultate expediant ſeſe, reſpondent: Gratiam, qua Petrus tentationem ſuperaturus erat, & peccatum devitaturus, beneficium gratuitum eſſe, ac prorſus indebitum: atque ita non teneri Deum ad eam Gratiam Petro conferendam; peccatumque in Deum non eſſe ea in hypoteſi refundendum.

Bellè quidem, atque ſubtiliter. Verùm inquio ego: Eſto Gratia, qua peccatum devitaturus erat Petrus, beneficium ſit merè gratuitum, ſi abſolutè, ac per ſeſe ſpectetur; ea tamen in occaſione, in qua tenetur homo ex Divino præcepto ſuperare, & vincere tentationem, ex fidelitatis lege quodammodo debita eſt illa Gratia, ne Deus impoſſibilia præcipere cenſeatur: *Deus impoſſibilia* (ut loquitur Auguſtinus *lib de Nat. & Grat. cap.* 43.) *non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.*

Quapropter, ut a propoſita difficultate expediam meme longè felicius repono, idcirco Deum peccati conſortem non eſſe, & incentorem, tametſi hominem gravi tentatione pulſatum in ſuæ naturæ infirmitate relinquat, eumque ſuæ gratiæ præſidio non muniat, ut peccatum devitet; quia ſe ipſo paratiſſimus eſt Deus ad eam Gratiam conferendam, niſi peccator obſtinatione ſua obicem poneret; ut tunc Deus per Prophetam ſuum meritò dicat: *perditio tua ex te Iſrael; tantummodo in me auxilium tuum. Oſee* 13. *v.* 9.

At ecce gravior longè hinc oritur difficultas: idcirco Deus nequit dici conſors peccati, quia ſe ipſo paratiſſimus eſt ad Gratiam largiendam, niſi homo obſtinatione ſua obicem poneret: Sed ex Doctrina Doctoris Angelici *non ponere obicem Gratiæ eſt ex Gratia*: in idem igitur incidimus incommodum; Deum ſcilicet ſponte ſua negare homini Gratiam præſervativam a peccato, quia homini denegat Gratiam, qua ſola fieri poſſet, ut non poneret obicem Gratiæ. Sic certè *abyſſus abyſſum invocat in voce cataractarum.*

Repono tamen, duplici modo contingere poſſe, ut quis non ponat obicem Gratiæ; uno quidem modo poſitivè, aliquem actum eli-

eliciendo, quo ſuperet, vincatque quemcumque obicem; & hoc quidem modo non ponere obicem Gratiæ ex Gratia eſt: altero modo negativè, abſtinendo a quocumque actu, qui Gratiæ obeſſe poſſet; & hoc certè modo non ponere obicem Gratiæ ex Gratia non eſt; quia ad non agendum non eſt Gratia neceſſaria.

Muſſitant contra hoc Adverſarii: Deus ergo in hoc ſaltem erit author peccati, quia negat eam Gratiam, qua ſola homo eſſet non peccaturus.

Repono ego: licet peccatum ad denegationem Gratiæ ſequatur, non tamen per hoc denegatio Gratiæ dicenda eſt cauſſa peccati. Ponite V.G. lapidem ſupra columnam: ſi ſubtrahatur columna, cadentem lapidem ecquis non videt? Quæro ego; cauſſa lapſus illius lapidis debet ne dici amotio illa columnæ? Imprudenter diceret, ſi quis talia diceret. Cauſſa lapſus illius lapidis non eſt amotio; ingenita gravitas lapidis eſt: ſi enim levis eſſet lapis, licet amoveretur columna, non laberetur. Ita a pari ratio, cur homo, cui denegatur Gratia, peccet, non eſt, quia ei denegetur Gratia, ſed interna voluntatis malitia.

Nihiloſecius urgent: denegatio Gratiæ, licet non ſit phyſica cauſſa peccati, moralis ſaltem dicenda eſt; unde videmus, quod ſi peccatum eſſet lapſus lapidis, amovens columnam, ſi non phyſica, ſaltem moralis eſſet cauſſa illius peccati. Ita igitur Deus in Gratiæ ſuæ denegatione, ſi non phyſica, moralis ſaltem peccati cauſſa dicendus erit.

Repono tamen, idcirco lapſus lapidis, ac per conſequens illius peccati, quod in lapidis lapſu contineretur ea in hypotheſi; eo in caſu amovens columnam, diceretur cauſſa moralis peccati, quia columnam ſubmoveret, quam ſubmovere minimè deberet; imo non ſubmovere teneretur. Porro largitio Gratiæ non eſt ita Deo impoſita, ut eam teneatur omnibus æquè conferre: ex quo liquet, nec moralem cauſſam peccati ob denegatam Gratiam Deum eſſe dicendum.

En tandem quid in contrarium afferre ſolent Adverſarii: Si Deus denegaret Gratiam, & homo infallibiliter peccaret, homo eſſet natura ſua malus; quod certè coincidit cum errore Manichæorum; qui ex eo damnati ſunt, quòd ponerent hominem ex natura ſua malum. Reponimus tamen nos, hominem quidem ex natura ſua malum eſſe; ſed cum hoc dicimus, non intelligimus de natura, quatenus primò a Deo condita eſt; quæ erat Manichæorum ſententia, ſed de natura, quæ facta ſit mala per originale peccatum: atque ita tametſi damnati ſint Manichæi per hoc, quod impiè ſuſtinebant; nihiloſecius Concilium Arauſicanum II. Can. 22. definit, non habere hominem ſibi relictum, niſi peccatum. Si autem

tem dicerent, hanc naturæ perverſitatem per baptiſma fuiſſe ſanatam: Benè eſt: ſed ſanata dicenda eſt quantum ad partem animæ ſuperiorem, non quantum ad inferiorem; quia ſemper etiam poſt regenerationem retinet fomitem, & pronitatem ad malum.

Sed de his ſatis. Nunc ad tertiam propoſitæ quæſtionis partem accedamus; num ſcilicet Deus certò & infallibiliter futura libera contingentia cognoſcat, & in quo medio illa cognoſcat. Celeberrima hæc de futurorum ſcientia, Viri Theologi, controverſia eſt. Ex hac enim ceu a parente pendent controverſiæ illæ omnes, quæ ſub Pontificatu Clementis VIII., & Pauli V., inter Scientiæ mediæ defenſores, & Thomiſtas Theologos obortæ fuerunt.

Primùm igitur ſcire juvat, quid Theologi nomine futuri intelligant. Definitur futurum a D. Thoma id, quod eſt in diſpoſitione cauſſarum ſecundarum ad habendam exiſtentiam pro tempore futuro. Tali pacto futura denominat & D. Auguſtinus *lib. 6. de Geneſi ad lit. cap.* 17. ubi ait: *Deum futura facere, nihil eſt aliud quàm eorum cauſſas præparare ad hoc ut eſſent*. Id etiam ratio ſuadet: nam futuritio eſt denominatio quædam realis extrinſeca: V. G. quod futurus ſit Antichriſtus, veritas realis hæc eſt. Porro quæcumque denominatio realis pendet ab aliqua forma: ſi ergo futuritio pendet ab aliqua forma, a qua pendet? Non a cauſſis, ſi conſiderentur tamquam potentes producere effectum ſuum: tribuitur ſic poſſibilibus denominatio; determinatio autem cauſſæ in ſuum effectum non tribuit futuris denominationem, ſed exiſtentibus.

Hoc poſito, duplex de more futurum diſtinguitur, ſimpliciter nempe, & ſecundum quid. Futurum ſimpliciter illud eſt, quod eſt in diſpoſitione cauſſæ alicujus infallibilis; quia hoc pacto pro certo futurum erit. At verò futurum ſecundum quid illud eſt, quod eſt in diſpoſitione cauſſæ, quæ non eſt infallibilis, aut quæ poteſt impediri ex propria libertate: quo pacto videmus nonnullas Prophetias, quæ licet falſæ ſint, Prophetæ tamen, qui eas pronunciarunt, falſi dici nequeunt: V. G. *lib.* 4. *Reg. cap.* 20. prænunciata eſt futura mors Ezechiæ Regis: Iſaias enim dicit ad Regem: *hæc dicit Dominus Deus: præcipe domui tuæ: morieris enim tu, & non vives*; & tamen non periit, niſi poſt annos quindecim, qui diebus ejus additi ſunt, ut *in eodem capite verſ. 6.* illi per Prophetam ipſum promiſerat Deus. Porro Propheta falſus minimè dicendus eſt Iſaias; prænunciavit enim moriturum Regem, quatenus illius mors jam erat in diſpoſitione ſecundarum cauſſarum; quia videlicet laborabat ægritudine, qua naturaliter erat moriturus. Similiter *Jonæ cap.* 3. Prophetia eſt: *adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*. Et tamen Ninive non fuit ſubverſa; nec per hoc fal-

falſus Propheta dicendus eſt; quia videlicet prænunciavit ſubverſionem Ninive, quatenus erat in diſpoſitione cauſſarum ſecundarum, eo quod ſcelera illius populi id merebantur, ut intra hoc tempus ſubverſa eſſet, niſi pœnitentiam egiſſent: & quoniam pœnitentiam fecerunt, non fuit ſubverſa; nec tamen falſa Prophetia dici debet, quia facta fuit de futuro aliquo ſecundum quid.

Accedit & alterum: Nonnulla ſunt quæ dicuntur futura *abſoluta*; alia, quæ futura *conditionata* dicuntur.

Prima ſunt, quorum futuritio nulla conditione ſuſpenditur: Secunda, quæ aliqua conditione ſuſpenſa manent. Primorum exempla plura extant, inter quæ eſt Prophetia Antichriſti, quæ ſimpliciter facta eſt: nam Deus non ſpopondit, Antichriſtum ſub conditione venturum. Exempla ſecundorum multa itidem ſunt. Sciendum tamen, conditiones duorum eſſe generum: Aliæ ſunt diſparatæ, quæ ſcilicet nullam habent connexionem cum re, quæ futura dicitur: V. G. *lib.4. Reg. cap.* 13. *ſi percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſive ſepties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem*. Diſparata conditio eſt illa *percuſſiſſes quinquies, aut ſexies*. Nam nullam certè connexionem habebat percuſſio illa cum devaſtatione, quæ ſecutura erat. Alia eſt conditio, quæ connexionem habet cum effectu futuro: puta, dum in Evangelio habetur, quod ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ in Corozaim, & Bethſaida factæ fuerunt, in cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent; ibi prænunciata converſio eſt ſub conditione; ſi Chriſtus nempe apud eos illa miracula patraſſet, quæ apud Judæos patrarat. Porro miraculorum patratio, & id, quod erant facturi, habebant aliquam inter ſeſe connexionem moralem.

Alia itidem futura ſunt, quæ pendent ex conditionibus, ut ita dicam, connexis, ſed veluti infallibiliter, & metaphiſicè: V. G. Si Judæ Gratia efficax data eſſet ad converſionem, Judas converſus eſſet. Ibi prænunciatur conditio, quæ non modò cum converſione, quæ ſecutura eſſet, erat quomodocumque connexa; ſed quæ metafiſicè, & infallibiliter connexa erat. Si enim detur Gratia efficax, impoſſibile eſt, ut Judas non convertatur.

His itaque poſitis, ad quæſtionis reſolutionem properemus; num videlicet Deus certò, atque infallibiliter futura libera contingentia cognoſcat; & in quo medio ea cognoſcat.

Quod primum attinet a primis Eccleſiæ Patribus contra quoſdam Philoſophos diſputatum fuit, maximè contra Ciceronem, qui *lib.* 2. *de Divinatione* ait, non habere Deum futurorum liberorum certam cognitionem: nam ſi haberet, dicebat ipſe, deſtrueretur nobis ſollicitudo de rebus futuris peragendis. Habere itaque Deum certam futurorum liberorum cognitionem ſecundum fidem Scripturæ

negari nequit ; cum hoc nihil frequentiùs multis in locis in ipſa perlegatur ; imò Sacris in Litteris uſque adeo conſtat , habere Deum certam hanc futurorum liberorum cognitionem, ut ſi cognitio hæc Deo forte fortuna negetur, falſa eſſet cognitio Prophetarum.

Hi namque multa futura contingentia prænuntiarunt ; proindeque cum lumen Propheticum ſit emanatio Luminis Divini , ſi Deus non haberet certam futurorum iſtorum cognitionem, neque potuiſſent Prophetæ futura certò prænunciare.

Patet & id ratione naturali. Futurum eſt illud , quod eſt in diſpoſitione cauſſarum ſecundarum ad habendam exiſtentiam pro tempore futuro ; unde ille certè noſcit futura, qui determinationem noſcit cauſſarum ſecundarum ; noſcit autem Deus cauſſas ſecundas ; cum ille ſit prima cauſſa; igitur Deus certam habet futurorum liberorum cognitionem.

Ut tamen refellamus Ciceronis argutias , notandum , quod ipſe aſſerebat etiam, quod ſi Deus certam cognitionem haberet futurorum liberorum, liberum tolleretur arbitrium ; nam quod Deus novit certè futurum, id neceſſariò futurum erit.

At hæc argutia ſapit Oratorem , qualis ille erat, non Philoſophum, nec Theologum. Quod enim Deus noſcit futurum, infallibiliter quidem, ſed tamen liberè futurum erit; proindeque ſine læſione libertatis; quia prævidet futura ſecundum modum, quo futura ſunt, qui modus alius eſt libertatis, alius neceſſitatis.

Similiter ad ſecundum reponimus, videlicet quod tolleretur , ut ipſe ait , ſollicitudo , quia ſecum homo ita poſſet ratiocinari : Si Deus infallibiliter cognoſcit , me ſanctum fore , ero infallibiliter ſanctus ; ergo vana , & ſuperflua quælibet eſſet ſollicitudo mea . Reponimus, inquam, talem ratiocinationem ſtultorum eſſe; quia ſi Deus id futurum prævidit, novit id futurum eſſe per certa media ; E.G. Si novit agrum laturum fructus, novit etiam laturum fructus media cultura ; unde nequit ita ratiocinari : Deus novit, infallibiliter agrum fructus producturum ; ergo minimè attendenda eſt cultura : nam ſi Deus noverit, Petrum ſalvum fore, agrum fructus producturum, idcirco novit, quia certò novit Petrum opera bona editurum, agrum media cultura producturum meſſem : unde tantum abeſt dicere : ſive ſollicitus ſim, ſive non ſim, ſalvus ero : ut vice verſa dici debeat : ideo ſalvus ero , quia prævidit Deus me opera bona facturum ; & propter hoc legitur ſæpenumero in Scripturis : *curate per bona opera veſtra prædeſtinationem veſtram*. Quod tamen intelligendum venit in ordine executionis , non intentionis ; ut in Tractatu de Divina Prædeſtinatione a Thomiſtis explicatur adverſus Scientiæ Mediæ Defenſores ; quod & nos ſuo loco expendemus ;

Deum igitur certò, & infallibiliter noſſe futura libera contingentia ſatis demonſtratum arbitror. Ne porro ea in re memoranda nobis

bis ſit diutiùs immorandum, cum id ſolus Cicero denegaverit *lib.* 2. *de Divinatione*; ad alterum propoſitæ de futuris hiſce difficultatis membrum gradum facimus; de quo ſolent recentiores Theologi diſputare: in quo ſcilicet medio Deus futura illa contingentia libera cognoſcat. Sunt enim, qui putant, Deum ex æternitate antecedenter ad quodcumque ſuæ voluntatis decretum iſta cognoſcere, quos inter Ludovicus Molina Scientiæ Mediæ patronus. Sunt, qui putant, Deum ipſa cognoſcere in eorum veritate objectiva, ſeu in contradictione propoſitionum, quæ de futuris liberis contingentibus poſſunt efformari. Sunt, qui putant, Deum ipſa cognoſcere in eorum phyſica præſentia in æternitate; cum Deo quæcumque ſint in æternitate præſentia.

Ut nos recto ordine varias Theologorum iſtorum opinationes expendamus, noſtramque opinionem ſtatuamus, loco primo obſervandum eſt, Deum non cognoſcere futura iſta antecedenter ad quodcumque Divinæ ſuæ Voluntatis decretum, ſed in ipſo dumtaxat æterno prædeſtinationis Decreto; ita ut ea cognoverit, quia ea in æternitate ſua determinaverit.

Noſtra hæc erit hac in parte ſententia, quia D. Auguſtini, quem ducem in noſtris omnibus Theologicis Tractationibus habuimus, ſententia eſt. Hic enim quotieſcumque de futuris hiſce ſermonem habet, ſtatuit, Deum ea cognoſcere, quia ea futura prædeſtinaverit; *Libro* enim *de Prædeſt. Sanctorum cap.* 10. ait: *Prædeſtinatione Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus*: & *eodem in capite ſub fine* loquens de fide Gentilium, quam Deus futuram Abrahæ promiſit, ait, quia eam prædeſtinavit: dixit enim: *Credidit Abraham ſed credidit dans gloriam Deo, quoniam quæ promiſit, potens eſt & facere*: Non ait *prædicere*, non ait *præſcire*; nam & aliena facta poteſt prædicere, atque præſcire: ſed ait; *potens eſt & facere*, ac per hoc facta non aliena, ſed ſua. Similiter *de dono perſeverantiæ cap.* 17. poſtquam oſtendit, omnia bona opera noſtra eſſe Dei dona, ex conſequenti docet, idcirco Deum ea nobis dona conferre, quia prædeſtinavit; adeo ut non aliter noſcat bona opera noſtra futura, quàm quod ipſa prædeſtinavit: *Quod ſi & dantur* (verba ſunt Auguſtini) *ea ſe daturum eſſe præſcivit; profectò prædeſtinavit*. En itaque ex mente S. Doctoris, Deum futura prænoſcere non antecedenter ad Voluntatis ſuæ decretum, ſed in æterno prædeſtinationis decreto.

Hanc Auguſtini ſententiam D. Thomas non tam amplexus eſt, quàm multis comprobavit argumentis 1. *contra Gentes cap. 68. ratione* 2. Inter alia momenta hoc primum graviſſimum affert. Futurum eſt id, quod eſt in diſpoſitione cauſſarum ſecundarum ad habendam exiſtentiam pro tempore futuro; ergo Deus ſcire

nequit futura libera contingentia, niſi ſciat determinationem cauſſarum ſecundarum: Porro, ante decretum Divinæ Voluntatis, non novit Deus diſpoſitionem cauſſarum ſecundarum; nam harum diſpoſitio, & determinatio eſt maximè a decreto Divino; itaque in ſigno rationis antecedente decretum Divinæ Voluntatis nequeunt futura iſta cognoſci.

Alterum, quod affert momentum, eſt: Deus in cauſſis liberis cognoſcere poteſt effectus eo modo, quo continentur in cauſſa; ſed antecedenter ad Divinæ Voluntatis decretum effectus non continentur in cauſſis; cum cauſſæ illæ indifferentes, ſuſpenſæ, indeterminatæ tunc temporis reputentur: quomodo ergo poterit Deus in hiſce cauſſis futura iſta cognoſcere?

Accedit & alterum; quòd futura ante decretum Divinæ Voluntatis re ipſa futura non ſunt: quomodo ergo cognoſci poterunt a Deo futura, ut futura, antecedenter ad Divinæ ſuæ Voluntatis decretum, ſi re ipſa non ſunt futura; cum certè non dicantur futura, niſi per diſpoſitionem cauſſarum ſecundarum; & in ſigno antecedente cauſſæ ſint indeterminatæ, indifferentes, ſuſpenſæ?

Ludunt tamen Adverſarii teſtimonio quodam petito ex *Lib. D. Thomæ contra Gentes cap.67.* ubi docet, in cauſſis contingentibus non impeditis effectum infallibiliter cognoſci; unde cum in ſigno rationis antecedente Voluntatis Dei decretum voluntas humana ſupponatur non impedita, ſequitur inde, cauſſarum iſtarum effectus cognoſci utique poſſe antecedenter ad Divinæ Voluntatis decretum.

Non advertunt tamen, quod ubi docet D. Thomas, effectum certò, & infallibiliter cognoſci poſſe in cauſſa contingenti non impedita, loquitur de ea cauſſa, quæ eſt determinata ad aliquem effectum ſecundum ſpeciem; non de iis cauſſis, quæ ex natura ſua determinatæ non ſunt. Voluntas verò humana, licet ſit non impedita, non eſt tamen ex natura ſua determinata ad effectum aliquem ſecundum ſpeciem, ſed imò ex natura ſua eſt indifferens, ut poſſit amare, & odiſſe. Unde licet Deus cognoſcat voluntatem humanam non eſſe impeditam, tamen nequit effectus cognoſci antecedenter ad Divinæ ſuæ voluntatis decretum; quia ſcilicet aliunde poſſet impediri.

Repono & aliud: dum ait D. Thomas, in cauſſis contingentibus non impeditis effectum certò, & infallibiliter videri poſſe, de iis cauſſis loquitur, quas Deus cognoſcit non fore etiam unquam impediendas. Porro antecedenter ad Dei decretum, licet Deus cauſſas non impeditas cognoſcat, in eo ſigno tamen rationis non cognoſcit, an ſint fortè impediendæ: cumque accidat, ut licet in

illo ſigno rationis non ſint impeditæ, in alio tamen ſigno impediantur, vel per decretum oppoſitum, vel per electionem propriam, conſequens eſt, ut antecedenter ad ſuæ Voluntatis decretum Deus non cognoſcat, quid illæ cauſſæ ſint certò, & infallibiliter productura.

Unum tamen eſt, quo urget Molina: idcirco per vos, ait ipſe, Deus antecedenter ad Divinæ ſuæ Voluntatis decretum non videt certò futuros actus humanæ voluntatis, quia voluntas antecedenter ad tale decretum eſt indeterminata, & indifferens: At ſi ſic eſt, etiam poſt decretum remanet humana Voluntas indeterminata, & indifferens; igitur concludendum, aut D. Thomæ rationem nullius eſſe momenti, aut Deum antecedenter ad decretum ſuæ Voluntatis actus humanæ voluntatis cognoſcere.

At hoc mera æquivocatione laborat. Duplex enim indifferentia a Theologis diſtingui ſolet: Activa una; paſſiva altera. Prima ſita eſt in ſuſpenſione actus; Secunda in verſatilitate facultatis ad agendum, vel non agendum. Dum dicitur voluntas hominis antecedenter ad Dei decretum indeterminata, & indifferens, dicitur talis eſſe indifferentia paſſiva, quia in eo ſigno rationis determinata non eſt: at ſtatuto decreto manet indifferens indifferentia activa; quia adhuc retinet ob efficaciam Divinæ motionis capacitatem agendi, vel non agendi, amandi, vel odio habendi: unde neque ex hoc, quod etiam poſt Divinæ Voluntatis decretum maneat indifferens, inferri poteſt, Deum antecedenter ad ſuæ Voluntatis decretum actus voluntatis humanæ cognoſcere.

At unde habet ipſe, quod maneat indifferens poſt etiam Divinæ Voluntatis decretum? Hac de re multa Theologi excogitant. Sunt, qui putant, idcirco indifferentem manere, quia Deus antecedenter ad ſuæ Voluntatis decretum explorat, quid voluntas humana factura eſſet, ſi poſſet agere ſe ſola ſine concurſu Dei, ſive ſit hic *prædeterminans*, ſive ſit *ſimultaneus*; & dein determinat Deus quid ſit factura voluntas. Et en quod elapſa ætate putavit Theophilus Raynaudus *in libro* qui inſcribitur *Nova libertatis explicatio part.* 2. *cap.* 4. *num.* 35. Abſurdiſſimum ſanè: quaſi quod voluntas humana poſſet aliquid agere ex ſe, ſine Dei adjutorio.

Hanc tamen cogitationem ſunt alii, qui explanare conantur: Idcirco, ajunt iſti, voluntatem humanam, poſito etiam decreto, adhuc eſſe indifferentem, quia motio quæcumque Divina liberam, in creatura a Deo mota ſive per concurſum ſimultaneum, ſive per concurſum prædeterminantem, relinquit potentiam ad agendum, vel non agendum. Et en quo pacto conciliare ſe putant elumbem Raynaudi opinationem. Sed de hoc alibi ſermo erit.

PRÆ-

PRÆLECTIO III.

Quoad Divinam futurorum contingentium notitiam Syſtema Suareſii confutatur: agitur quoque de futuris conditionatis.

COnfutato in ſuperiori de cognitione futurorum contingentium Molinæ Syſtemate, poſtulat officii noſtri ratio, ut ad Franciſci Suareſii Syſtema pari efficacia impugnandum progrediamur. In qua tamen obeunda Provincia doleo vicem meam, quòd Dialecticas Inſtitutiones repetere debeam; cum Franciſcus Suarez Dialecticis cavillationibus ſæpius utatur; in iiſque ſummopere delectetur. Ad rem itaque veniamus.

Ut unicuique Syſtema hoc clariſſimè pateat, obſervandum imprimis eſt, Franciſcum Suareſium contendere, Deum ex æternitate etiam in ſigno rationis antecedente decretum noſſe futura libera contingentia in veritate objectiva, & in propoſitionibus contradictoriis, quæ de hujuſmodi futuris efformari poſſunt. Obſervandum itidem eſt, Philoſophos omnes, atque Theologos duplicem diſtinguere veritatem; formalem unam, quæ eſt in intellectu; objectivam alteram, quæ in rebus ipſis conſiſtit. Primam ajunt eſſe adæquationem intellectus cum re intellecta; ſecundam ſitam eſſe, juxta mentem omnium Philoſophorum, in connexione prædicatorum cum ſubjecto; adeo ut res, aut propoſitio vera in ſe dicatur, quando prædicatum propoſitionis concordat cum ſubjecto, ſeu libera ſit, ſeu neceſſaria. Notandum tandem de futuris omnibus poſſe efformari propoſitiones contradictorias; puta, *Antichriſtus erit*, *Antichriſtus non erit*. Contendit itaque Suarez, Deum ex æternitate in cognitione, quam habet propoſitionum contradictoriarum, cognoſcere quæque futura.

Quàm futilis ſit iſtiuſmodi opinio, paucis veſtros ob oculos ponam. Falſum eſt, Deum ex æternitate cognoſcere poſſe futura in veritate objectiva; quia futura illa in ſigno rationis antecedente decretum nullam habent veritatem objectivam. Nam cum veritas hæc ſita ſit in connexione prædicati cum ſubjecto, in ſigno rationis antecedente decretum non poſſet cogitari cauſſa illius connexionis: non intellectus; non voluntas; quia primus antecedenter ad Divinæ Voluntatis decretum nihil agere, aut intelligere poteſt; & in ſigno antecedente decretum Divina Voluntas nequit intelligi faciens illam connexionem; quia antecedenter ad decretum non cognoſcitur operativa, cum per decreta duntaxat

ope-

operetur. En igitur primum Suareſii momentum penitus everſum, ac diſturbatum.

Jam verò non poſſe cognoſcere in popoſitionibus contradictoriis, quæ de hujuſmodi futuris poſſunt efformari, res adeo plana videtur, ut mirari ſubeat, Suareſium, virum aliàs non mediocris ingenii, in hujuſmodi excogitatum deveniſſe. Ratio in promptu eſt. Lex propoſitionum contradictoriarum non fert, ut una ſit determinatè vera, alia determinatè falſa; ſed ut non poſſint eſſe ſimul veræ, & ſimul falſæ. Si ratio igitur contradictionis ſtat in hoc, quomodo noſſe poterit Deus futura libera contingentia in propoſitionibus contradictoriis, quæ de iis efformari poſſunt?

Ratio altera eſt hæc: ſi certa, & infallibilis cognitio haberi poſſet futurorum ex vi legis contradictionis, poſſemus nos etiam cognoſcere infallibiliter futura; cum & nos legem hanc contradictionis cognoſcamus. Quis porro hoc dixerit unquam?

Adderem etiam: Hoc Suareſii Syſtema ab ipſo, ejuſque Sodalibus confictum ad hominum libertatem tuendam ſervandamque, lædere eam potius, & penitus de medio tollere: nam ſi futura cognoſcantur ex lege contradictionum, non erunt futura liberè; ſed neceſſariò: quod enim eſt futurum ex principio neceſſario, neceſſarium futurum erit; contradictio autem eſt aliquid neceſſarium, ut patet per ſe ſe. Syſtema itaque illud Suareſii lædit potius, quàm tueatur hominis libertatem.

Quod porro opponit Suarez, D. Thomam ſæpius affirmaſſe ex duabus propoſitionibus contradictoriis unam eſſe determinatè veram, aliam eſſe determinatè falſam; id dictum eſt non pro omni ſigno rationis, quo efformari poſſunt propoſitiones contradictoriæ; ſed pro ſigno ſubſequente Divinum decretum. Ad id verò, quod una ſit determinatè vera, alia determinatè falſa, repono, hoc non ex lege contradictionum, ſed ex Dei decreto contingere.

Erit fortaſſe, qui dicat, propoſitionem hanc *Petrus convertetur* quocumque ſigno antecedente decretum habere ſuam veritatem; quia continget, Petrum converti: unde propoſitio illa veritatem habet quocumque ſigno rationis.

Repono ego: habebit quidem eſſe verum, non ratione præcedentiæ ad divinum Decretum, ſed potius ratione ſubſequentiæ ad ipſum; proindeque, ſi ea propoſitio formetur *Petrus convertetur* ante Decretum Dei, non eſt vera.

Erit etiam, qui obiiciat: in ſigno rationis antecedente decretum, propoſitio negativa ſemper eſt vera; puta propoſitio hæc *Antichriſtus non erit*, ante decretum Divinæ Voluntatis vera eſt, quia verum eſt dicere *Antichriſtus non erit*, ſi non erit id, per quod Antichriſtus exiſtere poteſt.

At

At hæc argutia mera eſt: ut vera ſit, propoſitio iſta *Antichriſtus non erit*, neceſſe ſolùm non eſt dicere *Antichiſtus non erit*, *ſi non eſt id* (hoc eſt decretum Dei) *per quod Antichriſtus non poteſt eſſe*; ſed *ſi non erit tale decretum*, dicatur oportet, ut ejuſmodi propoſitio in illo ſigno rationis vera ſit.

Itaque concludendum eſt nobis, quod res ſit futura, & a Deo noſcatur, non oritur ex contradictione propoſitionum, nec ex veritate objectiva; ſed ex eo, quòd ex æternitate ſit decretum aliquod, quod in tali eſſe conſtituat.

Neque opponere juvat: ſi idcirco res ſunt futuræ, quia ſupponitur decretum Dei præexiſtens, hominis libertas penitus læderetur; nam ut ait S. Anſelmus, *lib.* 1. *cur Deus homo cap.* 18. omnis ſuppoſitio antecedens, quæ non oritur a voluntate, & electione voluntatis, tollit libertatem: Porro ſuppoſitio præcedentis decreti non eſt ab hominis voluntate, nec oritur ex electione voluntatis humanæ; libertas itaque tolleretur ex hoc, quod ob præcedens decretum res eſſent futuræ.

Lepidè verò: omnis ſuppoſitio antecedens, quæ non oritur ex voluntate, ſeu ex electione voluntatis tollit libertatem, ſi orta ſit ex aliqua cauſſa particulari; ſi verò orta ſit ex cauſſa, quæ fons & origo ſit libertatis, non lædit libertatem; Deus enim cauſſa eſt, fons, & origo libertatis; nam ut ait D. Auguſtinus *lib. de corrept. & Gratia c.* 14. *Deus . . . . . . magis habet in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas*. Quod adeo verum eſt, ut apertiſſimè pateat ex damnatione propoſitionis illius Petri de Rivo anno 1476, qui Philoſophiæ Profeſſor erat in Univerſitate Lovanienſi: *quidquid ex inimpedibili per neceſſariam conſequentiam ſequitur, hoc inimpedibile eſt, & neceſſarium*. Quæ propoſitio damnata fuit a Xiſto IV. Pontifice Maximo, eamque damnationem in cenſura Leſii, & Amelii Lovanienſes Theologi referunt. Hæc ſatis dicta ſint quoad Suareſii ſyſtema de futurorum contingentium Scientia, eorumque veritate Divinum Decretum antevertente. Quamobrem ad futura conditionata Sermonem convertere neceſſum eſt, ut plenam integramque Theologicæ hujuſce futurorum quæſtionis notitiam exhibeamus. Ad hujus itaque intelligentiam difficultatis ſciendum eſt, futura libera Sacris in Litteris non omnia ejuſdem conditionis eſſe. Alia enim dicuntur abſoluta, alia conditionata. Prima illa ſunt, quæ futura ſunt nulla poſita conditione: conditionata illa, quibus conditiones appoſitæ ſunt. De primis jam ſatis diximus, de ſecundis itaque ſupereſt diſceptandum; quæriturque, an Deus habeat hujuſmodi futurorum conditionatorum certam Scientiam.

Futura hæc conditionata varia Sacris in Litteris proponuntur,

Pri-

Primum eſt Matthæi *cap.* 11. ubi prænunciat Chriſtus futurum eſſe, ut Tyrii, & Sidones converterentur, ſi facta fuiſſent miracula, quæ in Judæa a Chriſto Domino patrata fuere, hoc eſt, in Corozaim, & Bethſaida: *Væ tibi Corozaim! Væ tibi Bethſaida! quia, ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.*

Alterum eſt *lib.* 4. *Reg. cap.* 13. ubi Propheta Eliſeus ita loquitur Regem Iſraelis: *ſi percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſive ſepties, percuſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem.*

Tertium legitur *lib.* 3. *Reg. cap.* 11. ubi pari modo Propheta prænunciat, Iſraelitas corrumpendos fore ex conſortio Filiarum Gentilium, ſi eas ducerent in uxores: *non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras: certiſſimè enim avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos earum.*

Quartum futurum habetur in *Pſalmo* 131. ubi Deus portendit fore, ut Filii David uſque in ævum occupaturi ſint ſolium: *ſi cuſtodierint filii tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos: & filii eorum uſque in ſæculum, ſedebunt ſuper Sedem tuam.*

Gregorius de Valentia, infelix Gratiæ Molinianæ Martyr, in celebribus Congregationibus de Auxiliis *diſput.* 45. coram Clemente VIII. oſtendit, non habere Deum de his futuris, niſi conjecturalem quandam notionem; qua de re a Sapientiſſimis Conſultoribus damnatus fuit. Unde operæ prætium eſt demonſtrare, Deum non modò conjecturalem, ſed omnino certam, & infallibilem de futuris conditionatis ſcientiam habere. Unde porro id habemus? Primò, quia hujuſmodi futura declarata ſunt in Scriptura Spiritu prophetico; ſpiritus autem iſte propheticus non eſt ſubdubius, verſatilis, incertus, conjecturalis; ſed certus, & indubitatus quia eſt emanatio Divinæ Scientiæ. Si ergo Deus, imò Prophetæ ſpiritu prophetico prænunciarunt, neceſſariò concludendum eſt, certam habuiſſe notionem; aliàs peſſum iret vis prophetica. Sacris item in Litteris hæc futura quandoque prænunciantur, tanquam futura certiſſimè; ergo nequit habere Deus de hiſce futuris conjecturalem notionem, ſed certiſſimam, indubitatamque. Dum prænunciavit Jſaias futurum eſſe, ut Judæi corrumperentur, ſi filias Gentilium ducerent in uxores: *non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras: certiſſime enim avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos earum:* videtis, futurum hoc ab Iſaia certiſſimè prænunciatum. Futura itidem iſta a Deo legimus quandoque ſub juramento Sacris in Litteris declarata. Juramentum porro de re cognita fieri ſolet. Certiſſimè Deus declaravit, futurum eſſe, ut poſteri David regnum

ipſius in æternum occuparent: *Juravit Dominus exercituum, dicens (Iſaiæ 14.) Si non ut putavi ita erit, & quomodo mente tractavi, ſic eveniet, ut conteram Aſſyrium in terra mea.* Concludendum eſt igitur non conjecturaliter, ſed certiſſimè Deum futura iſta cognoſcere. Et hoc adeo verum, ut D. etiam Auguſtinus notitiam, quam de futuris hiſce habet Deus, tanquam certiſſimam noverit *lib. de dono perſeverantiæ cap. 9.* ubi expendens futuram illam Tyriorum, & Sidoniorum converſionem, ſi illæ apud eos factæ eſſent virtutes, quæ apud Corozaitas & Bethſaitas factæ fuerunt, a nullo dubitari poſſe fidenter pronunciat, viſis illis virtutibus non eſſe converſuros, cum Chriſtus certiſſimè adpromiſerit: *Sed numquid poſſumus dicere etiam Tyrios, & Sidonios, talibus apud ſe virtutibus factis, credere noluiſſe, aut credituros non fuiſſe, ſi fierent? cum eis ipſe Dominus atteſtetur, quod acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent divinarum illa ſigna virtutum.*

Unum tamen eſt, quod fucum aliquod præſeferre videtur. Quandoque in Scripturis futura illa perlegimus verbis dubitationem ſignificantibus: V. G. poſtquam Matthæi habetur *cap. 11. ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te*, Chriſtus eodem in loco ſubiungit: *fortè manſiſſent uſque in hanc diem.*

Hanc tamen argutiam occupavit in anteceſſum D. Hieronymus: Obſervavit SS. Doctor, verbum illud *fortè* in ore Dei non ſignificaſſe dubitationem, ſed libertatem viri futurum illud adimpleturi: ſuper *caput* enim *26. Jeremiæ* hæc habet: *Verbum ambiguum (forſitan) Majeſtati Domini non poteſt convenire, ſed noſtro loquitur affectu: ut liberum homini ſervetur arbitrium.* Et talis dicendi forma ſæpenumero legitur Sacris in Litteris: *Joannis* 8. *ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis.* Unde To *forſitan* non eſt vocabulum in hoc ſenſu dubitationis; nam qui ſcit Filium, & Patrem ſcire neceſſum eſt; ſed denotat tantùm To *forſitan*, Judæos Patrem liberè cognituros, ſi Filium cognoſcerent. Habetur etiam Deus alloquens Mulierem Samaritanam: *ſi ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: da mihi bibere: tu forſitan petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam. Joan. 4. v.* 10. Unde videtis verbum *forſitan* in ore Dei non dubitationem, ſed hominis libertatem denotare, aut ſi quæ alia hujuſmodi in Scripturis verba legantur.

Alterum tamen eſt, quod hac in parte negotium faceſſit; nempè, quod D. Auguſtinus *lib. de prædeſtinatione Sanct. cap.* 14. explicans illud *Sapient.* 4. de puero, qui, ut ait Sapiens, *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*, ait: *dictum eſt enim ſecundum pericula vitæ hujus, non ſecundum præſcientiam Dei, qui*

hoc

hoc præſcivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat: ex quo inferunt, non habere Deum, niſi conjecturalem tantùm iſtorum futurorum notionem.

At hæc conſequutio eſt omnino ſpuria. Eo in loco Auguſtinus non ait, notitiam non habuiſſe Deum lapſus illius pueri, ſi ad adultam ætatem perveniſſet; ſed futurum illud declaraſſe ratione periculorum hujuſce ſæculi. Contingit enim, Deum habentem certam notitiam futurorum non ſemper ea prænunciare ſecundum certitudinem, quam habet ex vi ſui decreti, ſed ſecundum diſpoſitiones cauſſarum ſecundarum; ut habetur in Prophetia Iſaiæ *cap.* 38. ad Regem Ezechiam: *diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives:* nec tamen obiit; namque adjecit ei Dominus ſuper dies ſuos quindecim annos vitæ: id enim prænunciavit ſecundum diſpoſitionem cauſſarum ſecundarum, non ex vi certæ notionis ſuæ. Hoc ipſum patet ex illa prophetia Jonæ *cap.* 3.: *adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur:* cum tamen Ninive ſubverſa minimè fuerit poſt dies quadraginta. Hoc autem ideo, quia prænunciatum id fuit, ſpectata civium improbitate, ex qua ſecutura erat ſubverſio attenta Dei vindicis ira. Quare videtis, Deum futurum hoc non declaraſſe ex infallibili, quam habebat, notitia, ſed ſecundum illius ſæculi corruptelam, quæ utique ſubverſionem promerebatur.

Jam ergo poſito, ſtatutoque dogmate certæ de futuris hiſce Scientiæ, quærendum eſt nobis, per quam Scientiam Deus futura hæc conditionata cognoſcat. Contendunt multi Theologi, per Scientiam viſionis id fieri, multi per Scientiam ſimplicis Intelligentiæ; Recentes verò Theologi, per Scientiam Mediam; de qua ſermo nobis in Prælectione futura.

PRÆLECTIO IV.

Quid ſit, & a quibus excogitata Scientia Media; & quid de ea ſenſerit Auguſtinus, exponitur.

LAbirintum ingredior hodie intricatiſſimum, dum de Scientia Media ſermonem inſtituo, a quo ut emergere facillimum ſit, tria ſunt nobis exponenda: Primo; quid Theologi intelligant nominæ Scientiæ Mediæ. Secundò; quandonam, & quinam primò in catholicas Scholas eam invexerit. Tertiò; quid de hac ſenſerit Auguſtinus. Quæ tria ubi ſemel erunt a nobis explanata ultra non erit, quod a nobis deſiderari poterit.

Hæc igitur Scientia Media eſt certa Dei cognitio futurorum liberorum conditionatorum independenter a quocumque decreto, ita ut Deus in æternitate nullo ſtatuto decreto præſciverit futurum conſenſum liberi arbitrii. Quæ conſecutiones ex hac fatales deriventur, nemo non videt. Exterminium Gratiæ efficacis hac admiſſa Scientia vitari nequit; nam cum Gratia efficax dari nequeat niſi poſito, ſtatutoque decreto, ſtat, quod hac Scientia Media de medio tollatur Gratia efficax; dein ſi ponamus, hominem conſenſurum Gratiæ nullo poſito, ſtatutoque decreto, Gratiæ non efficaci conſentit, ſed verſatili: & en quam fatalis ſit.

Notandum itaque, Mediam ideo appellatam eſſe Scientiam, quia Media eſt inter Scientiam *ſimplicis intelligentiæ*, & Scientiam *viſionis*. Per Scientiam enim ſimplicis intelligentiæ noſcit omnia poſſibilia; Per Scientiam viſionis noſcit omnia exiſtentia per quaſdam temporis circumſtantias. Per Scientiam Mediam intelligit Deus futura non abſolutè, ſed ſub conditione.

Quandonam verò, & quinam primò poſt Semipelagianos hanc in catholicas Scholas invexerit, ſupereſt, ut dicamus. Quocirca notandum velim, Beatiſſimum virum Ignatium celeberrimæ Societatis Inſtitutorem, S. Thomæ doctrinæ ſtrenuiſſimum ſectatorem fuiſſe, adeo ut, ne unquam ſectandæ Thomiſticæ doctrinæ zelum, quo vivendo flagrabat, a ſuis deficere poſſet, ſancita lege conſtituit quarta Conſtitutionum parte, *in Theologia legi vetus, & novum Teſtamentum, & doctrinam Scholaſticam S. Thomæ*. (a)

Ad ſuperos vocato Ignatio, quo ducti conſilio neſcio, tenendæ Thomiſticæ Doctrinæ Legem, qua contra novitates omnes Vineam ſuam ſacra veluti ſepe muniverat ſacer Parens, demoliri ſenſim aggreſſi ſunt Filii.

Anno

(a) De Ponte in Vita S. Ignatii. Balth. Alvares c. 2. cap. 14.

Anno ſiquidem 1558. in ea percelebri Congregatione, qua communibus votis ad ſupremam Societatis Præfecturam Didacus Laynes S. Ignatio ſuffectus eſt, ſtatuta Thomiſticæ tenendæ doctrinæ lex ſpecioſæ interpretationis obtentu *accommodatioris*, *utilioriſque Theologiæ edendæ*, concuſſa eſt. Ita quippe ſtatutum legimus: *In Theologia legetur vetus, & novum Teſtamentum & Doctrina Scholaſtica D. Thomæ. Perlegetur etiam Magiſter Sententiarum. Sed ſi videretur*, (notate verba) *temporis decurſu alius Author ſtudentibus utilior futurus, ut ſi aliqua ſumma vel liber Theologiæ Scholaſticæ conficeretur, qui his noſtris temporibus accommodatior videretur, gravi cum conſilio, & rebus diligenter expenſis per viros, qui in univerſa Societate aptiſſimi exiſtimentur, cumque Præpoſiti Generalis approbatione, perlegi poterit*. Hinc nova orta confeſtim opinandi licentia.

Quin & illud addiderim: ut hanc *accommodatioris*, *utilioriſque edendæ Theologiæ* ſtatutam legem perennaret, arduum ſanè opus, conſpirantibus omnium nationum ſelectis Theologis, P. Claudius Aquaviva Generalis Societatis Præpoſitus tentavit anno 1584. Romam enim adſcivit ex Hiſpania Joannem Azorium, Gaſparum Gonzales è Luſitania, Jacobum Tirium è Gallia, ex Auſtria Petrum Buzeum, Antonium Guiſanum è Germania, ut collatis cum Stephano Tuccio Italo conſiliis, librum de ratione ſtudiorum ederent, qui rejiciendarum, tenendarumve S. Thomæ opinionum inſtar Canonis haberetur. Præconceptus itaque ſtudiorum liber ſequenti anno in ſocietate vulgari cæpit, ac demum eo elapſo, Domeſticis typis Romæ prodiit anno 1586. Inter præſcriptas ibi Theologiæ Profeſſoribus regulas, (notate quæſo) hæc ordine quinta legitur: *In Theologia Doctrinam S. Thomæ, ut cavetur 4. parte Conſtitutionum, noſtri ſequantur, paucis exceptis:* Tum quæ ſint pauca illa, declaratur: *Noſtri itaque non cogantur defendere, quæ ſequuntur ... ſecundas cauſſas eſſe propriè, ac univocè inſtrumenta Dei: & cum operantur, Deum in illas primùm influere, aut eas movere*.

Et en cur anno 1588. nova quidem vulgaret Molina. At Scientiam Mediam Doctrinæ ſuæ caput, & corpus annis ante hac triginta & mente concepiſſe, & in Scholaſticis diſputationibus ſub Scientiæ naturalis nomine ſe propugnaſſe, profeſſus eſt. Quod etiàm in cauſſa fuit, cur Fonſeca ſuam illam metaphyſicam novitatibus famoſam ederet anno 1596. Verùm alta illa Scientiæ Mediæ myſteria ſibi ab annis ſupra triginta revelata gloriatur; ſed non ea palam eructare auſum eſſe, donec a Molinæ, Suareſii, Vaſqueſii, & Mendoſæ præviis revelationibus authoritatem accepiſſent.

Quid de hac ſenſerit Auguſtinus, quod altera aſſerti noſtri pars eſt,

eſt, nunc paucis exponam. Certiſſimum eſt, Scientiam Mediam ſeu præſcientiam futurorum eſſe remotiſſimam a mente D. Auguſtini, quinimò toto Cœlo ab ipſa diſceſſiſſe. Hoc demonſtro primum ex ipſa Molinæ confeſſione, dein iiſdem Auguſtini momentis. Auguſtinum, veluti tenebris neſcio quibus immerſum feſtivè, ac petulanter excipit nova luce perfuſus homo 1. *p. q.* 23. *artic.* 4. *diſp.* 1. *memb.* 6. ubi cum ſtatuiſſet, vocationem ad Gratiam ex conſideratione uſus liberi arbitrii factam eſſe, ut rigorem atque duritiem, ut ait, Prædeſtinationis omnino gratuitæ emoliret, hominumque animos plenè ſedaret, de S. Auguſtino ita ſubjungit: *Interim verò dum ſub ea quaſi caligine D. Auguſtinus, ad hoc non attendit*, eam ſcilicet Prædeſtinationis duritiem amovendam; quam ſi S. Doctor, ut ipſe quidem autumat, obſervaſſet, vocationem ex præſcientia uſus liberi arbitrii factam eſſe, ſine dubio pronunciaſſet.

Fuere, qui, Societatem priora illa verba in Auguſtinum, totamque Eccleſiam adeò contumelioſa e poſterioribus Molinæ editionibus expunxiſſe, dicerent. Id Vincentius Baronius admodum exaggeravit, ſuique nominis auctoritate traxit incautos. At afflictæ ſibi fraternæ charitati interceſſere, nec ſine ſtomacho, Ferrerius, Gabriel Henao, cæterique plures Societatis Athletæ.

Ea de re ſibimet gratulatur ac plaudit eodem in loco vanus homo poſt explicatos Minervæ conatus: ut vix nuperi *Erratorum* emendatoris audaciam ſatis capiam, qui nos ea parte calumniæ poſtulat, & Concordiæ librum nuſquam a nobis evolutum exprobrat: *Nos* inquit *pro tenuitate noſtra, rationem totam conciliandi libertatem arbitrii cum Divina Gratia, præſcientia, & prædeſtinatione tradidimus, ſequentibus principiis, ex quibus eam deduximus, quæque variis in locis tradidimus, inniti judicavimus. Quæ ſi data, explanataque ſemper fuiſſent, fortè neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta .... neque ex Auguſtini opinione, concertationibuſque cum Pelagianis, tot fideles fuiſſent turbati, ad Pelagianoſque defeciſſent; facilèque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in epiſtolis Proſperi, & Hilarii fit mentio, fuiſſent extinctæ.* Hæc de Auguſtino, Molina. Quæ ſane verba reſpicientes Theologi Salmaticenſes, ita ſcripſerunt: *Adverſum ſibi Auguſtinum ingenuè faſſus eſt primus ille, ut ipſe credit Scientiæ Mediæ Patronus Molina in ſua prima CONCORDIA Uliſipone typis mandata: quamvis poſtea experimento cernens, quantum indè ſuæ ſententiæ præjudicium ſequeretur, id in Lugdunenſi impreſſione ſubticuerit.*

Quam tamen editionem Lugdunenſem nullam ibi vivente Molina curatam novi, niſi quæ ex officina Buiſſonii Anno 1593. prodiit: at hæc, uti & altera apud Proſtium anno 1622. curata, eandem

dem cum Ulitipponenfi lectionem retinent: adeo ut neſciam undè ea aberratio fluxerit.

Quem ſanè loquendi modum, adeò Auguſtino injurioſum perpendens & Bellarminus è Societate Cardinalis ita *lib.* 1. de *Gratia & libero arbitrio cap.* 12. de Molinæ ſententia pronunciavit. *Hæc opinio aliena eſt omninò à ſententia B. Auguſtini, & quantum ego exiſtimo a ſententia etiam Scripturarum Divinarum.* Quod multis ejuſdem S. Doctoris teſtimoniis, & variis utriuſque Teſtamenti locis adſtruit.

Quid plura? Henricus Henriquez Theologus & ipſe è Societate præſtantiſſimus, Franciſci Suareſii Magiſter, Salmaticenſis Cathedræ Moderator, ut erat in Patrum, ac potiſſimum Auguſtini Doctrina apprimè verſatus, Molinæ de Auguſtini Doctrina minùs æquè ſentienti palam ſe, & conſtanter oppoſuit, eumque ob petulantem audaciam ſæpiùs interpellavit, moleſtè ferens, quod is ſua ſe induſtria obtinuiſſe jactaret, quod & Auguſtinus *in calligine poſitus non attendit*. Nec verbis id ſolum tentavit Henriquez, ſed publicis ſcriptis; neque veritus eſt in ſuo Tractatu ingenioſo quidem & erudito *de ultimo fine hominis*, Molinam reprehendere anno 1593. quo ſuum opus prælo dedit.

Præter quam quod, ut fatear quod verè res eſt, mirum id minimè viſum fuit, dum mihi legere contigit, tum Plauſtrum illud conviciorum, quo S. Doctorem onerarunt tot Molinianæ Scholæ Antiſtites, & præſertim Joannes Adamus in libro Gallicè inſcripto. *Calvin défait par ſoi-même & par les armes de S. Auguſtin, qu' il avoit injuſtement uſurpées ſur les matieres de la Grace, de la Liberté & de la Predeſtination*: Tùm illas vigintiduo propoſitiones quorundam obſcuri nominis Scriptorum, quas Valliſoletana Hiſpaniarum Inquiſitio confixit die 28. Martii Anno 1650. *ut injurioſas Sanctitati, Pietati, & Doctrinæ unius Columnæ Eccleſiæ Catholicæ, qualis eſt glorioſus Pater Auguſtinus.*

Sed ad poſitiva momenta confugiamus, quibus convinci a nobis poſſit, D. Auguſtinum non modò ſcientiam Mediam non agnoviſſe, ſed omnimode reprobaſſe.

Primum igitur momentum petamus ex hiſce illius ſententiis, queis futura ſola eorumdem prædeſtinatione, atque decreto ſciri conſtantiſſime docet. *Lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap.* 9. Cùm Semipelagianos illud arrodere animadverteret Auguſtinus quod *libro de ſex quæſtionibus Paganorum* ſcripſerat *quæſt.* 2. *Tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri:* quaſi hanc illam ſcientiam decretum omne avertentem, futurique conſenſus exploratricem admiſiſſet, difficultatem, hoc brevi

reſ-

reſponſo occupat: *cernitis, me ſine præjudicio latentis conſilii Dei, aliarumque cauſſarum, hoc de præſcientia Chriſti dicere voluiſſe?* Quibus ſatis innuit, nullam ſe iſtiuſmodi Scientiam agnoviſſe; ſed eam dumtaxat, quæ latenti Divinæ Voluntatis conſilio ſubnixa ſit.

Suffragantur & alia SS. Doctoris apertiſſima teſtimonia, ſumpta ex eodem *libro* 1. *cap.* 10. ubi hæc habet: *Prædeſtinatione ſua Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus.* Tum *cap.* 17. *An fortè nec ipſa dicuntur prædeſtinata? Ergo nec dantur a Deo aut ea ſe daturum eſſe neſcivit. Quod ſi & dantur, & ea ſe daturum eſſe præſcivit; profectò prædeſtinavit ..... Si nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non præſciuntur a Deo: præſciuntur autem: hæc eſt igitur prædeſtinatio, quam defendimus.* Ac demum *Cap.* 18. *Deum prædeſtinaſſe eſt, hoc præſciſſe quod fuerat ipſe facturus. Tract. 68. in Joannem: Fecit ergo ea* (futura) *prædeſtinando, facturus eſt operando.* Quæ omnia iiſdem fermè verbis leguntur *lib. de Dono Perſeverantiæ Capp.* 17. 18.

Si qua igitur futurorum ſcientia in decretis edendis regitur Deus, non illa utique, ſecundum Auguſtinum, quæ Decretum quodcumque prævolat, ſed ſuo quoque decreto ſubnixa eſt. Quod ni ponatur, non futura ſub conditione res erit, ſed mere poſſibilis reputabitur.

Multa itidem afferri poſſent, quæ tamen ſilentio prætermitto. Hoc unum ſcire juvat, quod tametſi Ludovicus Molina, ejuſque ſodales uſque ad tempora Clementis VIII. longè ab Auguſtino diſtarent; tamen cum Pontifex iſte primus omnium ſtatuerit, ut falſitas iſtius ſententiæ expenderetur, mutarunt loquelam boni Patres, & dixerunt eſſe de mente Auguſtini: unde factum eſt, ut in ſacris Congregationibus varia diverticula excogitarent, ut oſtenderent, de Auguſtini mente fuiſſe, & nuſpiam hanc Auguſtinum repudiaſſe. Ut tamen id evincant, multa congerunt S. Doctoris teſtimonia; quibus elucidandis muneris noſtri, & inſtitutæ diſputationis ratio compellit.

Primum momentum petunt tum ex eo Sapientis effato: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus;* tum ex altero Chriſti oraculo, *Matth.* 24. *Niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter electos, breviabuntur dies illi.* Utrumque ex Dei præſcientia dictum obtendunt Theologi Moliniani, qua & futuram pueri, ſi diutius viveret, corruptionem, & futurum electorum, ſi perſecutionis tempus produceretur, errorem certò præviderit.

At longè aliter quam Auguſtinus, imò ex directo contra Auguſtini mentem exponunt. Contra ex diametro loquitur Sanctiſ-

ſimus

Digitized by Google

ſimus Doctor *libro de Prædeſtinatione Sanctorum cap.* 14. *Hæc eſt tota cauſſa cur dictum eſt, a quocumque ſit dictum, raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, dictum eſt enim ſecundum pericula vitæ hujus, non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit, quod futurum erat .... ideſt quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum ſubtraheretur incerto; non quod peccaturus eſſet, qui manſurus in tentatione non eſſet*. Qua loquendi ratione ſignificat Auguſtinus, Deum pueri immatura ætate prærepti peccatum, ut futurum, ſi diutiùs viveret, minimè cognoviſſe, ſed ſolis ſpectatis ſæculi periculis teneram animulam futuris tentationibus ſubduxiſſe. Quod idem poſtremæ perſecutionis tempore ſentiendum.

At demus hoc totum, quod volunt Moliniani: Ad Scientiam Mediam confugere non eſt opus, qua iſthæc nec dum edito Decreto prævíderit. Satis Deo erit Scientia immoto decreto nixa, quam *viſionis* Theologorum vulgus appellat. Eodem quippe Decreto, quo Deus perſeverantiæ donum ad certum vitæ tempus puero largiri conſtituit, eum, ſi diutiùs viveret, & vitiatæ naturæ infirmitati relinqueretur, tentationum impulſu vincendum certiſſimè novit. Non abſimiliter, quo Decreto ſtatuit Deus Electis Antichriſti tempore victuris auxilium efficax impartiri, ad tot taleſve duntaxat tentationes ſuperandas, hoc ipſo novit haud dubiè, illos, ſi plures majoreſve tentationes ingruerent, eſſe caſuros.

Extat aliud ab iis quæſitum ſuffugium. Ajunt enim, Auguſtinum negantem præſcientiam ante Decretum, non negaſſe omnimode Scientiam Mediam, ſed abuſum Scientiæ Mediæ, in quem ſoliti erant incidere Semipelagiani; nam hi dum dicebant, Deum ante quodcumque decretum ea, quæ futura ſunt, prævidere, dicebant, ea futura motivum eſſe Divinæ Voluntatis ad alios reprobandos, ad alios prædeſtinandos. En abuſus Semipelagianorum, qui non modo tuebantur Scientiam Mediam, ſed Deum ex hac moveri ad aliorum reprobationem, aliorumque prædeſtinationem dicebant, ex quo inferunt non reprobaſſe Auguſtinum Scientiam Mediam, ſed abuſum Scientiæ Mediæ.

Verùm eſt hæc putida cavillatio. Attendant quæſo & videbunt, Auguſtinum negaſſe, quod Deus ante Decretum prævideat; unde patet, non abuſum dumtaxat, ſed & uſum Scientiæ Mediæ data opera confutaſſe. Sed Theologos Salmaticenſes Lemoſium, Alvareſium Gonetum, Juveninum, Maſſoulieum adeat quiſquis eo delectatur argumento. Faceſſant ergo nugaces, & cavilloſi circulatores.

Unum ſupereſt deſperatæ cauſæ præſidium, quo ſe recipere ut plurimum ſolent, dum hiſce acutis telis petuntur: negare nempe Auguſtinum prædeſtinationem dependentem a Scientia bonorum

operum eliciendorum ex viribus naturæ, non eliciendorum ex ope Gratiæ: unde ajunt; cum prædeſtinatio non fiat intuitu bonorum operum naturalium, ſed operum, quæ oriantur ex Gratia, ideo concludunt, in hypotheſi Semipelagianorum Scientiam Mediam Auguſtinum impugnaſſe.

At bona venia dico, ipſos non intelligere Semipelagianos. Iſti non intelligebant de præſcientia bonorum operum ex vi naturæ procedentium, ſed ex ope Gratiæ, non quidem efficacis, ſed verſatilis. Hoc enim diſcrimen erat inter Pelagianos & Semipelagianos, quod Pelagiani volebant fieri prædeſtinationem ex intuitu ſolùm operum naturalium; Semipelagiani verò, prædeſtinationem non ex hoc tantùm fieri contendebant, ſed etiam ex ope Divinæ Gratiæ.

Itaque ſi omnia rectè componantur, videtur Auguſtinus opugnaſſe è diametro Scientiam Mediam.

Disjectis igitur, dirutiſque futilibus Molinianorum momentis, queis Auguſtinum in ſuam partem trahere nitebantur; Videndum nobis eſſet, an D. Thomas Scientiam hanc noverit, ac ſuſtinuerit. Hoc tamen mittimus, cum nos Ludovicus Molina hoc onere ſublevaverit; nam cum dixerit in ſua *Concordia Divinæ Gratiæ & decretorum ad quæſt.* 23. *art.* 4. & 5. ſcientiam hanc omnibus Theologis ignotam eſſe, ſequitur neceſſariò concludendum, ignotam etiam D. Thomæ fuiſſe, cum & iſte inter Theologos computetur.

PRÆ-

PRÆLECTIO V.

Impugnatur Scientia Media rationibus Theologicis.

SCientiam Mediam D. Auguſtini authoritate ſatis ſuperque impugnavimus; Eam nunc Theologicis rationibus collidere vires noſtras impendamus, in quo obeundo munere non erit nobis inſudandum , cum ſatis ſint ea repetere, quæ in anteceſſum protulimus, dum de Scientia Dei agebamus.

Primo igitur loco, ſi meminiſtis, diximus, Scientiam Mediam non eſſe niſi certam, & infallibilem Dei Scientiam futurorum liberorum conditionatorum antecedenter ad quodcumque decretum; id ex confeſſione Molinæ oſtendimus; Jam ex illius definitione colligo , fidenterque pronuncio , Scientiam Mediam nullam , irritam, & caſſam eſſe ; quod totum hiſce rationibus demonſtro.

Ubi non datur, imò eſt impoſſibile objectum alicujus Scientiæ, impoſſibilis eſt ipſa Scientia ; objectum porro Scientiæ Mediæ eſt futurum liberum conditionatum ante quodcumque decretum; Si ſic eſt; non datur , nec eſt poſſibile ante decretum futurum conditionatum, nam ante decretum res merè poſſibiles reputantur, non conditionatæ , cum ſolum decretum cauſſa ſit , per quod res a ſtatu poſſibili diſtrahantur; unde non datur, imo impoſſibilis dicenda eſt hæc Scientia, cum non detur, nec ſit poſſibile ipſius objectum.

Succedit momentum alterum . Futurum illud eſt , quod eſt in diſpoſitione cauſſarum ſecundarum ad habendam exiſtentiam pro tempore futuro , id tum D. Auguſtini , tum D. Thomæ auctoritate probavimus . Porro antecedenter ad decretum res quæcumque non ſunt in diſpoſitione cauſſarum ſecundarum, cum ante decretum nulla cauſſa cenſeatur; nequit ergo dari hæc Scientia independenter a decreto , cum futurum nullum conditionatum ante decretum dari poſſit.

Accedit & aliud : Futuritio eſt denominatio quædam realis extrinſeca. Porrò ante decretum nulla determinatio realis eſſe poteſt; ergo nulla futuritio per conſequens ante decretum dari poterit.

Docuimus etiam in antehabitis, prædeſtinationem certam eſſe non tam certitudine præſcientiæ, ſed etiam certitudine mediorum; nempe certam eſſe non ſolùm ex cognitione , quam habet Deus rei , ſed propter certitudinem mediorum, quibus utitur ad hominem in finem rectum perducendum ; at ſi ſic eſt, vacat ſcientia Media ;

nam in ipſius hypotheſi prædeſtinatio eſſet ſolùm certa certitudine præſcientiæ, non autem mediorum. Velint ergo nolint iſtius defenſores fateantur, nullo modo eſſe admittendam.

Diximus quoque, res non ideo cognoſci, quia ſunt, ſed ideo res eſſe, quia à Deo cognoſcuntur; nam oſtendimus, eam proportionem ſervandam eſſe in Intellectu Divino, ac in Voluntate Divina; unde ſicut res non ideo bonæ ſunt, quia in ſe bonæ ſunt, ſed ideo bonæ ſunt, quia amantur a Deo; ita res non ideo ſunt, quia ſunt, ſed ideo ſunt, quia a Deo cognoſcuntur. Ex quo principio evidens eſt, non dari hanc Scientiam; nam in ejus hipotheſi ideo res cognoſcuntur, quia ſunt, non ideo ſunt, quia cognoſcuntur, cum hæc Scientia ſit merè ſpeculativa, non practica.

Alterum tandem reticere non poſſum longè gravius momentum, ex quo futilem eſſe Scientiam Mediam, nulliuſque neceſſitatis in Deo palam apertèque apparebit; Quod enim ſuperfluum eſt, nullo modo eſt admittendum; at Scientiam Mediam ſuperfluam eſſe, patet evidentiſſimè ex confeſſione Molinianorum: nam non alia de cauſſa neceſſaria eis eſſe videtur, quam ad faciendam decretorum concordiam cum libertate. Ad hanc porro faciendam neceſſaria dici nequit, nec umquam D. Auguſtinus, D. Thomas, cæterique Theologi ad Scientiam Mediam confugerunt, ſed ad omnipotentem Dei poteſtatem: quinimo per Auguſtinum iccirco Deus in prædeſtinandis hominibus non lædit libertatem, quia plus hanc habet in poteſtate Omnipotentia, quàm homo, moveatque hominum voluntatem non tam ſecundum ſubſtantiam rei, quæ peragenda eſt, ſed etiam ſecundum modum; moveat hanc V. G. ad actum amoris, moveat non ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum modum, qui competit homini amandi liberè.

Plura addere facile fuerit; ſed jam ſatis eſt probationum. Ea modo veniunt examinanda, quæ in hujuſce defenſionem a Molinianis in oppoſitum afferuntur, quæ intra breve ſpatium quemadmodum refelli a nobis non poſſunt: iccirco hoc in ſubſequentem exercitationem mittimus majori otio perficiendum.

PRÆ-

PRÆLECTIO VI.

Mo.inianorum argumenta ſolvuntur .

IMpugnata jam Theologicis rationibus Scientia Media : Quod juris & æqui ratio poſtulat in præſentia præſtabimus ; examinabimus nempe, qui bonus Mercurius Ludovico Molinæ ad defenſionem Scientiæ Mediæ exſuflavit.

Vocat nos igitur primò ad oraculum Chriſti Domini *Math. cap.* 11. expendendum, ubi profitetur Chriſtus ſe ſcire quo pacto Tyrii & Sidonii acturi eſſent pœnitentiam , ſi apud eos miracula facta eſſent , quæ apud Judæos facta fuerant . Ex quo hac inepta atque inſulſa argumentatione colligit ipſe , dari in Deo futurorum conditionatorum Scientiam independenter a decreto : Scivit Deus eo in loco futuram Tyriorum & Sidoniorum converſionem ſub ea conditione, ſi miracula apud eos facta fuiſſent, independenter a quocumque decreto; nam , ait ipſe , Chriſtus eo in loco non ſolùm ſignificat, ſe ſcire Tyrios & Sidonios fuiſſe convertendos, ſi apud eos miracula, quæ apud Judæos facta fuerant , peracta fuiſſent ; Sed etiam eo in loco objurgat Judæos , quod viſis miraculis pœnitentiam non egiſſent . Si porro Deus , concludit ipſe , noviſſet Tyrios & Sidonios medio decreto pœnitentiam acturos, quo ſe eis daturum Gratiam ſpopondiſſet , Judæos objurgare non potuiſſet ; nam ut quis corripi poſſit , qui non bene egerit , ad comparationem illius, qui bene egerit, requiritur , ut ambo fuerint in auxiliis æquales ; nam qui non bene egit dicere hoc pacto poſſet: *ſi nobis Deus dediſſet eam Gratiam, quam Tyriis & Sydoniis adpromiſit, ego quoque pœnitentiam egiſſem ;* Itaque vel Deus præſcivit futuram Tyriorum , Sidoniorumque converſionem independenter a decreto collativo Gratiæ , vel injuſta fuit objurgatio iiſdem facta, quia non daretur paritas in auxiliis.

En potiſſimum momentum, quod Moliniani *lydium lapidem* vocant, ad cujus contactum veritas Scientiæ Mediæ in aperto eſt . Tangamus & nos lapidem iſtum , videamuſque , an Scientia hæc argentea, vel aurea ſit; vel, dicam meliùs, plumbea, aut lutea.

Antequam tamen huic objectioni reſpondeam, oportet vos monitos faciam de re obſervatione digniſſima; nimirum idem argumentum , quo nos impetunt Moliniani Adverſarii , contra ipſos poſſe retorqueri . Enim verò non cogruunt inter ſeſe hujuſce Scientiæ defenſores. Alii ſunt , qui Ludovici Molinæ Syſtema puriùs aut

impu-

impuriùs ebiberunt. Alii ſunt, qui ad illud Suareſii ſuſtinendum voces, & animum converterunt. Qui primum Molinæ ſyſtema ſuſtinuerunt, dicebant, Deum hominibus pœnitentiam agentibus dediſſe Gratiam verſatilem, cujus efficacia ex libero pendet voluntatis arbitrio. Qui verò ſecundum Suareſii ſyſtema tueri conati ſunt, dixerunt, eos, qui re ipſe convertuntur, non habere tantùm Gratiam ſufficientem, & verſatilem, ſed congruam, contemperatam genio, & delectationi voluntatis.

Quo poſito, dico ego, tali pacto contra eos poſſe argumentum retorqueri, qui Suareſii ſyſtema ſuſtinuerunt.

Judæi, qui converſi non ſunt viſis miraculis, non fuerunt pares Tyriis & Sidoniis; quia Tyrii & Sidonii habuerunt Gratias idoneas, congruas, contemperatas genio, & delectationi ſuæ voluntatis: Corozaitæ verò, & Bethſaitæ Gratias habuerunt incongruas, non contemperatas genio, & delectationi ſuæ voluntatis. Unde reponi poſſet, eos nequaquam pares in auxiliis fuiſſe; proindeque a Deo corripi non potuiſſe, quia excuſationem hanc habuiſſent: ſi nobis dediſſet Deus Gratias, quas ſpoponderat Tyriis & Sidoniis, nos converſi eſſemus; cum eas tamen non dederit, ideo converſi non ſumus. Alio etiam ex capite pares non fuerunt Judæi; quia nempe Tyriis & Sidoniis collatæ fuiſſent Gratiæ in debitis circunſtantiis, & per hoc Tyrii & Sidonii convertendi erant; ex quo itidem capite, ecquis non videt, Judæos quoque excuſationem portendere poſſe? Videte ergo prima fronte, quàm futile ac caſſum ſit hoc Molinianorum Momentum. Ad propoſitum itaque Argumentum repono ego: ut quis juſtè corripi poſſit exemplo alterius, debent quidem eſſe pares in auxiliis ſufficientibus, quæ dant poſſe bene agere; neceſſe tamen non eſt, ut in efficacibus pares ſint, quæ dant re ipſa bonum agere, unde qui habet poſſe bonum agere, & non agit, corripi poteſt.

Urgent nihiloſecius Moliniani contra hoc: ut quis rectè corripi poſſit, debet poſſe bene agere eo modo, quo obligatur ad bene agendum, atqui obligantur homines non ad poſſe bene agere, ſed ad re ipſa bene agendum: ergo habere debent non tam auxilia ſufficientia, quæ dant poſſe, ſed etiam efficacia, ut corripiantur.

At hoc ludicrum prorſus eſt, ac deſperatæ cauſſæ apertiſſimum ſuffugium: nam qui donati ſunt Gratiis ſolummodo ſufficientibus, etſi non habeant poſſibilitatem in actu ſecundo bene agendi, hoc eſt exercendi actum ſecundum bonæ operationis; nihilominus juſtè corripi poſſunt, quia ea poſſibilitate carent ex ſua pravitate, ex majori duritie, & propria iniquitate. Plane contigit occaſione Tyriorum, & Sidoniorum; Judæi enim magis erant reluctantes voluntati Divinæ, quam Tyrii, & Sidonii; ideoque quod Gratia eis

data

data non ſit, revocatur in culpam ſuam, proindeque corripi non immeritò potuerunt.

Aliter etiam ad argumentum reponi poſſet. Nimirum Deum prævidiſſe Tyrios pœnitentiam acturos, minimè verò Judæos, in eo Decreto, quo iis Gratiam efficacem conferre, iſtis negare ſtatuerat. At quid inde? Num propterea objurgare iſtos comparatè ad illos juſtè non poterat Chriſtus? Minimè gentium. Objurgatio ſiquidem illa indirectè duntaxat, ac veluti ex conſequenti ad pœnitentiam referenda eſt; propriè verò, & directè refertur ad contemptum illum Signorum a Chriſto Domino patratorum, quem Judæi protervè, & per ſummam injuriam iniquiſſimè exercuerunt; quod Tyrii, & Sidonii, ex ſe minus protervi, minimè præſtitiſſent, etiam abſque ullo ſpeciali ſupernaturalis Gratiæ adjutorio; cum naturale ſit homini prodigia admirari, illorumque patratores, qnaſi ſupra hominum conditionem evectos, obſequiis proſequi, ac venerari: uti perſpicuum ſit in Populo Lyſtræ (*Act.* 14.) qui viſo miraculo claudi ſanati, Paulum, & Barnabam Deos appellare cæpit, iiſque Sacrificia parare; quod certè ex Gratia Dei minimè peragebat; cum Gratia movere homines nequeat ad actum idololatriæ perpetrandum. Vidit itaque Chriſtus Dominus Judæos pœnitentiam minimè acturos, in Decreto, quo converſionis Gratiam negare illis ſanciverat; Sed objurgavit de obice, quem propria malitia Gratiæ ipſi poſuerant, quemque Tyrii, & Sidonii, ſola natura duce, cum auxiliis communibus neutiquam poſuiſſent. Quamobrem prorſus inutile eſt, ad Scientiam Mediam Decreto priorem recurrere, ut Chriſti Domini objurgationem Judæis factam ab injuſtitiæ nota eximamus.

Eandem nunc probaturi Sententiam ad aliud oraculum confugiunt. Audiamus itaque. Sic illi ſubtiliter argumentantur: Scientia Media eſt Scientia futuri Conditionati, maximè futuri conſenſus humani arbitrii ante decretum. Porro eam præſcientiam futuri conſenſus ante decretum declarat Apoſtolus *in epiſt. ad Rom. cap.* 8. ubi Prædeſtinationis Myſterium explicandum aggreditur. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui*. Ajunt ergo, noviſſe Deum futurum arbitrii conſenſum independenter a decreto. Confirmant hoc authoritate Patrum Græcorum, S. Irenæi, S. Juſtini Martyris, S. Joannis Chriſoſtomi, qui agentes de vocatione Matthæi, & Pauli declarant, eos vocaſſe Deum, quando eos prænoverat conſenſuros & credituros; igitur ante decretum quodcumque Matthæum, & Paulum præſcivit Deus, conſenſuros, & credituros.

Non eſt tamen difficile utrumque refellere. Quod ad primum attinet, nempe decantatum illud Apoſtoli Oraculum, Doctoris

Ange-

Angelici obſervationem afferre ſat eſt: nimirum Apoſtolum ea loquendi formula non deſignaſſe duos actus divinos , quorum unus ſit *præſcientia*; alter *prædeſtinatio*; ſed duo munera ejuſdem ſimpliciſſimi actus , qui quidem actus & præſcit & prædeſtinat; & pro ut refertur ad notitiam, dicitur *præſcientia*; & pro ut refertur ad decretum *prædeſtinatio* appellatur.

Quod vero attinet ad Græcorum Patrum authoritatem, maximè D. Joannis Chryſoſtomi, reſpondeo, Deum vocaſſe Matthæum, & Paulum, quando prænoverat conſenſuros, & credituros, non jam notitia merè ſpeculativa; ſed eos vocaſſe , quando noverat notitia practica conſenſuros, & credituros, notitia videlicet prædeſtinatrice.

Plura addere hucuſque dictis facile fuerit; ſed cum aliis in locis hoc idem argumenti genus pertractavimus , & ſumus adhuc pertractaturi , præſertim verò in tractationibus de Divina Gratia, & de Prædeſtinatione gratuita Sanctorum, ideo ſatis eſſe impræſentiarum ducimus . In ſequenti verò de Divinis Ideis aliqua prælibabimus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO VII.

Divinæ Ideæ quid ſint; & num in Deo admittendæ, & quo pacto, explicatur, aſſeritur; tandem Platonis error refellitur.

HAbita de Divina Scientia Theologica diſputatione, poſtremam manum imponere neceſſum eſt Tractationi de Divinis Ideis; nam ſicuti Scientia Dei cauſſa eſt effectiva rerum; Idea Divina eſt veluti exemplar, ex quo Deus ad extra operatur. Idea igitur nihil aliud dicitur eſſe, quàm forma, ſeu imago intellectui objecta intra ipſum exiſtens, ad quam reſpiciens Artifex operatur, ſic V. G. Idea Pictoris illa eſt, ad quam reſpiciens Pictor, in tela pingit effigiem. Ita Divina Idea forma illa eſt, juxta quam Deus omnia operatur ad extra; & nihil eſt aliud, quàm divina eſſentia, quatenus eſt imitabilis a creaturis. Hac tamen in parte Platonis error ſeponendus eſt, qui primus omnium has ideas induxit, ſed pravo & erroneo ſenſu. Fixit hic Ideas in Deo veluti extra intellectum exiſtentes, & per ſe ſubſiſtentes; quinimo ultra progrediebatur, dicendo, Ideas Divinas a mente Dei effluxiſſe in mentem Angelicam, ex Angelica in animam univerſalem Mundi, ex anima univerſali Mundi in formas Cœlorum; & ex hoc obortus fuit error, cæleſtia corpora eſſe animata. Qui adeo ineptus ipſiſmet Gentilibus viſus fuit, ut cum eas Ariſtoteles perpenderit, dixerit: *Valeant Platonis Ideæ, quia nihil ſunt, aut monſtra ſunt*. Hic igitur quærendum accedit, num ideæ iſtæ, Chriſtiano tamen modo acceptæ, ad quarum exemplar Deus condiderit Univerſum, in Deo admittendæ ſint. D. Thomas 1. *part. quæſt. 16. art.* 1. ait: ideas neceſſariò ponendas eſſe in mente Divina; quinimo ex ipſis Fidei principiis comperimus Ideas eſſe admittendas. Unde hoc habemus? ex duplici Scripturæ Oraculo: *ex epiſtola ad Hebræos cap.* 11. *Fide intelligimus, aptata eſſe ſæcula Verbo Dei, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent:* hoc eſt erant in Deo inviſibilia. *Joann. cap.* 1. *Evangelii*, ubi de creatione Mundi loquens: *quod factum eſt*, inquit, *in ipſo vita erat*, nempe ex æternitate vita erat; Quomodo ergo erat? Repræheſentativè; quatenus eſſentia Divina repræheſentabat Divinæ ſuæ menti omnia futura; & certè Patres omnes Ideas illas tamquam ſumma Fidei capita in Deo noverunt. Has declaravit inter alios Boetius *lib.* 3. *de Conſolatione metro* 9. his verſibus.

Tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo: pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens, ſimilique imagine formans,
Perfectaſque jubens perfectum abſolvere partes.

Quibus etiam duplex ratio addi poteſt ex Angelico Doctore deſumpta. Primò: quælibet cauſſa intellectualis debet præcontinere effectum ſpiritualiter, ſed Deus eſt cauſſa intellectualis, ergo debet ſpiritualiter effectum præcontinere; nec alio modo poteſt, quàm quod ideis, eo Chriſtiano modo acceptis, creaturas repræheſentantibus: Secundò: ratio hæc eſt: niſi ponerentur in Deo ideæ illæ repræheſentantes creaturas, Deus veluti cæco modo Mundum condidiſſet, quemadmodum Pictor, imprudenter pinxiſſet, ſi nullam prius ſibi imaginem efformaſſet:

Sunt nonnulli, qui Patres aliquos nobis adverſantes in medium proferunt; D. Anſelmum *in monologio cap. 29.* D. Dioniſium Areopagitam *lib. de Divinis nominibus cap. 7.* Ajunt enim, Dionyſium Areopagitam, apertè negare, Deum cognoſcere per ideas; Anſelmum verò, ſimilitudines rerum conditarum in Deo non reperire. At futilis objecto eſt. Dionyſius enim eo in capite probat quidem, Deum non cognoſcere per Ideas, ſed per Ideas, quæ ab iis diverſæ ſint, quas nos expoſuimus; nimirum per Ideas Platonicas. Neque ex eo ſequitur, ſuperfluere in mente Dei, quia omnia per Scientiam producit; licet enim Scientia principium ſit rerum effectivum; Ideæ ſunt principium formale. Nec reponere juvat; ſi darentur in Deo hæ ideæ, in Deo eſſet aliquid æternum præter Deum; nam Ideæ iſtæ ſunt ipſamet Divina eſſentia, concepta ut imitabilis a creaturis;

Quibus itaque poſitis varia quærere Theologi ſolent; an iſtæ Ideæ multiplicentur, an verò una ſit? Quare huic tali pacto reſpondeo. Si idea ſumatur fundamentaliter, una eſt; cum eadem eſſentia ſit; ſi verò formaliter; multiplicatur: nam hinc diverſa eſt illa imitabilitas, quæ multiplicatur; cum variè imitetur Angelus, variè imitetur homo, variè Brutum, variè arbor, & ſic de reliquis.

Quærere & alii ſolent, quarum rerum in Deo dentur ideæ? Reſponſio in promptu eſt, datur in Deo Idea rerum omnium creatarum; quia res omnes eo ipſo, quod creatæ ſunt, variè imitantur, variè participant; quinimo datur etiam de poſſibilibus; quia Deus dum novit res eſſe poſſibiles, novit etiam variè poſſe imitari eſſentiam ſuam.

Quærunt & alii; an in mente Patris æterni detur Idea Filii & Spiri-

Spiritus Sancti ? Difficultatem hanc tamquam futilem irridet D. Thomas; nam de iis rebus ſolùm in Deo datur Idea, quæ variè participant; porro Filius, & Spiritus S. non vario modo participant a Patre æterno ; igitur concludendum, in mente æterni Patris dari non poſſe Ideam Filii, & Spiritus Sancti. Accedit etiam, quod Idea eſt repræheſentatio rerum, quæ a Deo fiunt ad extra. Porro Pater æternus non producit ad extra Filium, & Spiritum S. ergo nec ideam habere poteſt æternus Pater Filii, & Spiritus S. En igitur quàm paucis Tractationem hanc non omnimode inſalutatam reliquimus . Atque hic finis eſto inſtitutæ de Divina Scientia Accademicæ Diſputationis : Nunc de voluntate Dei ſupereſt diſputandum.

Digitized by Google

TRACTATUS
DE
VOLUNTATE DEI.

PRÆLECTIO I.

Objectum motivum Dei aliud non eſſe, quam Deum, ut ſummè bonum, oſtenditur.

ABſoluta de Scientia Dei Theologica Tractatione ad alteram de Voluntate Dei vocem, & animum convertamus; qua in re methodum Sententiarum Magiſtri ſervabimus, qui Tractatui de Scientia Dei hunc de Divina Voluntate ſubnectit. In hac itaque obeunda provincia otioſi diſputatoris fore cenſuerim, ſi in præludiali quæſtione agitanda diutiùs immorarer; nimirum num in Deo voluntas ſit? cum hoc nemo, quod ſciam, inficiari auſus ſit; nam omnes ferme Sacrarum Scripturarum paginæ de ea loquuntur; divinamque voluntatem probat ipſa conſtitutio naturæ; nullus eſt enim, aut eſſe poteſt, qui Deum intelligentem noverit, quem etiam & volentem non compræhenderit.

Ab hac verò ad alteram quæſtionem progrediamur, de qua ſolent diſceptare Theologi; nempe quidnam ſit objectum Divinæ voluntatis? Quod ut expediamus, notare juvat, Philoſophos atque Teologos duplex objectum diſtinguere. Unum, quod *Motivum* vocant: Alterum, quod *Terminativum* appellant. Primum illud eſt, ad quod fertur potentia; Secundum eſt illud, quod proprie movet potentiam ad ipſius objecti conſequutionem. Ad cujus reſolutionem ita concludo: Objectum motivum Dei aliud non eſſe, quam Deum, ut ſummè bonum, cum non moveatur niſi a ſe ipſo; hoc patet ex eo, quod legimus *proverb. 16. Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*; ut intelligamus, motum non eſſe Deum, niſi a ſua bonitate; & certè finis Dei nequit eſſe alius, quàm Deus ipſe; nam ſi Deus ipſe non eſſet, Deus ab alio penderet. Patet hoc totum ex amore creaturarum. Deus in amandis creaturis non afficitur, ſed Deus potius afficit, ejuſque voluntas non eſt af-

fecti-

Digitized by Google

ſectiva, ſed operativa, ut ait D. Bernardus *de amore Divino cap.* 4. his verbis: *non enim afficeris ad nos, vel a nobis, cum nos amas .... nos autem a te, ad te, & in te afficimur, cum te amamus*. Si ergo amor Dei eſt operativus, ſequitur motivum alium non eſſe, quàm Deum ipſum.

His omnibus addiderim, quod de Schola ſumptum videtur; Objectum motivum eſt ſpecificativum cujuſcumque potentiæ; repugnat porro, Deum ſpeciem aliquam ſumere a rebus a ſe creatis. Neque ex hoc ſequitur, quod imprudenter aliqui colligebant: ſi Deus haberet pro objecto motivo ſemetipſum, amor Dei non foret ſimplicis benevolentiæ, ſed foret amor concupiſcentiæ; unde ajunt iſti; Amor Dei non eſt amor concupiſcentiæ; ſed amor eſt amicitiæ; unde homines, qui amantur a Deo, amici Dei dicuntur. At hæc conſequentia oritur ex eo, quod non ſatis intelligant, quid amor concupiſcentiæ ſit. Cum enim hic ille idem ſit, quo quis amat, ut ex eo amore aliquid oblectamenti redundet, ideo ſtat, quod cum Deus non cenſeatur diligere, quaſi quod ex ea dilectione ei oblectamentum redundet, per hoc nequit amor ille concupiſcentiæ appellari.

Sunt qui nihiloſecius opponunt; Meretur homo apud Deum, Fidei dogma eſt; mereri enim propter opera bona definitum eſt contra Luteranos & Calviniſtas: porro dum vir meretur apud Deum propter opera bona, bonitas illorum operum movet bonitatem Dei ad conferendam Gratiam, Deus ergo non eſt motivum ſui ipſius. Repono tamen ego: quod ea opera bona Deum moveant ad conferendam Gratiam, diſtinguendum eſt nobis. Movent quidem Deum quatenus ab ipſo accepta ſunt, non verò per ſeſe abſolutè ſpectata; unde ratione ſuæ acceptationis homo promeretur, non ex vi operum ſuorum.

Fuit qui difficultatem movit graviorem ex D. Auguſtino deſumptam *lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 21. ubi exponens ea *Geneſeos* verba *cap.* 1. *Deus dixit fiat lux, & facta eſt lux. Et vidit Deus lucem, quia bona eſt:* ait Auguſtinus, *Si ergo quærimus quis fecerit? Deus eſt. Si per quid fecerit? Dixit fiat, & facta eſt. Si quare fecerit? quia bona eſt*. Bonitas ergo lucis eſt objectum motivum Dei. D. Thomas ea Auguſtini verba perpendens, maximè illa *quia lux bona eſt; ly quia* Doctor Angelicus ea in occaſione obſervavit, non notare cauſſam motivam; ſed conditionem tantum, ſine qua Deus creare non poteſt. Nam cum aliquid mali creare nequeat, & creare nequeat niſi bonum, addit, *ly quia* denotare rationem a poſteriori, non verò a priori. Probato jam, ac bono in lumine poſito objecto motivo Divinæ Voluntatis, altera ſe nobis offert quæſtio examinanda: num Deus amet ſemetipſum neceſſariò, an liberè? qua de re in ſequenti dicemus.

PRÆ-

PRÆLECTIO II.

Num Deus amet ſeipſum neceſſariò, an libere?

QUæ mihi hodierna Prælectione venit difficultas expedienda, tota in ſui reſolutione pendet ex terminorum intelligentia. Dum quærimus enim an Deus amet ſemetipſum neceſſariò, an liberè? tota hæc quæſtio pendet in *ly neceſſariò, & liberè*. Unde exponere juvat, quid per eas voces Theologi intelligant. Amorem itaque neceſſarium duplicem diſtinguunt Theologi; Unum neceſſarium quantum ad ſpecificationem, uti Scholæ barbaries loquitur; quantum ad exercitium alterum. Primum eſt, quo quis ita objectum aliquod amat, ut illud odio habere non poſſit, licet actum amoris ſuſpendere poſſit. Secundum illud eſt, quo quis ita amat objectum aliquod, ut non tantùm non poſſit habere odio, ſed nec ſuſpendere actum amoris, eo modo, quo beati dicuntur amare quo ad exercitium, quia non tam non odiſſe, ſed nec ſuſpendere actum ſui amoris poſſunt. Similiter liberum amorem duplicem diſtinguunt; Alter a neceſſitate, alter a coactione. Primus eſt ille, qui eſt a principio intrinſeco, & a potentia electiva. Secundus eſt ille, qui fit a principio aliquo externo commovente & conferrente vim paſſo. Ad cujus reſolutionem, indubitatum eſt; Deum amare ſe ipſum utraque neceſſitate, & quo ad ſpecificationem, & quo ad exercitium. Quoad ſpecificationem patet, nam illud dicitur ſe neceſſariò, neceſſitate quo ad ſpecificationem, amari, quod odio haberi nequit; porro Deus, ita ſe amat, ut ſe odiſſe nequaquam poſſit; quia Deus in ſemetipſo nequit depræhendere aliquam rationem mali. Quoad exercitium verò, ſe neceſſariò amare Deum, patet ex triplici capite. Primo ex proceſſione Spiritus S. Spiritus S. enim procedit neceſſariò a Deo; nam ſi Deus deſineret ſpirare Spiritum S.nec Deus eſſet Deus, nec Spiritus S. eſſet Deus; porro proceſſio Spiritus S. eſt ex amore. Conſtat igitur Deum ſe amare quo ad exercitium. Erit fortaſſe, qui dicat, D. Thomam *de Potentia quæſt.* 10. *art.* 2. *ad* 5. aſſerere proceſſionem Spiritus S. eſſe liberam. Repono ego, D. Thomam eo in loco de libertate non a coactione loquutum fuiſſe, ſed de libertate, quæ fit a neceſſitate; quia Pater nullo cogente ſpirat Spiritum S.

Altera probatio eſt; quod Deus neceſſariò & eſſentialiter eſt beatus, & ſi Deus non eſſet beatus, Deus non eſſet Deus, cum eſ-

ſentiæ Dei maximè congruat beatitudo; Porro ad beatitudinem neceſſarius eſt amor ſupremæ bonitatis. Hoc totum Beatorum exemplo poteſt confirmari: Beati enim amant Deum neceſſariò quoad exercitium, ita ut actus amoris ſui nec temperari, nec ſuſpendi poſſit; Multo minus igitur Deus, qui multò magis beatus eſt.

Altera accedit probatio. Quod nempe Deo eſt arroganda omnis perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ reperitur in creaturis; ſed in creaturis intelligentibus reperitur amor neceſſarius ſupremæ bonitatis; ergo & in Deo amor hic neceſſarius erit reponendus.

Opponet nobis quiſquam, falſum eſſe, quod vulgò jactatur, nempe amorem ſummæ bonitatis eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem; nam inquiet ille, amor liber perfectior eſt amore neceſſario, quia actus, qui cum Dominio exercetur, eo perfectior eſt, qui ſine dominio exercetur. Sed dum dicitur, amor ille eſt perfectior neceſſario, intelligendum eſt de illo amore, qui fertur circa bonum finitum, & limitatum; ſecus verò de illo, qui fertur circa bonum infinitum & illimitatum, & in quo nulla reperitur ratio mali.

Urgent nihilominus alii, Theologicum illud axioma afferentes; quidquid eſt a voluntate, liberum eſt; ſed Spiritus S. eſt a voluntate; ergo in ſe liber eſt. Erroneum hoc, & abſurdum eſt dicere: Id liberum eſt, quod eſt a voluntate, ut voluntas potentia indifferens eſt, non ut natura eſt; amor verò Dei a voluntate eſt, ut natura eſt, non ut potentia indifferens eſt. Nihil eſt ergo, quod ex eo axiomate ab iis extundi poſſit.

Futilis etiam eſt altera quorumdam objetio dicentium, quod ſi Deus non amaret ſeſe amore libero, Deus non mereretur. Concedo & ego mereri non poſſe Deum; nam cum meritum jus ſit ad præmium, quale Deo præmium competere poteſt? a quo acciperet? quin imo Deum non mereri, orthodoxa veritas eſt. Nec refert, quod dicant: Meritum quædam perfectio eſt; quare igitur in Deo non admittenda? Meritum eſt quidem perfectio apud nos, non verò apud Deum; dein meritum eſt perfectio ſecundum quid, quia in ſuo conceptu imperfectionem involuit, quatenus ille, qui meretur, cenſetur ei ſubjectus, apud quem meretur. Cum igitur Deus nemini ſubjectus ſit, apud quem poſſit promereri, ſequitur concludendum, meritum in Deo dari nequaquam poſſe.

Supereſt alia longè gravior difficultas eliquanda, de Amore nempe, quo Deus creaturas ſuas proſequitur. Quæ tamen, ut uberem dicendi materiam præbet, ita diſtincta ac peculiari Diſſertatione in ſequenti pertractabitur.

PRÆ-

PRÆLECTIO III.

Quo Amore Deus creaturas ſuas proſequatur, oſtenditur.

DE Amore, quo Deus creaturas ſuas proſequitur pro modulo Noſtro diſputaturi, ea reminiſci neceſſe eſt nobis, quæ de iiſdem creaturis in antehabitis dicebamus, occaſione Divinæ Scientiæ; hoc eſt creaturas omnes varii ordinis eſſe. Aliæ nempè præteritæ ſunt, aliæ præſentes, aliæ futuræ, aliæ merè poſſibiles; de quibus omnibus moveri quæſtio poteſt, an omnes amet Deus? Quod igitur ſpectat ad creaturas exiſtentes, præteritas, & futuras, has Deum amare indubitatum eſt, cum hoc non tam Scriptura, quàm Theologica ratione compertum ſit: *diligis enim omnia quæ ſunt* (ita *lib. Sapient. cap.* 11. habetur) *& nihil odiſti eorum, quæ feciſti:* quod etiam ratio ſuadet. Amare enim eſt alicui bonum velle; Deus porro his omnibus bonum vult; nec dubium igitur, quod Deus creaturas omnes exiſtentes, præteritas, & futuras amet. Num verò Deus amet creaturas futuras pro eo ſigno rationis, quo adhuc futuræ ſunt, oritur difficultas. Nam quis fortaſſe dicet; Deus dicitur amare creaturas, quatenus iis bonum vult, bonum nempe exiſtentiæ; hoc eſt communicat eis eſſe ſuum; At quoto tempore creaturæ futuræ ſunt, non communicat eis Deus nec eſſe, nec bonitatem; ergo non amat Deus creaturas futuras pro eo ſigno rationis, quo adhuc futuræ ſunt. En quod vulgò in oppoſitum jactari poteſt; ſed commoda adeſt reſponſio. Dum dicitur Deus eatenus amat, quatenus ſuum eſſe communicat, dicitur amare amore externo, & efficiente; non verò interno & decernente; & hoc amore amat creaturas exiſtentes: antequam autem res procudat, interno eos amore proſequitur, quia ex æternitate decrevit bonum eis communicare. At amor ille, qui a nobis pro creaturis futuris poſitus eſt, liber, & non neceſſarius eſt, quia in creaturis non datur, niſi bonum limitatum, proindeque liberum amorem exigunt.

Erit ſtatim, qui dicat: Bonitas Divina finis eſt omnium creaturarum; Bonitas autem Divina amatur neceſſariò: ſed eo modo, quo amatur finis, amantur & media, quæ ad finem directa ſunt; ergo & futuræ omnes creaturæ pro eo ſigno rationis, quo futuræ ſunt, neceſſariò amantur a Deo.

At hæc mera æquivocatio eſt. Eo modo, quo amatur finis, amantur & media, ſi finis dependeat a medio; at creaturæ, cum

ſint

ſint quædam media, a quibus finis minimè dependet, conſequens eſt, quod licet Divina Bonitas, quæ finis eſt omnium creaturarum, neceſſario amore diligatur; creaturæ tamen, quantumvis media, hoc amore non diliguntur. In his tamen omnibus, ut verum fatear, nulla difficultas eſt; ſed in hoc ſita eſt, num amet Deus creaturas poſſibiles? hoc eſt, de quo litigant invicem inter ſeſe Theologi. Nos itaque hac in re tali pacto ſtatuimus; Deum neque amare creaturas poſſibiles, neque amare poſſe. Amare enim eſt alicui bonum velle, ſed poſſibilibus creaturis nil boni vult Deus; nam primum bonum eſt eſſe; Deus autem poſſibilibus rebus non vult exiſtentiam; quinimo dicuntur poſſibiles per hoc, quod Deus ipſas non ſit producturus.

Inquiet quis, Deus amat Omnipotentiam ſuam; ergo amat neceſſariò res poſſibiles; nam qui amat aliquid, ex conſequenti illud etiam amat, quod adeo cum illo connexum eſt, ut ſine illo, res haberi nequaquam poſſit: Porro res poſſibiles ita ſunt connexæ cùm Omnipotentia, quod ſi non eſſent poſſibiles, Deus non eſſet Omnipotens. At inquio ego. Principium hoc, quod fingit iſte, verum non eſt. Nam quando quis aliquid amat, amat & id, quod cum eo connexum eſt, quando illud in ſe capax amoris ſit, ſecus ſi incapax. Habemus exemplum. Deus amat pœnitentiam, pœnitentia intimè connexa eſt cum peccato, & tamen amando pœnitentiam non amat peccatum: ita Deus amat vindicem juſtitiam ſuam, connexa eſt hæc cum culpa; & tamen amando juſtitiam ſuam, non amat culpam. Amat itidem Deus Incarnationem; Incarnatio non fuit, nec fuiſſet, niſi & fuiſſet Adæ peccatum; & tamen amando Incarnationem, non amat Adami peccatum. Unde patet, principium illud non eſſe univerſaliter verum; quod ſi aliquando verum ſit, eo ſolùm in caſu eſt intelligendum, quo capax amoris ſit id, quod eſt connexum cum eo, quod amatur. Poſſet etiam aliter reſponderi: qui amat aliquid, amat & id, quod cum eo a priori, non verò a poſteriori connexum eſt; Poſſibilia porro connexa ſunt cum Omnipotentia conſecutione a poſteriori; cum poſſibilia non ſint cauſſa Omnipotentiæ, ſed effectus.

Alterum eſt, quod videtur ſolutu graviſſimum. Deus vult omnes homines ſalvos facere, & etiam reprobos; ſi velit ergo & reprobos, amat etiam eorundem ſalutem; At ſalus reproborum non eſt niſi poſſibilis; non enim futura eſt; concludendum eſt igitur, amare Deum res etiam poſſibiles. Ego tamen nec flocci facio hujuſce propoſitæ difficultatis vim. Do ultro citroque, velle Deum reproborum ſalutem, & eam amore proſequi; at quod addunt, ſalutem reproborum eſſe tantùm poſſibilem, conſtanter

nego. Futura eſt, non quidem abſolutè, ſed inchoatè. Quo pacto? Eo ipſo quod Chriſtus Sanguinem fudit pro ſalute reproborum, ſalus hæc habet quoddam veluti initium futuritionis in voluntate Dei.

Alia longè multa addere poſſem: ſed dum agemus de Voluntate antecedente & conſequente, quantum Theologi officium poſtulat ea de re differemus; quod Deo volente in ſequenti præſtabimus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO IV.

Quid nomine Voluntatis antecedentis, & conſequentis intelligendum ſit, explicatur; & num in Deo Voluntas antecedens ſit verè, propriè, & formaliter in Deo, quæritur.

Hodie in profundum diſputationis impingimus, dum de antecedente & conſequente Dei voluntate aggredimur diſceptandum; cum multi, qui hac noſtra ætate floruerunt, ex hac maximè notitia a vera Religione deſciverint. Quare neceſſum eſt, ne fortè in eas tenebras incidamus, ut ſtudium omne in hujuſce Voluntatis antecedentis & conſequentis elucidatione, impendamus.

Diſtinctionem itaque Voluntatis in antecedentem, & conſequentem protulit primus omnium Joannes Damaſcenus *lib.* 2. *de Fide orthodoxa cap.* 2. ex Damaſceno poſtea in Magiſtrum Sententiarum derivata eſt; ſubinde ad D. Thomam; & ab hoc in omnes fermè Theologos ſubſecuta fuit. Quid nomine Voluntatis antecedentis & conſequentis intelligi debeat, non conſentiunt Moliniani. Eam enim antecedentem appellant, quam habet Deus de ſalute hominum, nondum ſpectata hominis voluntate; eam conſequentem vocant, quam Deus habet, aliquorum ſpectata voluntate. Alii verò non dant eandem nobis ideam, nam eam antecedentem nominant, qua Deus vult hominum ſalutem, abſque ulla circumſtantiarum conſideratione; Eam conſequentem, qua vult aliquorum ſalutem, ſpectatis circumſtantiis. Janſenius *lib.* 9. & 10. de *Gratia Chriſti Salvatoris*, contendit in Deo eſſe Voluntatem antecedentem ſpectatis hominibus ante lapſum naturæ humanæ; conſequentem verò ſpectatis hominibus poſt humanæ naturæ lapſum.

Hunc errorem Janſenii non eſt cur hic elidamus: Nam ſatis in anteceſſum, dum de ſuis Propoſitionibus verba fecimus, fusè copioſèque refellimus. Ad alteram ergo propoſitæ quæſtionis partem accedamus, in qua num Voluntas antecedens verè, propriè, & formaliter, ut Schola loquitur, in Deo ſit, exponemus.

Miratus ſum quam multi Theologi, nonniſi metaphoricam in Deo Voluntatem eſſe propugnaverint. Si ſic eſt; Deus ergo nos omnes eluſit, dum Sacris in Litteris declaravit, ſe habere Voluntatem ſalvandi omnes homines. Quare ut ſententiam hanc, quam abſonam reputavi, ſtabiliamus, concludendum eſt nobis, in Deo dari propriam, veram, & non metaphoricam Voluntatem; quod

ut doceam, movet me maxime Angelici Doctoris auctoritas, qui quoties de hac Voluntate ſermonem inſtituit, toties ſignificat eam eſſe *beneplaciti* Voluntatem, quam omnes ut veram, & propriam affirmant. Id innuit *quæſt.* 23. *art.* 2. *de Veritate: Voluntas propriè dicitur de Deo, & hæc eſt Voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem, & conſequentem diſtinguitur*. Si ſic eſt, patet, Voluntatem Dei antecedentem veram, & propriam eſſe, cum Voluntas beneplaciti ea ſit, ex qua Deus vera complacentia movetur ad amandum. Innuit hoc etiam in *cap.* 2. *epiſt.* 1. *D. Pauli ad Timoth.* ubi exponens dictum illud Apoſtoli: *vult omnes homines ſalvos fieri;* ſtatim ſubjungit D. Thomas, Voluntatem hanc eſſe beneplaciti.

Cum tamen multos quoque Thomiſtas mihi adinvenire contigerit, qui hanc de antecedente Dei Voluntate ſententiam propugnant, & unum eſt, quod pro hujuſce defenſione ex D. Thoma deſumunt 3. *par. quæſt.* 21. *art.* 4. *in corpore;* ubi ait Voluntatem illam antecedentem eſſe velleitatem: *talis Voluntas magis eſt dicenda velleitas, quam abſoluta Voluntas*. Unde ajunt iſti. Si ergo velleitas eſt, non eſt vera, propria, ſed metaphorica Voluntas. Quibus repono ego. Voluntas beneplaciti velleitas quidem appellatur, non quod non ſit vera & propria, ſed quia eſt de objecto abſolutè neceſſario præciſis circumſtantiis.

Ejuſdem plane furfuris eſt, quod ex opuſculo D. Thomæ deſumunt de *Præſcientia* & *Prædeſtinatione capit. 6.* ubi ait, Voluntatem antecedentem Dei eſſe Voluntatem ſigni. Quia opuſculum hoc multis ſubdubium viſum fuit, cum in editione Romana a S. Pio V. facta, hoc inter alia multa Angelici Doctoris opuſcula, poſitum non fuerit. Nihiloſecius non obeſt quominus Voluntas hæc antecedens vocetur Voluntas ſigni, non quia ſit diſtincta a Voluntate beneplaciti, ſed quia Deus externis ſignis aliquando manifeſtat Voluntatem, quam habet, ſalvandi omnes homines.

Quibus itaque poſitis, ad rationem Theologicam accedamus, videamuſque; num ſit hæc vera & propria Voluntas. Deus Sacris in Litteris ſignificat ſexcentis in locis, ſe velle converſionem peccatorum; quinimo ubique Deus vocat peccatores ad pœnitentiam. Jam dico ego. Quicumque verè vult medium conducens ad finem, vult etiam ſincere, verè, ac propriè finem per medium obtinendum: Converſio porro eſt medium ad ſalutem obtinendam; ergo hoc ipſo quod verè vult converſionem peccatorum, conſequens eſt, verè & propriè velle hominum ſalutem. Et certè Deus deſiderium, quod habet ſalvandi omnes homines, exprimit in Scripturis nomine *ſitis ardentiſſimæ;* Unde & Patres ſitim illam interpretantes,

quam

quam pendens e Cruce iis verbis *Sitio* expreſſit, pro deſiderio ardentiſſimo ſalvandi omnes homines interpretantur; Si Deus ergo ardenter ſalutem omnium hominum ſitivit; quo pacto impropria & metaphorica voluntas ejus dicenda erit?

Inquient fortaſſis aliqui. *Iſaiæ 46.* habetur: *conſilium meum ſtabit, omnis voluntas mea fiet*. Voluntas porro ſalvandi omnes homines non ſemper impletur, nam multi, quorum ſalutis voluntatem habet Deus, damnantur: ergo non eſt vera, & propria voluntas.

Advertendum eſt nobis, voluntatem, quæ dicitur ſemper impleri, non eſſe voluntatem meræ complacentiæ, ſed voluntatem, quæ adjunctum habet Decretum, unde eo in loco ſubjungit, *& omne conſilium meum ſtabit*.

Nihilo melioris eſt commatis altera quorundam oppoſitio dicentium. Si ſic eſt. Saltem igitur Voluntas illa antecedens, quæ ſuum non ſortitur effectum, imperfectionem involvit, nam quod non ſortitur effectum, imperfectum eſt.

Jam inquio ego; voluntas quæ non ſortitur effectum propter externum aliquod impedimentum, involuit quidem imperfectionem; ſecus vero ſi ita velit conſideratis ſuæ Providentiæ decretis; licet ergo Deus velit omnes homines ſalvos, ſpectando eorundem omnium ſalutem abſolutè ſecundum ſeſe, conſideratis tamen ſuæ Providentiæ decretis ſinit aliquos a fine decedere; proindeque ſi ea voluntas non impletur, non impletur defectu ſui, ſed quia ipſemet non vult; ex quo argumentatur hoc pacto. Deus ergo hac ſua voluntate nos omnes eludit; nam quid prodeſt homini, velle Deum voluntate antecedente eum ſalvum facere, & poſtea velit ipſum voluntate ſua conſequente damnare; dico tamen ego, habere Deum ex voluntate ſua antecedente præparatos effectus, nempe præparatas Gratias ſufficientes, per hoc nequit dici fruſtranea. Sed ad quid valet? Valet: quia Providentia generalis poſtulat, ut caſtigetur iniquitas, ut quis damnetur pro peccatis ſuis.

Nihilo ſecius urgent aliqui comparationem afferentes: Voluntas Dei antecedens eſt ſicuti Mercatoris voluntas, quam habet ſalvandi Merces, dum in Mare projcere coactus eſt; Si enim Mercator ille poſſet obortam tempeſtatem ſedare, & non obſtante in undis Merces ſuas projceret, certè non cenſeretur habere ſinceram ſalvandi Merces voluntatem: porro ajunt iſti; cum Deus habeat in poteſtate ſua infinita Media ad ſalvandos homines; & hæc adhibere nolit; quo pacto ſincera, & propria voluntas ea dici debet, quam habet ſalvandi omnes homines?

At qui id objiciunt, non advertunt diſcrimen, quod intercedit inter Mercatorem & Deum. Mercator enim ex privata cauſa agit,

agit , & movetur ex bono privato ad projciendas Merces , & ideo ſi Mercator poſſet tempeſtatem obortam ſedare , eas nihilominus in Mare projcere vellet , cenſeretur non habere ſinceram voluntatem ſalvandi Merces . Deus vero ex cauſa generali operatur , & per conſequens licet habeat infinita media ſalvandi omnes homines , & hæc tamen adhibere nolit , non eſt dicendum , non habere Deum ſinceram, veram, propriam voluntatem ſalvandi homines .

Digitized by Google

TRACTATUS
DE
FIDE.

PRÆLECTIO PRÆLUDIALIS.

Apologia pro Theologis adverſus malignos Obtrectatores; in qua Theologorum Fides a calumniis vindicatur; eoſque plus cæteris credere, luculentiſſimè demonſtratur.

QUæ duo bonarum Artium, Litterarumque Cultores arduum opus aggreſſuros plurimùm movent, ut prompti, & alacres ſtudiorum rationem ingrediantur; tractandi ſcilicet Argumenti ſublimitas, & utilitas; ea nos in præſentia potiſſimè recreant, atque reficiunt. De Fide enim Virtute Theologica ex hoc loco dicturi ad *Diſtinctionem* 23, cæteraſque proximè ſequentes *libri* 3 *Sententiarum*, cujus nobis interpretatio demandata eſt, id agemus in præſens, quod in re Theologica ſummum eſt, quod ſublimius, quod utilius; parum eſt, ut dicam, quod Chriſtianæ Reipublicæ præ cæteris neceſſarium. In aliis quippe Theologicæ Diſciplinæ partibus Religionis, & Fidei cauſſa ex parte duntaxat agitur: quid de uno, alterove Myſterio tenendum, quid credendum, quid inde ſit conſequens, unicè quæritur. Aſt ubi de Fide in univerſum dàta opera, ac principe ſtudio diſputatur, tota Chriſtianæ rei ſumma vertitur; nec unius modò, alteriuſve Myſterii, ſed omnium planè, ac ſingulorum veritas aſſeritur, defenditur, confirmatur. Quæ ſit Fidei noſtræ Natura, quæ Dotes; quibus Regulis credenda ſint omnia; quæ ſint Fidei noſtræ Fundamenta, quæ Principia, quæ Cauſſæ, quæ Formulæ, generatim oſtenditur: quæ vera Fidelium Societas, quibuſve Notis a pravis omnibus Sectis ſecernatur; quæ Sacrarum Scripturarum, quæ Traditionum, quæ Conciliorum Authoritas; quis certus Controverſiarum Fidei Judex; num falli, ac fallere neſcius; quibus limitibus ejus circumſcribatur Authoritas; aliaque id genus multa, a quibus tota, qua late patet, Chriſtiana Religio, tanquam e ſacro manipulo, pendet.

In

In his igitur explicandis, tradendiſque noſtra deſudabit induſtria: in quibus viciſſim excipiendis, addiſcendiſque parem in ſtudioſa Juventute diligentiam deſideramus, & animi contentionem. Quod ut bellè cadat, nihilque conſilii noſtri impedimento ſit, aut etiam moræ, antequam opus aggrediar, tetram hodie calumniam depellam Theologico Ordini vulgò impactam: quæ ſi florentiſſimæ Juventutis animos occuparet, eandem & a nobis averteret, & ab ea, quam modò ſuſcipimus Theologicæ Diſciplinæ parte addiſcenda, penitus avocaret. Quænam illa? Ægrè dico; dico tamen, quia diſſimulari ultra non poteſt: nimirum vulgaris illa, multorumque ſermone trita Calumnia; Theologos, magnos illos de Fide Diſputatores, dubiæ ut plurimùm, ac lubricæ Fidei Viros eſſe: qui cùm multa de Deo, Diviniſque credenda cæteros doceant, eo demum licentiæ deveniunt, ut Ipſimet nihil credant. Eo nos probro quotidie oneramur: ut quæ dudum in Proverbium ceſſit, Medicos abſtinere Medicaminibus; Iuriſperitos, atque Cauſidicos nunquam pro ſe ipſis lites intendere; ita veteri verbo Theologi nos, Doctoreſque Fidei, nullius Fidei dicimur eſſe. Vah tetram, ſtultamque ſycophantiam!

Et quidem, ſi mea tantùm res ageretur, & cauſſa, patienti animo ferrem, illatamque injuriam ſurda aure patienter ſuſtinerem. Verùm cùm eo oneremur probro quotquot hîc Theologica Profeſſione, & nomine ſumus, publicam cauſſam publicus hodie actor orabo: ac dum Medici, Legumque Periti ſeſe ipſi ab obtrectatoribus ſuis aliquando defendunt, a quibus tamen minori afficiuntur injuria; (abſtinere quippe Medicaminibus, liteſque nunquam intendere, quod illis vitio datur, illud certè quandoque ſalubrè, iſtud ſemper eſt honeſtiſſimum; nullius autem eſſe Fidei, quod nobis impingitur, impium ſemper eſt, & ſacrilegum) dum, inquam, ſeſe ipſi aliquando defendunt, quod officii mei eſt, Theologici Ordinis præ cæteris malè habiti partes agam; & pro honore Diſciplinæ, quam colo, & pro dignitate loci, quem teneo, illud hodie probandum aggrediar; Theologos, acerrimos illos de Fide Diſputatores, integerrimæ, abſolutiſſimæque Fidei Viros eſſe; qui cùm cæteros, quæ credenda ſint, doceant, cæteris religioſiùs, ac firmiùs credunt. Ita fiet, ut, quæ nobis in Diſciplinam tradita eſt, florentiſſima Pubes, arctiùs ſeſe nobis addicat; & ad eam, quam modò ſuſcipimus de Divina Fide, Tractationem, ſtudium ſuum omne & lubentiùs, & vehementiùs adjungat.

Rem faciam Viro Theologo maximè congruentem, ſi Theologorum cauſſam orans, iis præſertim Momentis egero, quæ in Theologica Diſciplina prima ſunt: quæ nimirum ex ipſa petuntur Fidei Definitione, qua illius & naturam, & dotes, & cauſſas, & con-

& conditiones exponunt. Sic ſanè brevi compendio planum ſi et quantùm Fide cæteris præſtent Theologi, qui nullius præ cæteris Fidei dicuntur.

Quid itaque Fides eſt? Fides, inquam, non languida, non vacillans, ac penè mortua; ſed quæ Theologicæ Virtutis dignitatem, ac nomen habet? Scilicet firmus eſt Mentis aſſenſus Divinis Veritatibus præſtitus ob Dei revelantis Teſtimonium, nobis ab ejus Eccleſia propoſitum: aſſenſus, inquam, eſt ex pia profectus Voluntatis motione Mentem ad aſſentiendum inclinante, viſis exploratiſque externis Rationibus, & Momentis, quæ ſacra Myſteria perhibent Fide digna. Qua Fidei definitione univerſa, quæ ad ejus naturam, perfectionemque pertinent, continentur. Firmus imprimis aſſenſus Veritatibus præſtitus; qui actus ipſe Fidei eſt: tum, Divinum Teſtimonium; quod vera, propriaque nobis eſt credendi Ratio: tertiò, facta ab Eccleſia Divini Teſtimonii denunciatio; ne fortè teſtimonium Humanum pro Divino accipiamus: quartò, pius Voluntatis motus Mentem ad aſſentiendum inclinans; qua parte Chriſtianorum Fides, ut loquitur Auguſtinus *epiſt.* 194. *ad Sixtum:* a Dæmonum Fide diſtinguitur. Poſtremò, Rationum, Momentorumque notitia, quibus Chriſtianæ Religionis Myſteria Fide digniſſima cognoſcuntur; ne temerè, imprudenterque iiſdem aſſentiri videamur. Porro iis in omnibus, quibus vera ſtat Fides, Theologos vincere, ac longo intervallo cæteros omnes ſuperare, palam oſtendo: tantùm ne pigeat ire per ſingula.

Ac primo quidem: firmus ille Mentis aſſenſus, Divinis Veritatibus dandus, quid cauſſæ putatis eſſe, cur ſæpe non detur? Cur nutet Fidelis, cur titubet, cur vacillet, qui contra certus, conſtans, immotus pro Fidei conditione debet eſſe? Nempe ſi bene conijcio, nutat, quod contrariis Rationibus moveatur, objectiſque in oppoſitum difficultatibus occupetur, ac penè vincatur. Hinc illa tot Fidelium in multis Fidei Capitibus hæſitatio, dubitatio, inſtabilitas. Legit quis E. G. Sacris in Litteris, Deum Trinum, & Unum; enixam Virginem Matrem; Deum Hominem factum; Chriſti Corpus Sacris Euchariſtiæ Speciebus contentum: idque ſibi aſſenſu, & quidem firmo, atque conſtanti tenendum novit, ſi vult eſſe Catholicus, uti debet: at ecce (quæ humanæ Mentis infirmitas eſt) petitis ex adverſo a Natura rationibus pulſatur, & quatitur. Quid Deus, ait ſecum ipſe, Natura unus, Perſona trinus eſſe poteſt, ſi re ipſa quidem non aliud in Deo Perſona eſt, quam Natura? Quid Virgo Mater Filium enixa, cùm nulla poſſit eſſe, niſi delibata Virginitate fæcunditas? Quid Deus factus pro Hominibus Homo, cui abſque ſui mutatione altera Natura nequit

accedere? Quid Chriſti Corpus Humanum anguſtis ſpeciebus concluſum, cujus extenſa quantitas eſt? Quas ille miſeras argutias ut ſolvere nequit, ita fluctuat in incerto, labaſcit, pendet animo, dubius hæret, quid demum credat incertus eſt; nulliuſque jam, aut ſaltem nutantis, ac lubricæ Fidei fit, qui aſſenſionis firmitate, conſtantia deſtituitur, atque ſpoliatur. Non ita profectò Vir Theologus. Hic ſiquidem qua facilitate pugnantes ex oppoſito Rationes occupat, Objecta diluit, Difficultates extricat, ſoluitque Nodos; pari firmitate Veritatibus revelatis adhæret: nulloque jam obice, quominus aſſentiatur, dimovetur, ac retardatur. Non modò quid credat; ſed & cur credat; quibus Titulis, quibuſve Momentis credat apprime novit; paratus rationem omni poſcenti reddere eorum, quæ Fide tenet; tamque abeſt, ut Oppugnationibus cedat, ut potius Oppugnantes repellat, & Veritatis viribus vincat; ſæpe etiam ad ſanam Mentem revocet, ducatque in viam, qui a recta ſemita defecerunt.

Accedit in Fidei Notione Divinum Teſtimonium, quod ita Fidelibus univerſis credendi Ratio eſt, ut Theologis tamen majoris firmitatis in Fide, atque conſtantiæ cauſſa ſit. Quorſum enim Dei verbo res tam multas ſupra Naturæ ordinem, ſupra Mentis humanæ captum, ſupra Senſum conteſtanti integram Fidem adjungimus? Quorſum Dictis ejus credimus potiùs, quam Senſibus noſtris? Ob id certè, quòd Deum mentiri non poſſe certò noverimus; quòd perſpecta, explorataque res nobis ſit, nec falli illum, nec fallere poſſe. Qua de re ſi vel dubium moveatur, totum ruit Chriſtianæ Fidei Fundamentum. Quantum autem eo in Capite cæteros Theologi vincant; quam ſint Illi de Divini Teſtimonii veracitate, indeficientia, reliquis omnibus certiores, nemo non videt, niſi qui meridiana in luce cæcutiat. Si enim a ſimplici Fideli, ac Teologicæ Diſciplinæ planè rudi quæſierim ego: unde tu noſti, Deum mentiri non poſſe, non falli Illum, neque fallere? (Nam & hoc voluere olim Manichæi, voluere Priſcillianiſtæ) Reponet Ille, ſi ſapit, id ſibi conſtare, quòd ita Deus ipſe Sacris in Litteris revelavit. *Numer.* 23. *Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur: ad Rom.* 3. *Eſt autem Deus verax: omnis autem homo mendax: ad Hebræos 6. Impoſſibile eſt mentiri Deum:* atque ita alibi ſæpe. Rectè id quidem, ac pluſquam a Viro rei Theologicæ planè rudi expectare poſſim. Verùm, ſi fortè ſubjunxerim ego: Næ tu, miſere, falleris, poniſque, quod quæritur, qui Deum veracem probas, quòd ſe ipſum veracem dicat ſacris in Litteris; cùm id potiùs oſtendere debeas, non mentiri Illum, dum ita dicit. Nam & hoc mendacibus vitium eſt, ut mentiri ſe negent, cùm maximè mentiuntur. Tunc Ille, velut ictu percuſſus, ſuſpenſus, incertuſque

hæret,

hæret, fluctuat animo, ancipitique cogitatione diſtractus de ipſa Dei veracitate, quæ primum Fidei noſtræ Fundamentum eſt, incipit dubitare. Theologus longè aliter: qui, miſſa etiam Sacrarum Scripturarum teſtificatione, Dei veracitatem exploratiſſimam habet; Deumque nec falli, nec fallere poſſe, petitis ex ipſa illius Natura rationibus, probat: imò nec fore Deum oſtendit, ſi quemquam aut verbo decipere, aut facto potis eſſet. Quod Viro Theologo potiſſimum eſt Fidei firmamentum; quo vel uno, etſi alia multa deficerent, cæteris Fidelibus antecellit.

Sequitur proximè in Fidei Definitione facta ab Eccleſia Divini Teſtimonii, rerumque credendarum publica denunciatio, ad Fidei certitudinem uſque adeo deſiderata, ut dicere non dubitaverit Auguſtinus *Lib. contra Epiſt. Manichæi cap.* 5. non crediturum ſe Evangelio, niſi eum Eccleſiæ commoveret Authoritas. Qua in re, Eccleſiæ nempe denunciatione, quàm ſæpe luditur prophanum vulgus, luſumque turpiter Fidei ſpeciem tenet, & umbram, non Fidem ipſam; tam rarò fallitur Theologus, ut Fidei integritatem teneat incorruptam. Sit, ut eſſe poteſt, in Paræcia ignarus Curio, in Diœceſi indoctus Epiſcopus; qui in publicis Chriſtianæ Religionis Inſtitutionibus, quas Catechiſmos de more dicunt, aut etiam in Paſtoralibus Documentis, atque Mandatis Errorem obtrudat aliquem, tanquam a Deo Sacris in Litteris revelatum, certaque ab omnibus Fide tenendum: quotquot in Diæceſi Theologica Profeſſione non erunt, ut inſinuatum Errorem deprehendant, ignari Paſtoris vocem, tanquam Eccleſiæ vocem excipient. Unus enim Epiſcopus, unus Curio tota rudibus illis Eccleſia eſt; cujus ni vocem audierint, tanquam Ethnici, & Publicani ſunt habendi: atque ita ſtillatum ab ignaro Paſtore Errorem imbibent animo, credentque Divina quidem, ut illis videbitur, Fide; re ipſa tamen humana dumtaxat credulitate, imò potius aberratione. Nullis hujuſmodi periculis patet Theologi Fides; qui quàm certò novit, id ſibi dumtaxat eſſe Fide credendum, quod ab Eccleſia proponitur, ut credatur; ita quæ vera ſit Eccleſiæ vox falli, & fallere neſcia, probè dijudicat. Non Illi unus Curio, non unus Epipiſcopus totius Eccleſiæ loco eſt, cujus Dicta & Pronunciata, tanquam indeficientis Fidei Oraculum excipiat; ſed Concilia OEcumenica, ſed Pontifices Summi e Tribunali pronunciantes, iiſque ſervatis Judicii Formulis, quæ illos Petri lingua locutos oſtendant. Hæc Viro Theologo certa Eccleſiæ vox eſt, quam audiat, quam ſequatur, ubi quæſtio Fidei vertitur: hoc illi certum Oraculum, a quo quid ſit a Deo revelatum, quid credendum citra Erroris periculum novit: nullique idcirco diſcrimini committitur Theologi Fides, ne hominum ſomnia pro ſacris Fidei arcanis miſerè

Digitized by Google

conſectetur: neve id omne imprudenter excipiat, quod ſtulta Anus, ac lippus Senex, quod Tabernarius, & Caprimungus, totumque prophanum Vulgus fallaci Paſtoris voce, inanique ſuperſtitione deluſum avida bibit aure, colitque religione ſumma, ac reverenti obſequio.

Jam quid pium Voluntatis motum loquar, in Fidei definitione notatum, quo credentis Animus ad aſſentiendum inducitur; ut Fides libera ſit, non coacta; fructuoſa, non ſterilis; præmio digna, non vacua laudis, & gloriæ? Quam multis inde titulis Theologorum Fides eminere perhibetur? certè pium illum Voluntatis motum ad Fidem neceſſarium idcirco probat Doctor Angelicus, quòd humana Mens, niſi rerum evidentia moveatur, aſſenſum ſe ipſa veritati non præſtet. Quare cum nulla Veritatum Fidei, nulla Divinæ Revelationis evidentia ſit, iis Mens noſtra ex Voluntatis imperio aſſentiatur oportet, quæ ſe ipſa aſſentiri minimè poteſt. Illud porro imperium tribus præſertim modis Voluntas exercet: primò, Intellectum inducendo, ut in generales credendi Rationes (quas *motiva credibilitatis* Schola nuncupat) diligenter intendat; quibus liquet, abſurda non eſſe, imò Fide digniſſima, quæ a Deo Sacris in Litteris revelantur: Secundò, Intellectum ab earum Rationum conſideratione avertendo, quæ Fidei aſſenſum impedire, aut morari utcumque poſſent: Tertiò, Intellectus perſuaſionem de Fidei Articulis approbando, atque in ea ſibi complacendo. Iſthæc verò tria ubi feliciùs, excellentiùſque invenias, quàm in Theologo? Non id Ille ſatis habet (ut aliis ſatis eſt) communes credendi Rationes, quæ Chriſtianam Religionem Fide digniſſimam faciunt, attentius meditari (mirificam illam Evangelii propagationem, Chriſti prodigia & Apoſtolorum, triumphales Martyrum agones, incorruptam Doctrinæ Evangelicæ integritatem, certam Sæculorum omnium conſenſionem, cæteraque id genus; quorum ſola conſideratione fovetur Fides, nutriturque) ſed has ipſas Rationes ex muneris ſui Inſtituto adversùs publicos Eccleſiæ Hoſtes tota virium contentione defendit. Non id Ille ſatis habet, Mentem ab earum Rationum conſideratione avertere, quæ Fidei aſſenſum impedire, aut retardare utcumque poſſent; ſed has ipſas potius Rationes occupat, refellit, falſi convincit, nihilque evincere probat, quod Fidei damno eſſe poſſit. Non id demum ſatis habet, hanc ipſam Intellectus perſuaſionem, de veritate Articulorum Fidei approbare, atque in ea delectari; ſed & Animum ad eos amplectendos Articulos ſubmiſiſſe, tanquam de parta victoria, gloriatur.

Quis ergo Theologos integerrimæ, abſolutiſſimæque Fidei Viros neget? Qui potius, quavis ex parte rem ſpectes, longè multùmque

que cæteris Fidelibus antecellunt. Ego certè contra ſic ſtatuo: Fidem in Deum, eamque puram, illibatam, & integram ita eſſe Viri Theologi propriam, ut qui Fide purus, integerque non fuerit, Theologus omnino eſſe non poſſit, etſi fortè in Hominum oculis magni ferat nominis umbram. Quæ enim, rogo vos, Theologiæ Principia ſunt, queis totum Sacræ Doctrinæ corpus incumbit? Quæ prima illius Elementa, e quibus, velut e primis Fontibus, Concluſiones derivantur? Nempe Articuli Fidei: ſic enim ſtatuunt univerſi. Qualis ergo Theologus ille fuerit, qui ne prima quidem teneat Theologiæ Elementa, atque Principia? Quid ipſa eſt Theologia, Judice Auguſtino, niſi ſcientia, qua Fides nutritur, defenditur, roboratur? Sic enim ille *Lib.* 14. *de Trinitate cap.* 1. Ecquis itaque Fidei nutritius ille foret, atque defenſor, qui deſertor potius, & impugnator habendus eſſet; ſi talis utique foret, qualem nominis noſtri Obtrectatores improbè criminantur. Imò ubi Theologiæ excellentiam, & dignitatem ſupra cæteras Diſciplinas obſervo, parum eſt, ut affirmem, non Fidei tantùm, ſed & morum integritatem, innocentiam, probitatem cum Theologorum Officio, & Inſtituto ita eſſe conjunctas, ut fruſtra Theologi nomine glorietur, qui probus, religioſuſque non fuerit. Eſt enim Theologia (ut non ita pridem a ſummo Oratore obſervatum eſt) in vehementi quadam altiſſimarum rerum contemplatione poſita, quæ Hominem totum occupat, abſorbet, & a terra quodammodo abripit; nec ullam ejus partem avelli patitur, ut in Vitiorum ſordibus tam diſpari ſtudio volutetur. Hoc ſibi illa proprium vindicat ſupra reliquas diſciplinas ob infinitam meditandi vim, ut nequeat ineſſe, niſi illis, qui a rebus cæteris alieniſſimi ſint. Ac, ſi lubet Eccleſiæ Faſtos excurrere, plures ego tibi Theologos oſtendam, qui Templis, Ariſque coluntur, quam tu ex omni Republica Litteraria, Rhetores, Philoſophos, Juriſperitos, Medicos, Mathematicos dabis: vixque tu mihi unum, aut alterum ex tota Antiquitate recitabis tam gravi dignum nomine, ut Theologus appelletur, quin inſigni virtute excelluerit, ſuamque ſapientiam probitatis acceſſione confirmarit.

Sed videamus, amabo vos, a quibus, & quorſum tetra illa Divinæ Scientiæ Profeſſoribus Calumnia intenditur, ut Fidei nullius, nullius Religionis dicantur eſſe. Spero fore, ut vel hoc ipſo tetræ ſycophantiæ tenebræ depellantur; illudque Tertulliani haud abſimili occaſione pronunciatum uſurpare nobis aliquando liceat: *Criminatio veſtra, gloria noſtra eſt; dum culpamur a vobis, ſecuriùs abſolvimur*. Ii ſcilicet nutantis, ac lubricæ Fidei Theologos arguunt, qui quod Catholica Fides habet, quod credendi Leges ferunt, primi omnium ignorant: quæ Fidei Quæſtio-

ſtiones in Eccleſia ſint; quæ præter Fidem, plane neſciunt: Quodque dolendum magis, Fidei integritatem nullo populari Errore vitiatam, nulla ſuperſtitione admixtam, nulla anili fabella corruptam, Fidei corruptelam, ac violationem appellant, idque ſi ſuperis placet, in Divinæ Scientiæ Profeſſoribus damnant, quod in Illis eſt ſummè laudandum. Si quid enim contra præjudicatas Vulgi Opiniones ſentiat, ſcribatque Theologus, Erroris notam ignari iſti Cenſores affricant, affingunt. In quæſtionibus adiaphoris, quæ Fidem, qua Chriſtiani ſumus, nulla ratione contingunt, ſed ad Hiſtoriam, vel Criticem ſpectant unicè, de Theologorum Orthodoxia velut e Tribunali Sententiam dicunt; non ex Sacris Litteris, quas legere nunquam; non ex Conciliorum Canonibus, quos ignorant; non ex Patribus, quorum Codices ne volverunt quidem; ſed vel ex Libellis a Sciolis, ſimplicibuſque ſub pietatis ſpecie elucubratis; vel ex malè natis ab obſcuris parentibus, atque derivatis in Vulgum ridiculis Traditionibus; vel ex tabellis Pictorum arbitrio depictis, quæ omnia Bibliothecæ loco Illis ſunt, judicium proferunt.

En quos Theologi Fidei ſuæ Cenſores paſſim experiuntur; quos certè nollent, tametſi poſſent, commendatores, ac laudatores habere. Felices artes, ajebat ille, ſi de iis ſoli Artifices judicarent. Felices Theologi, inquio ego, ſi de illorum Religione, ac Fide ii ſoli judicium facerent, qui vel prima tenerent Theologiæ rudimenta: ut hoc ſaltem ſcirent, unum Dei Verbum ſcriptum, traditumve primam Fidei naturæ Regulam eſſe; cui niſi quis adverſetur apertè, violatæ Fidei poſtulari non poteſt: tamque in Fidem peccare, qui, quod Fidei non eſt, hoc dicit eſſe; quàm qui negat eſſe, quod eſt de Fide.

Audiamus tamen, ſi qui fortè ſint paulò indulgentiores Theologorum Fidei Reprehenſores. Theologi, inquiunt aliqui, continua illa Divinarum rerum meditatione, aſſidua contemplatione, tractatione diuturna eò demum deveniunt, ut Religionem ipſam ingenio metiantur ſuo, nihilque credere velint, niſi quod naturali intelligentia aſſequuntur, probantque ratione diſerta. Ita ne vero? Cedo, ſi ſic eſt: Theologos tibi dono nulla Fide, ac Religione Viros ſi verum objicis. At qui quæſo Illi ſunt, qui quod illis affingis, illud velint, ſentiantque; quod contra & velle, & ſentire omnino non poſſunt, niſi Theologi eſſe deſierint. Ecquid enim tam tritum in Scholis, tam concordi aſſeveratione receptum, quàm non poſſe humanam mentem, ac ne quidem Angelicam, Chriſtianæ Religionis Myſteria naturali cognitione percipere; unumque Mortalibus ſupereſſe Divinæ Revelationis Lumen, cujus beneficio cognoſcantur. Imò, ſi quæ Fidei Præambula ratione naturali Theologus

logus novit, quæ cæteri nonniſi Divina Revelatione cognoſcunt; ut *Deum eſſe ſummum rerum omnium Proviſorem; Sapientem; æternum; bonum; ac juſtum; præmia bonis, ſupplicia malis decernentem;* ſic eſt affectus animo Theologus, ut hæc perinde Fide crederet, ſi minùs ratione teneret; ut ne ea quidem ex parte Fidei merito defraudetur: in eum fere modum, quo Apoſtoli Chriſti Domini convictu, & contubernio uſi multa ejuſdem Myſteria, quæ nonniſi Fide tenemus, Senſuum experimento cognoſcebant; nec tamen nullo erant Fidei merito; quòd ſic eſſent Animo comparati; ut hæc Fide perciperent, niſi ſenſuum experimento comprobaſſent.

Quamquam quid ajo, nullo Theologos fraudari Fidei merito, ſi quas fortè Virtutes Deo tributas naturali ratione percipiunt? Illud nihil dubitem addere, majori cæteris virtute, ac merito Theologos eſſe, ubi id quoque tenent Fide, quod tenent Alii. Nec ſatis imprudens quorumdam judicium ferre poſſum, qui imperitæ multitudinis Fidem, qua Deo, Chriſtoque ſerviunt, ſummorum Virorum Fide Cœlo digniorem arbitrantur. Si in eo enim ſtat Divinæ Fidei meritum, quod objecto ſenſuum teſtimonio, adhuc etiam ſepulto Ingenii acumine, mentem quis Dei Verbo ſubjiciat, ipſumque Intellectum, ut loquitur Apoſtolus 2. *Cor. cap.* 10. in captivitatem redigat in obſequium Chriſti; an non majoris virtutis, meritique erit, ingentem Animam ſideribus inſerendam, altum ac ſublime Ingenium omni eruditione excultum, ac perpolitum ſub jugum mittere, ſuiſque veluti luminibus radiiſque exuere, ut Fidei, Deique verbo cœca aſſenſione obediat; quàm viles, curvaſque Animas, fruges conſumere natas, quibus nulla Ingenii vis eſt, nullum acumen, quod illis exuere opus ſit, ut Fidei obſequantur?

Sed caret ſaltem, inquiet aliquis, Theologorum Fides ea ſimplicitate, quæ in viris de Plebe tantopere commendatur; imò & peccant Theologi bene multi, quòd Plebeculam ab ea Fidei ſimplicitate conentur abducere. Ita ne, Cenſor egregie, de Fidei ſimplicitate ſtultè diſſeris, ut neſcias, quid id nominis ſonet; ipſamque ſuperſtitionem, quæ peccatum eſt contra Fidem, pro Fidei ſimplicitate ignoranter accipias? Audi ergo quid Fidei ſimplicitas ſit, ut vel hinc noveris, an ea Theologi careant, an eam in infima Plebe Theologi culpent: *Dicendum*, inquit Doctor Angelicus 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 1. *in corp. quod cujuslibet cognoſcitivi Habitus Objectum duo habet; ſcilicet id, quod materialiter cognoſcitur, quod eſt ſicut materiale Objectum, & id per quod cognoſcitur, quod eſt formalis ratio Objecti . . . . . . Sic igitur in Fide, ſi conſideremus formalem rationem Objecti, nihil eſt aliud, quam Veritas prima.*

Non

Non enim Fides, de qua loquimur, aſſentit alicui, niſi quod eſt à Deo revelatum. Unde ipſi Veritati Divinæ Fides innititur, tanquam medio. Sicut ergo aurum ſimplex vocatur, cui nihil alienæ materiæ, nihil fuci admixtum eſt; ita fidem ſimplicem dicimus, cui nihil vel veritati, quæ creditur, vel Divinæ revelationi, propter quam creditur, admiſcetur alienum, nihil fuci additur, atque pigmenti: nempe ſi id tantùm creditur, quod re ipſa Fide credendum eſt, & ea tantùm ratione creditur, quia a Deo eſt revelatum. Porro nemo veriùs Theologo Viro id tantùm credit, quod re ipſa credendum eſt, nemo veriùs ob ſolam credit Revelationem Divinam, quæ ſola fuci omnis expers eſt, atque fallaciæ. Nemo itaque veriùs, nemo certiùs ſimplicitatem Fidei tenet Theologo Viro; ſi, quid Fidei ſimplicitas ſit, probè noverimus.

Quæ autem in infima Plebe eo cohoneſtatur nomine, eoque titulo a nonnullis ineptè laudatur, non fidei ſimplicitas eſt, ſed vana, & ſtolida ſuperſtitio, Vitium contra Fidem ex directo pugnans; dum ea veluti Fide credit, quæ a Deo revelata non ſunt, ut credantur; ſed pro arbitrio, pro nutu finguntur: ſtultumque eſt, ne dicam impium, quod nonnulli de gravi ſupercilio, ac veluti Dictatoria Auctoritate pronunciant; expedire, ut in hac ſua ſimplicitate, vanaque credulitate infima Plebs relinquatur. Quaſi verò expedire aliquando poſſit, ut in peccato contra Fidem, cujuſmodi ſuperſtitio eſt, aliqui relinquantur. Quod tamen non eſt ita a me dictum, quaſi Populi fæcem de iis etiam edoctam eſſe velim, quæ ſunt præter Fidei Canonem. Abſit. Imò quæcumque ſunt adiaphora, ſeu teneat infima multitudo, ſeu rejiciat, ſeu etiam prorſus ignoret, nihil planè referre, probè novimus: at illud intereſſe maximè pronunciamus, ut ſi hæc ipſa rejicit, non rejiciat ut hæretica; ſi tenet, non teneat uti Fidei Capita: hoc enim eſt, quod in ſuperſtitionem degenerare contendimus quotquot veri nominis Theologi ſumus. Patiantur itaque Animarum Rectores, prophanum Vulgus curæ ſuæ commiſſum in rerum, quæ ſunt præter Fidei Canonem, profunda ignoratione verſari: per nos licet: at ſuperſtitione in rebus hujuſmodi laborare vel ipſam Populi fæcem, hominumque Commenta, tamquam Fidei Capita tenere, colere, venerari, nemo, qui ſalutem illius æternam curaverit, utique patietur.

Deſinant igitur æmuli Obtrectatores Theologis malignè obſtrepere; nec ultra Viros dictitent dubia, nutanti, ac lubrica Fide; quos contra liquet, abſolutiſſimæ integerrimæque Fidei Viros eſſe, Fideique merito cæteros vincere. Quamquam, etſi conviciari pergant, totiuſque Theologici Ordinis famam vulgari illo convicio atterere; ſtabimus nihilominus in incæpto, nec ab inſtitutis Theologiæ

logiæ ſtudiis avocabimur . Magni Auguſtini conſilium ſecuti ſidera imitabimur; quæ Hominum conviciis toties impetita nec de via decedunt, nec curſum reprimunt, nec a profundendo in ipſos conviciatores ſalutari effluvio retardantur. Nos communi illo in Theologos jacto convicio nihil moti , quam inſtituimus , viam tenere pergemus . De Fide , ut cæpimus , dicemus in hiſce Theologicis Tractationibus, etſi fortè parum in præſentia dicendo profecimus; noſtramque operam in inſtituenda Juventute deſiderari , minimè patiemur.

Illud tantùm Juvenes optimos moneo, qui ſe nobis in diſciplinam tradidere , ut ſi unquam aliàs , in hac maximè Theologiæ parte addiſcenda, D. Thomæ diſcipuli eſſe ambiant: Thomæ, inquam, non Apoſtoli, ſed Angelici. Thomas enim Apoſtolus *credidit quia vidit* , ac ni videret , credere noluit; quod Theologis vitium malignè, ut audiſtis, objicitur: Thomas Angelicus e contrario credendum nunc docet , ut videamus aliquando: ut videlicet per Fidei obſcuritatem, quæ Viatorum conditio eſt, perveniamus ad Patriæ claritatem . In ſequenti de Fide ipſa diſputationem ordiemur , ac primò quidem de Fidei Qualitatibus , Certitudine , & Obſcuritate, ſermonem inſtituemus; tum de ejus Neceſſitate; ſubinde de Symbolis; de Fidei Regulis, Scriptura, & Traditione;

Digitized by Google

DISPUTATIO PRIMA.

De Fidei Divinæ Certitudine, Obſcuritate, atque Neceſſitate.

PRÆLECTIO I.

Non poſſe Fidei ſubeſſe falſum ex parte Dei revelantis, demonſtratur: & Manichæorum, Priſcillianiſtarumque momentis occurritur.

DE Fide Divina, qua nos Chriſtiani a Judæis, Mahumetanis, Idololatris, ac etiam Hæreticis, & noſtræ ætatis Schiſmaticis Græcis, quorum Fides diuturno ſchiſmate periit, cæteriſque, Diſputationem hodierna luce auſpicaturus, ea loco primo expendenda eſſe, atque explicanda cenſui; quæ intimiùs ad fidem attinent, quæque cæterorum, quæ dicenda veniunt, veluti fundamentum, & baſis conſiderantur. Cùm porro binæ ſint intimæ, ac potiſſimæ Fidei noſtræ qualitates, quibus tamquam Eſſentiæ ſuæ partibus conſtat, Certitudo videlicet, & Obſcuritas; illa quidem, qua ab errore, & Opinione diſtinguitur; iſta, qua a Scientia diſcriminatur; idcirco, ut faciliùs Fidei Naturam exponant Theologi, eas ſub ipſum ſtatim ſuſceptæ hujuſce Tractationis initium Quæſtiones agitare ſolent, quæ in illa Certitudine, & Obſcuritate explicanda verſantur. Quo in ordine ea omnium prima ad criſim Quæſtio venit, quæ Princeps eſt cæterarum, ac totius, ut ita dicam, Chriſtianæ Fidei fundamentum: nimirum tanta ne ſit Divinæ Fidei certitudo, ut illi falſum ſubeſſe nunquam poſſit?

Quia porro falſum ſubeſſe Fidei, alterutra via contingeret, ſi fieri res ipſa poſſet; aut ex parte Dei, cujus Revelatione Fides innititur; ſi nimirum falſum aliquid Homini revelaret, ac diceret; aut ex parte credentis Hominis; ſi fortè Divina Fide crederet, quidpiam eſſe revelatum a Deo, quod re ipſa revelatum non eſſet; imò quod aliàs conſtaret, eſſe falſiſſimum; idcirco priorem celeberrimæ Controverſiæ partem expediemus loco primo, quæremuſque, poſſitne Deus falſum aliquid dicere, ac revelare; ut vel hoc pa-

pacto ex parte revelantis Dei falſum Fidei ſubſit. De parte Quæſtionis altera in ſequentibus diſputabimus.

Quæſtionem de Dei mendacitate moverunt primi omnium Manichæi III. & IV. Eccleſiæ ſæculo; qui uti Deum ſua ipſius Natura malum blaſphemabant; ita & Illum, fallacem, atque mendacem effutiebant; qui de induſtria Homines deciperet verbo, falleretque. Qua de cauſſa totum vetus Teſtamentum, tamquam a Deo Natura ſua malo, atque Mendaci, Patriarchis, atque Prophetis dictatum repudiabant. Hos non longo ſecuti ſunt intervallo Priſcillianiſtæ; etſi aliam inducendi, tuendique Erroris viam ingreſſi ſint. Nempe, cùm Mendacium rem planè honeſtam, & licitam eſſe contenderent, ut ſpiſſum illum Errorem ſuum Dei ipſius Authoritate, atque Exemplo confirmarent, Deum Sacris in Litteris ſæpius mentitum effutiebant. Quocirca lepidè Auguſtinus *Lib. cont. Mendacium cap. 2. Nec ſe aliter*, inquit, *arbitrantes* (Priſcillianiſtæ) *veracem ſuam oſtendere falſitatem, niſi Veritatem dicant eſſe Mendacem.*

Ad eum Manichæorum, & Priſcillianiſtarum Errorem de Deo mendaci, atque fallaci confutandum (quod Officii noſtri eſt) miror, Theologos ferme omnes Divinarum Scripturarum Authoritate uti, Sacriſque Oraculis implere paginas, quibus conteſtatur Deus, aut, qui Dei vice, & afflatu loquuntur, Apoſtoli, & Prophetæ, nec re ipſa Deum eſſe unquam mentitum, nec mentiri ullo modo poſſe; Numerorum 23. *Non eſt Deus quaſi Homo, ut mentiatur: ad Rom. 3. Eſt autem Deus verax omnis autem Homo mendax: ad Hebræos 6. Impoſſibile eſt mentiri Deum: ad Titum 1. In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur, Deus: Joannis 8. Qui me miſit* (Deus) *verax eſt:* & alia id genus penè ſexcenta, quæ Sacris in Libris paſſim occurrunt. Quorſum iſta quæſo ad Manichæos debellandos congeruntur; cum ii Deum in Scripturis ſæpe mentitum contenderent, Erroremque ſuum hoc ipſo in Capite conſtituerent? Reponent quippe juxta Sectæ ſuæ Principia, tunc maximè mentitum eſſe Deum Sacris in Litteris, dum ſe veracem profeſſus eſt, qui mentiri omnino non poſſit. Eſt enim hoc Mendacibus familiare, ut mentiri ſe negent, dum maximè mentiuntur. Quare cum id Erroris hujus conditio faciat, ut Sacrarum Scripturarum Authoritate refelli non poſſit, ne Principium, diſputando, ut inquiunt Dialectici, petere videamur; (quod vitandum in arte Syllogiſtica Vitium eſt omnium maximum) id unum reliquum nobis eſt, ut eundem Errorem naturali ratione refellamus: cui certè nuncium mittere Manichæi non poſſunt, niſi Homines eſſe deſierint. Id porro paucis exequimur, mutuatis ex D. Thoma Philoſophicis Rationibus. *Lib. 1. contra Gentes capp. 60. 61. 62.*

Deus ex ipſa ſui Natura, ac juxta eam, quam ſibi quiſque de Illo proponit ideam, eſt ſummum, & primum Ens: igitur eſt ſumma, & prima Veritas: repugnat autem Veritatem primam, ac ſummam mentiri: ſic enim a ſe ipſa recederet, deſineretque eſſe, quod eſt: eo plane modo, quo Deus prima, & ſumma bonitas eſſe deſineret; ſi fortè peccare poſſet, malique moralis quidpiam admittere. Ad hæc accedit, quòd Dei nomine, ſola Philoſophia duce, Ens aliquod intelligimus, quo melius, ac perfectius excogitari nihil poteſt: eo autem, qui mentitur, excogitari quid melius certè poteſt; qui nempe mentitur numquam. Quiſquis enim mentitur, aut mentitur falſus ipſe, atque deluſus; quòd nempe rem falsò apprehenſam falsò etiam enunciet; aut mentitur ſciens, ac volens; quòd rem probè quidem apprehenſam aliter quàm apprehenderit aliis nunciet decipiendi utique cauſſa, atque fallendi. Si deluſus ipſe, falſuſque mentitur, imperfectio profectò illius eſt, quòd fallatur: ſi ſciens volenſque mentitur, rem aliter narrans, quàm re ipſa noverit eſſe, imperfectio quoque eſt; quod vox ejus ab ejuſdem mente diſſentiat; cujus tamen ſignum dicitur eſſe. Quocumque ergo modo res cadat, in vitio Mendax eſt.

Conſtat illud idem ex natura, & conditione Mendacii. Mendacium enim aut ex ignorantia naſcitur, aut ex malitia, aut ex infirmitate. Ex ignorantia quidem, ſi rem ipſam ignorans aliquis, eandem narret ignoranter, & falsò: ex malitia verò, ſi rem apprime ſciens, narret tamen aliter, ut decipiat: ex infirmitate tandem, ſi narret aliter, ut excuſet; quod Pueris, Mulieribuſque familiare eſt. Primum Divinæ Scientiæ repugnat, alterum Sanctitati, tertium Omnipotentiæ.

Quibus Momentis a Philoſophia naturali petitis, aliiſque longè multis, quæ iſthùc advocare facilè eſſet, refutata perinde manet quorumdam Theologorum abſurda, ut mitiùs loquar, aberratio; Gabrielis, Holcot, Aliacenſis, Adami; qui Deum nunquam quidem mentitum dicunt, imò nec de Lege Ordinaria, ut loquuntur, mentiri poſſe fatentur; de Lege tamen extraordinaria mentiri poſſe contendunt. Quaſi verò poſſet Deus de Lege extraordinaria Natura exui ſua, ut jam Deus deſinat eſſe; deſineret verò, ſi poſſet ullo modo mentiri, ut oſtendimus: deſineret enim ſumma, ac prima Veritas eſſe.

Miror ſanè, Viros, aliàs eruditos, in tam apertum Errorem labi potuiſſe; quo poſito, totum ruat neceſſe eſt Fidei noſtræ Fundamentum. Si enim abſolutè, ac de Lege extraordinaria (ut loquuntur) mentiri poteſt Deus, quis ſciat, an illa ſua mentiendi extraordinaria poteſtate ſit uſus, dum Fidei Myſteria Eccleſiæ ſuæ revelavit? De iis itaque certi omnino eſſe nunquam poſſemus. Nec

verò

Digitized by Google

verò Difficultatem effugient Theologi illi, ſi fortè reponant, Deum, etſi mentiri abſolutè poſſit, id tamen revelaſſe, numquam ſe re ipſa eſſe mentitum. Namque & hoc quæram ego: undè ſciemus, Deum tunc ſaltem ſua illa extraordinaria mentiendi poteſtate uſum non eſſe, dum Sacris in Litteris dixit, ſe nunquam re ipſa eſſe mentitum? Non igitur laqueum effugiunt Theologi illi.

Certè Sacræ Litteræ (quarum ſuffragia in Priſcillianiſtas, & Manichæos contorquere inutile eſt; quandoquidem Deum re ipſa Sacris in Litteris mentitum contendebant) Theologorum iſtorum Deum extraordinaria ſaltem lege mentiri poſſe contendentium aberrationem apertè revincunt. Dum enim E. G. *Numer.* 23. dicitur: *Non eſt Deus, quaſi homo, ut mentiatur:* & *Rom.* 3. *Eſt autem Deus verax: omnis autem homo mendax:* utriuſque Naturæ, Divinæ ſcilicet, & Humanæ diſcrimen in eo conſtituitur, quòd ſicut abſolutè mentiri poteſt Homo, ita ex adverſo mentiri abſolutè non poſſit Deus. Si enim de actu mentiendi, deque Lege extraordinaria tantùm ſermo tunc eſſet, non de abſoluta mentiendi poteſtate, fruſtra Divinam inter, & Humanam Naturam diſcrimen hujuſmodi poneretur: cùm multi excellentis virtutis ſint, aut certè eſſe poſſint, qui nunquam re ipſa mentiantur. Non abſimiliter, dum *ad Hebræos cap. 6.* ait Apoſtolus, *Impoſſibile eſt*, *mentiri Deum*, prægravem illam conſecutionem intulit; ut nimirum in Divinis Promiſſionibus *firmiſſimum ſolatium habeamus:* porro firmiſſimum in Divinis Promiſſionibus ſolatium neutiquam haberemus, ſi abſolutè, ac de Lege extraordinaria Mentiri Deus poſſet: anxii enim perpetuò eſſemus, ac dubii, num promittendo mentitus eſſet; aſſerendo ſcilicet id ſe facturum eſſe pro nobis, quod in animo non habebat, ut faceret. Nec noſtram illam dubitationem, atque anxietatem fortaſſis auferret, quòd dixerit Deus, ſe, promittendo nunquam reapſe mentiri: quandoquidem, num id ipſum dicendo mentitus fuerit, dubitare jure poſſemus, ſi abſolutè, Legeque, ut ajunt, extraordinaria aliquando mentiri poſſet. Tota ergo formula cadunt Theologi illi.

His addiderim Eccleſiæ Patres, quorum Suffragia in Priſcillianiſtas, & Manichæos regerere futile eſt, hanc eandem Theologorum illorum aberrationem ab imo ſuffodiſſe. In id enim conſentiunt fermè omnes, Deum nec Omnipotentem, nec Sapientem, imò nec Deum fore, ſi mentiri ullo modo poſſet. Ita D. Ambroſius *epiſt.* 50. *Numquidnam mentitur Deus? Sed non mentitur, quia impoſſibile eſt mentiri Deum . . . . . . Impoſſibile iſtud non infirmitatis eſt, ſed Virtutis, & Majeſtatis; quia veritas non recipit mendacium, nec Dei Virtus levitatis errorem:* S. Athanaſius *de Incarnat. Verbi Dei* (Tom. 1. pag. 58. circa finem) *Abſurdum*

enim,

enim, Deum in ſuis verbis mentiri . . . . . . Non enim verus Deus fuiſſet, ſi, cum dixiſſet nos perituros, non periiſſemus. Anſelmus *Lib.* 1. *Cur Deus Homo, cap.* 12. *Non enim ſequitur, ſi Deus vult mentiri, juſtum eſſe mentiri; ſed potius Deum illum non eſſe.* Unius Auguſtini vice omnium verba dabo. *Sermone* 1. *de Symbolo ad Catechumenos cap.* 1. ubi ſic habet: *Deus omnipotens eſt: & cum ſit omnipotens mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt . . . . . . Nam ſi mori poſſet, non eſſet omnipotens: ſi mentiri, ſi falli; ſi fallere, ſi iniquè agere non eſſet omnipotens: quia ſi hoc in eo eſſet, non fuiſſet dignus, qui eſſet omnipotens.* Cujus quidem Auguſtiniani Oraculi rationem pro more Scholæ aſſignat Doctor Angelicus *Lectione* 2. *ſuper Caput* 2. *Epiſt.* 2. *ad Timotheum: Poſſe enim deficere magis eſt pertinens ad impotentiam; quin quod aliquid deficiat a ſuo eſſe, eſt per debilitatem virtutis propriæ.* Qua itaque ratione fieri poterit, ut Deus de Lege extraordinaria mentiatur? Cum Lege nulla fieri poſſit, ut deſinat eſſe Omnipotens, imò ut deſinat eſſe Deus.

Verum quia, Judice Auguſtino, nihil eſt tam firmis Momentis aſſertum, & confirmatum, quod, ſi adſit ingenium, impugnari non poſſit, videndum quid contra ſupremam Dei Veracitatem Priſcillianiſtæ, & Manichæi ex Sacris Litteris proferebant: tum quid memorati Teologi miſerè corraſerint, ut ſuum illud perabſurdum Syſtema cohoneſtarent, refellemus.

Immenſus profectò ſim, ſi velim cuncta refellere, quæ Priſcillianiſtæ, & Manichæi ex Sacris Litteris congerebant, ut Deum fallacem, atque mendacem oſtenderent; qui Homines re ipſa decipiat, & in errorem inducat. Graviora ad duo ſumma Capita revocabo; ex quorum ſolutione, quid reliquis reponendum ſit, innoteſcet.

Primo itaque loco ea Scripturarum Oracula congerebant, ubi Deus Homines decipere, in errorem inducere, in reprobum ſenſum tradere dicitur; ut 3. *Regum cap.* 22. cùm quæreret Deus; *Quis decipiet Achab Regem Iſrael?* Prodiit Spiritus nequam, qui ſuſcepit, id ſe facturum, decipiendo Prophetas ejus: *Ero*, inquit, *Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus:* quod utique probavit Deus, fierique mandavit, ſubjungens: *Decipies, & prævalebis; egredere, & fac ita.* In quod intendens Michæas Propheta, *eodem capite: Ecce*, inquit, *dedit Dominus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hìc ſunt.* Non abſimiliter Job *Cap.* 12. de Impiis generatim dicitur: *Palpabunt quaſi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet* (Dominus) *quaſi ebrios.* Iſaiæ quoque *cap.* 63. *Quare errare nos feciſti Domine de viis tuis: Induraſti cor noſtrum, ne timeremus te?* Quod quidem de falſis Prophetis eſt dictum, quod Deus ipſe deceperit, ut errarent.

Nos

Nos minùs iſta moramur. His ſiquidem Dei verbis, ad Spiritum nequam datis de Achabo decipiendo, Divinum Præceptum minimè continetur; quaſi vel Deus Spiritui nequam præceperit, ut deciperet Achab, illiuſque Prophetas; aut quaſi Illos re ipſa deceperit Deus, errorem infundens: ſed Divina permiſſio unicè ſignificatur; qua nempe permiſit Deus, ut deciperentur falſi Prophetæ; nec impedivit, quominus Errorem animo imbiberent. Id enim Scripturis familiare eſt, ut Divinam permiſſionem eadem loquendi formula exprimant, qua præceptum, diſtinctamque Dei Voluntatem. Quo pacto *Joan. cap.* 13. Chriſtum Judæ proditori dixiſſe legimus, dum eum eſſet proximè traditurus: *Quod facis, fac citiùs:* non quaſi jubens, ut citiùs traderet, ſed ſinens, nec obſtans, quominus id faceret, quod ſuapte Voluntate facturus erat: ſeu, ut explicant Patres, non illi eſt data tradendi mala Voluntas, ſed permiſſa facultas.

Nec modò Scripturis, ſed & Patribus familiaris eſt illa loquendi formula, ut nuda ſimplexque permiſſio verbis actum exprimentibus ſignificetur. Auguſtinus enim, quo nemo feliciùs Manichæorum Errorem impugnavit *Lib.* 83. *Quæſtionum Quæſt.* 54; *Deum quandoque decipere*, ait, *per Spiritum malum*, *minimè verò per Spiritum bonum:* ut nimirum ſignificet, Spiritum malum Deo permittente decipere, nunquam tamen decipere Spiritum bonum.

Urgebant nihiloſecius Priſcillianiſtæ; Deumque non modò falſos Prophetas in errorem labi permiſiſſe, contendebant, ſed & Prophetas ſuos veros, juſtos, ac bonos ſeduxiſſe aliquando. Cujus reì probationem repetebant ex illo *Jeremiæ cap.* 20. *Seduxiſti me Domine*, & *ſeductus ſum*. Verùm minùs illi verborum illorum ſenſum aſſequebantur. Non enim ſe a Deo ſeductum queritur Jeremias, quaſi ab illo ipſo illuſus eſſet: ſed quòd a Deo ad Judæos convertendos miſſus, non eum, quem ſperabat, fructum reportaſſet; ſed ab iis peſſimis modis habitus eſſet. Quæ certè ſeductio vera non eſt, a Deo ipſo facta, ſed a Judæis potius; cui duntaxat Dei miſſio dederat occaſionem.

Verùm hæc levia, quæ loco primo contra Dei Veracitatem a Manichæis, & Priſcillianiſtis jactabantur. Altiùs multò tibias ſuas inflabant, dum ex variis veteris Teſtamenti Hiſtoriis evincere ſatagebant, Deum per ſeſe aliquando, & ſæpe per Homines ab ipſo ſpecialiter afflatos falſa dixiſſe, putidaque mendacia protuliſſe.

Potiſſimùm illud ex *Cap.* 4. *Geneſeos* jactare ſolebant, ubi timenti Caino, ne ob perpetratum fratricidium ipſe viciſſim occideretur, dixit Deus: *Nequaquam ita fiet:* quod tamen poſtea factum eſt, cùm fuerit ipſe quoque a Lamecho tandem occiſus.

Nullius tamen negotii eſt, Momento huic ſatisfacere. Gemina ete-

na etenim expediendæ Difficultatis via patet. Prima eſt, ſi dicamus, falſum omnino eſſe, quod fingitur, Cainum a Lamecho, aut alio quopiam fuiſſe occiſum. Id enim apertè negant Patres. Et certè qui a Lamecho occiſus dicitur *Geneſis* 4. Adoleſcentulus erat; non itaque Cainus erat, cùm eſſet Cainus Lamechi Tritavus. Altera ſolvendi patet via, ſi dicamus, Deum Caino non promiſiſſe, futurum eſſe, ut non occideretur a quoquam: ſed ut non occideretur impunè. Cùm enim Cainus patrati fratricidii conſcientia tactus, ac timore perculſus dixiſſet: *Ero vagus, & profugus in terra: omnis igitur, qui invenerit me, occidet me:* quo ſignificabatur cædem ipſius in cujuſque arbitrio poſitam eſſe; repoſuit Deus: *Nequaquam ita fiet: ſed omnis, qui occiderit Cain, ſeptulum punietur:* hoc eſt: nequaquam, ut putas, ut times, a quocumque pro arbitrio, & impunè occideris; ſed quicumque occiderit te, ſeptuplum punietur.

Curioſiùs fuerit, data hìc occaſione, obiter inveſtigare, quid ſibi ea Scripturæ Sacræ loquendi formula velit: *Septulum punietur, omnis, qui occiderit Cain.* Miror enim, nonnullos Interpretes implere paginas, ut diſtinctè, & individuè ſeptem illas pœnas exponant, quibus caſtigandus erat quiſquis Cain occidiſſet. Mea verò ſententia, nihil eſt hujuſmodi, quod quæratur. Phraſis enim hebraica illa eſt, ex Judeorum moribus ducta; qua ſimpliciter ſignificatur, graviter fore puniendum eum, qui nefarium fratricidam occidiſſet. Hebræi enim ex veneratione ſeptimæ diei, quam ex Dei præcepto ſummè colebant, propterea quod Deus Orbem condendo die ſeptima quieviſſet, ſeptenarium numerum velut in proverbio habebant, quoties plenam, cumulatamque alicujus rei menſuram, plenum, & integrum numerum ſignificare vellent. Sic *Proverb. cap.* 24. *Septies enim cadet juſtus:* hoc eſt; ſæpe numero cadet: *Pſalmo* 11. *Argentum igne examinatum: probatum terræ, purgatum ſeptulum:* hoc eſt, bene purgatum: *Pſalmo* 78. *Redde vicinis noſtris ſeptuplum:* hoc eſt; inflige illis plagas numero multas. Ubi verò cumulatiſſimam & excedentem menſuram, & numerum denotare ſolebant Hebræi, ſeptenarium numerum decuplo majorem ponebant, ajebantque *ſeptuagies ſepties*. Hinc Petro interroganti *Matth. cap.* 18. *Domine, quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei? Uſque ſepties?* Hoc eſt, dimittam ſæpe? Reſpondit Jeſus: *non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties!* hoc eſt, non tantùm, ſæpe dimittes, ſed & ſæpiſſime. Sic itaque quod ait Dominus *Gen. cap.* 4. *Omnis qui occiderit Cain, ſeptulum punietur*. id ſimpliciter ſonat, punietur graviſſimè: quin propterea neceſſe ſit, ſeptem in Caini Occiſore pœnas diſtinctè perquirere: quod certè puerile admodum, & nugatorium videtur.

Con-

Confirmant id omne Verſiones aliæ ferme omnes. Pro eo enim quod habet Vulgata noſtra, *Septuplum punietur*, habent illæ, *graviter punietur*. Quorſum verò, qui Cainum interfecturus eſſet, graviùs fuiſſet puniendus, quàm vel ipſe Cainus punitus fuerat, qui innocentem Fratrem occiderat, rationem aſſignant Patres: nempe quòd Caini Interfector ex pœna propter fratricidium illi inflicta nihilo cautior evaſiſſet, cùm contra ex eo Exemplo diſcere quiſque maximè debuiſſet, quàm immane eſſet, ac abominabile homicidii ſcelus, quod tanta pœna plecti meruerit. Sed hoc obiter dictum velim. Quare ad Inſtitutum, a quo Caini occaſione pauliſper deflexìmus, redeundum eſſet; & ad cætera Priſcillianiſtarum, Manichæorumque Momenta diluenda progrediundum. Verùm cùm ſatis jam temporis in hocce pertractando Argumento hodierna luce inſumſerimus, ne longiori vos tædio afficiam, quæ dicenda ſuperſunt, in ſequentem Prælectionem remittimus expendenda.

PRÆLECTIO II.

Cætera Manichæorum, & Priſcillianiſtarum Momenta adverſus præcedentem Aſſertionem diluuntur.

ALiquibus in antehabita Prælectione Manichæorum, atque Priſcillianiſtarum Argumentis, quibus, Deum mendaciis quandoque fuiſſe uſum, ex binis Sacræ Hiſtoriæ Factis contendebant, occurrimus. Reliqua modò, quæ ſuperſunt, audienda ſunt, atque expendenda.

Primum *ex Cap.* 12. *Geneſeos* delibabant; ubi Abraham Divino afflatus inſtinctu Saræ ſuaſit, ut ſe ejus Sororem diceret, cùm tamen eſſet Uxor: *Cùmque prope eſſet, ut ingrederetur Egyptum, dixit Sarai Uxori ſuæ: Novi quòd pulchra ſis mulier: Et quòd cùm viderint te Egyptii, dicturi ſunt*, Uxor illius eſt, *& interficient me, & te reſervabunt. Dic ergo, obſecro te, quòd Soror mea ſis: ut benè ſit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui*. Imò Abraham ipſe, *Cap.* 20. *ejuſdem Libri Geneſ.* dixit de Sara Uxore ſua, *Soror mea eſt;* quam etiam idcirco tulit Abimelech Rex Geraræ, ut eam ſibi uxorem copularet: a quo tamen abſtinuit, monente Domino: *En morieris propter Mulierem, quam tuliſti: habet enim Virum* . . . . . . Reſponditque Abimelech: *Domine num Gentem ignorantem, & juſtam interficies? Nonne ipſe dixit mihi, Soror mea eſt; & ipſa ait, Frater meus eſt?* Hoc porro apertiſſimum fuiſſe mendacium, quis non videat? Sara quippe Uxor Abrahami, non Soror erat.

Alterum repetebant ex *Cap.* 22. *ejuſdem Libri Geneſ.* ubi idem Abrahamus aſcenſurus in Montem, ut Filium ſuum immolaret, Servis ad Montis radicem relictis, ait: *Expectate hìc cum Aſino: ego autem, & Puer illuc uſque properantes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos*. Quod certè nonniſi mentiendo proferre potuit Abrahamus, & contra Mentis conceptum, cùm Filium immolaturus aſcenderet, tametſi ſubinde, Angelo retrahente, res præter expectationem contigerit.

Tertium ex *Cap.* 27. proferebant; ubi Jacob, cum Iſaaco Patre jam ſenio confecto, atque cæcutiente fraudulenter egit, apertèque mentitus eſt, inquiens: *Ego ſum primogenitus tuus Eſau:* qualis profectò non erat. Id autem Divino factum inſtinctu teſtantur Patres benè multi, ac ipſe etiam Summus Pontifex Innocentius III. *Cap. Gaudemus Extra. De Divortiis.*

Quar-

Quartum deſumebant ex. *Lib.* 4. *Reg. cap.* 20. ubi ægrotanti Ezechiæ Regi Iſaias Propheta Dei nomine denunciavit : *Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe Domui tuæ : morieris enim tu , & non vives:* qui tamen, ut ex eodem Capite colligitur, annos quindecim ſupervixit.

Quintum promebant ex *Cap.* 3. Jonæ Prophetæ, qui Ninivitis Dei nomine denunciavit: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur:* quæ tamen ſubverſa non eſt. Ita Manichæi, & Priſcillianiſtæ, ut Deum fallacem, & mendacem oſtenderent, ſeu locutus ſit Ipſe per ſeſe, ſeu per Viros ſpecialiter a ſe afflatos.

His porro ſingillatim reponimus. Ad primum , quod ex Abrahami Hiſtoria repetebant, brevi verbo reſpondemus, Sanctiſſimum Patriarcham inculpatè prorſus , ac citra mendacium Saram Uxorem ſuam dixiſſe Sororem, quia re ipſa & Uxor Illi erat, & Soror: Uxor, quòd illi Matrimonio juncta eſſet; Soror autem, quia aliunde proxima Illi Conſanguinitate conjuncta. Illius quippe Neptis erat; Filia ſcilicet Aram Abrahæ Fratris. Familiare etenim erat in veteri Teſtamento, ut proxima Cognatione juncti , Fratres dicerentur , ſive Sorores . Sic Loth ejuſdem Arami Filius , atque idcirco Abrahæ Nepos , Abrahæ Frater dicitur *Geneſeos cap.* 13. *Ne quæſo*, inquit Abraham ad Loth , *ſit jurgium inter me , & te , & inter Paſtores meos , & Paſtores tuos ; Fratres enim ſumus*. Non eſt itaque mentitus Abraham ea occaſione, dum ipſe dixit, vel Saræ ſuaſit , ut ſe ejus Sororem diceret , Uxoris titulo ſilentio prætermiſſo. Primum enim, quod inſinuavit, ex more Patriæ veriſſimum erat; alterum tametſi perinde verum , non negavit, vel negare perſuaſit, ſed juſta ratione ſimpliciter tacuit: quod ſanè licuit ſemper, ac citra omne mendacii crimen, præſtare. Nulla ſiquidem Lege tenemur, omnem veritatem ſemper quacumque data occaſione propalare; ſed ſilere utique poſſumus, dummodo non negemus. Si verò ſciſcitanti negaſſet Abraham , vel negare Saræ ſuaſiſſet, ſe Illius Conjugem eſſe , mendacium certè perpetraſſet, vel perpetrare feciſſet , adeoque ſe mendacii crimine polluiſſet ; quod tamen ex Sacro Textu minimè colligi poteſt . Sed etſi colligeretur, nil contra Deum , ut Manichæi contendebant, evinceretur: in ea enim hypoteſi abſque hæſitatione reponeremus, id Abraham egiſſe, non ex Divina inſpiratione, ſed ex humana potius infirmitate, qua Vitæ ſuæ mendacio conſulere maluiſſet; neque enim ab Abrahamo peccatum omne, etiam leve , removemus, cujuſmodi mendacium illud extitiſſet: quandoquidem ſepties (nimirum ſæpius juxta Hebraicam phraſim) Juſtum cadere, ſeu leviter peccare , monet Sapiens *Proverb. cap.* 24. nec (una excepta B. Virgine , cujus Privilegium ſingulare fuit) Hominem

extitiſſe unquam, vel extiturum puto, qui non aliquando aliqua levi ſaltem noxa in toto ſuæ Vitæ curſu inquinatus non fuerit.

Neque refert, quòd ea Abrahami loquendi formula; *Soror mea eſt*, vel altera, *dic ergo, obſecro te, quod Soror mea ſis*, decepti Pharao, & Abimelechus Marito liberam putarint, eamdemque Matrimonio ſibi copulare cogitaverint. Pharaonis enim, & Abimelechi culpa fuit, quòd id fecerint inconſultò; ſeque ipſimet deceperunt, dum ad uſitatum Patriæ, & temporum loquendi morem, uti debuiſſent, animum minimè attenderunt.

Nullo meliori titulo, Deo inſpirante atque afflante, mentitum Abrahamum obiiciunt Priſcillianiſtæ, dum Filium immolaturus ſervis ſuis ad Montis radices relictis dixiſſe legitur: *Expectate hic cum Aſino: ego autem, & Puer illuc uſque properantes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos:* cùm tamen non eſſent ambo reverſuri, ſed Abraham tantùm, immolato jam, ut Ipſe quidem arbitrabatur, in Montis vertice Iſaaco Filio. Nihil, inquam, hoc Priſcillianiſtarum cauſſam juvare poteſt. Imprimis enim, quanquam mentitum tunc Abrahamum, & contra mentem locutum concederemus; perperam tamen mendacium illud refunderetur in Deum, niſi Deo inſpirante & afflante locutus tunc Abraham demonſtretur: quod non ita de facili demonſtrabitur. Neque enim quæcumque vel dixere, vel fecere Patriarchæ, imò & Prophetæ, Deo ſemper afflante feciſſe, vel dixiſſe putandi ſunt. Namque & Ipſi ſuos quandoque paſſi ſunt manes; & pro humana conditione & infirmitate nonnulla patrarunt, quæ certè Deo nequaquam inſpirante fecerunt, ut ſuperiùs dicebamus; quod in Jona, in Davide, aliiſque pluribus ſanctiſſimis Viris ſatis compertum eſt. Ita difficultatem elidit Melchior Cano *Lib.* 2. *de Locis Theol. cap.* 4. ubi Abrahamum ea ratione fuiſſe mentitum contendit, *quod contra mentem diſſimulandi cauſſa locutus eſt.*

Quia tamen hanc Cani Sententiam neutiquam nos probamus, quamvis nonnullorum Patrum, pluriumque Sacrorum Interpretum Suffragiis communitam, cæterorum Sententiæ, quæ communior eſt, adhæremus, Abrahamumque nec mentitum, nec contra mentem fuiſſe locutum contendimus, dum dixit, ſe una cum Filio, quem a ſe immolandum eſſe pro certo habebat, reverſurum ad Servos: quia nimirum Filium immolatum, credebat fore protinus ſuſcitandum, ne Promiſſiones Divinæ de Illomet pronuntiatæ fallerentur, quibus antea pollicitus fuerat Deus *Geneſ. cap.* 21. Abrahæ ſemen propagandum per Iſaacum: *Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus, quia in Iſaac vocabitur tibi Semen:* quod profectò, cùm cælebs adhuc eſſet Iſaacus, contingere nullo pacto potuiſſet, ſi a Patre occiſus ſuſcitandus non eſſet, ut generationi operam daret.

Id

Digitized by Google

Id non obſcurè ſignificaſſe videtur Apoſtolus *ad Hebræos cap.* 11. inquiens: *Fide obtulit Abraham Iſaac . . . . . . arbitratus, quia & a mortuis ſuſcitare potens eſt Deus.*

Nec quicquam obeſt, quod ait Ambroſius *Lib. de Abraham cap.* 8. *captioſè* nimirum cum ſervis ſuis Eum fuiſſe locutum, *ne cognito negotio impediret aliquis, aut gemitus obſtreperet, aut fletu:* quaſi Ambroſius aliquo mendàcii genere pollutum Abrahamum ſignificet: captioſa enim locutio ad quoddam mendacii genus pertinere videtur. Non, inquam, id obeſt: quandoquidem Tò *captioſè* idem profectò ſonat, ac cautè, ut rectè notant eruditi Benedictini ſuper eum Locum laudantes *Gloſſam Decreti: nimirum ne videatur Ambroſius* (eorum verba refero) *docuiſſe, Abraham ſimulatè, aut mendaciter locutum. Fuere ſiquidem, qui nihil aliud his Doctoris noſtri verbis ſignificari contenderent, niſi S. Patriarcham mentitum eſſe, quòd contra mentem diſſimulandi cauſſa ſit locutus; prophetaſſe autem, quòd verum dixerit, licet neſciens. His Melchior Canus Lib. 2. de Locis Theol. cap. 4. ſubſcribit. Nec tamen putes, hinc Abrahæ Pietati quicquam detrahi; cùm veterum Patrum uſque ad Auguſtini tempora communis fermè opinio fuerit, boni alicujus, vel officii ergo mentiri, peccatum non eſſe. Verùm Sententiam hanc funditus evertit Auguſtinus; cui Omnes poſtea ſuffragati ſunt. Tamen Ambroſium in prima non fuiſſe opinione haud illibenter credimus; tum quia id ſatis indicat Auguſtinus Epiſt. 82. tum quia Sanctus ipſe noſter omne ſimulationis, ac mendacii genus proſcribit Lib. 7. in Caput 12. Lucæ, & Lib. 3. Offic. cap. 9. atque alibi. Unde etiam D. Thomas 2. 2. quæſt. 111. art. 1. docet, Ambroſium iſtic Myſterium, & Prophetiam agnoſcere, non mendacium, & ſimulationem.*

Scio non defuiſſe qui difficultati huic aliter ſatisfacere conati ſunt, contendentes, Abrahamum nequaquam fuiſſe mentitum, dum ait ad Servos *poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos:* quia de ſe ſolo id protulit, non autem de Filio, qui ut ipſe quidem putabat, immolandus erat. Quod autem plurali numero locutus fuerit, nihil obeſt; quia emphatica vox illa fuit, more Principum atque Magnatum, dum pro poteſtate ſubditos ſuos alloquuntur hiſce formulis, mandamus vobis, præcipimus, inhibemus, & aliis hujuſmodi verbis plurali numero uſurpari ſolitis. Potuit præterea Abrahamus de ſe ſolo reverſuro loquens multitudinis numerum uſurpare, *revertemur ad vos*, phraſi Sacris Scriptoribus utique familiari, qui ea perſæpe, veluti a pluribus geſta narrant, quæ ab uno duntaxat de multitudine, ſeu de numero facta ſunt, dum Perſonarum conditio potius, quàm Perſonæ ipſæ conſiderantur. Sic Matth. *Cap.* 26. ubi narratur, quàm magnam Unguen-

guenti copiam ad Chriſti pedes, & caput effuderit Mulier in Civitate peccatrix, ſubjungitur: *Videntes autem Diſcipuli indignati ſunt dicentes: ut quid perditio hæc?* Quod tamen unus Judas proditor dixit. Sic & *Matth. cap. 27. Idipſum autem & Latrones, qui crucifixi erant cum Eo, improperabant Ei: & Marci Cap. 15. Et qui cum Eo crucifixi erant, convitiabantur Ei*; ſcilicet Chriſto Domino de Cruce pendenti: cùm tamen Latronum duntaxat unum convitiatum Chriſto fuiſſe affirmet Lucas *cap. 23. Unus autem de his qui pendebant, Latronibus, blaſphemabat Eum*. Si cui hæc placent effugia, ipſa amplectentur: nos ſuperiori Reſponſo adhæremus; quod & Apoſtoli, & Patrum Doctrinæ magis accomodatum novimus.

Jam de Jacob Patris ſui Iſaaci Benedictionem ſurripiente, quam Ille Eſau primogenito deſtinaverat, haud ita facilè definierim, ſit ne Ille a Mendacio excuſandus, nec ne? Quæ altera Priſcillianiſtarum objectio eſt. Hac enim in re Eccleſiæ Patres, ac Scripturarum Interpretes ſecum invicem commiſſos video, aliis Jacob a Mendacio excuſantibus, aliis contra incuſantibus. Et quidem, ſi Jacob, in hac tota, quæ narratur, Hiſtoria, ut Patris Benedictionem Eſau fratri ſurriperet, primogenitum ſeſe duntaxat vocitaſſet, *Ego ſum primogenitus tuus*, a Mendacio excuſaretur quàm facillimè. Quia, tametſi non Natura, at certè emtionis jure, & prælatione Divina primogenitus factus fuerat: jure, inquam, emtionis, quia (*Geneſ. cap. 25.*) hæc ipſa prioris ortus jura Lentis edulio a prophano Eſau ſibimet emerat. Divina quoque deſtinatione, quia Fratri ſuo a Deo ipſo prælatus fuerat, *eodem in Capite: major ſerviet minori:* hoc eſt, Eſau ſerviet Jacob: nam Primogenitorum jus erat, ut minoribus Fratribus imperarent, dum ſimul cohabitarent. Quin nec deſunt, qui hujuſmodi Privilegium ex ipſa etiam Natura Jacob debitum aſſerant; propterea quod, ajunt ipſi, juxta naturales diſpoſitiones Jacob naſci primus debuerat; quod tamen haud contigit imperitia Obſtetricis, quæ Gemellorum loca mutavit, prioremque repulit, ut poſteriorem primùm deduceret; vel etiam quòd, cùm colliderentur ante partum in Utero Parvuli, ut legitur *Geneſ. Cap. 25.* locum inter ſeſe inverterint, primumque Eſau caſu obtinuerit, quem Jacob in conceptione ſortitus fuerat: quibus tamen neniis, atque commentis nuntium ego mitto quàm lubentiſſimè. Quamquam, etſi ea omnia, quæ pro arbitrio venditantur a Sciolis, veritate niterentur, nihil prorſus ad rem evincerent; cùm non ex loco, quo quis in Matris Utero ex conceptione ſortitur, ſed ex ipſo ortu Primogenituræ jura acquirantur, quocumque tandem modo contingat. At verò non id duntaxat Jacob protulit, *Ego ſum primogenitus tuus*; alia plura addidit, animo

etiam

etiam Patrem decipiendi, quæ a mendacio, & fraude excuſari omnino non poſſe videntur. Singula, rogo vos, expendamus. *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*, inquit: quod ſanè de vera, propriaque illius Perſona a Patre intelligi voluit: ob id enim Hædorum pelliculas illius manibus circumdederat Mater ejus, ut verus Eſau ſecundum Perſonam crederetur a Patre; piloſus enim, atque hirſutus erat Eſau, non item Jacob. Addidit: *Feci*, *ſicut præcepiſti mihi*. Minimè verò: nec enim Ipſi quicquam præceperat Iſaac, ſed Fratri ejus. Quid verò præceperat Eſau? *Sume arma tua*, *pharetram*, *&* *arcum*, *&* *egredere foras: cùmque venatu aliquid apprehenderis*, *fac mihi inde pulmentum:* quorum omnium nihil profectò egit Jacob; qui pergens ad Gregem attulit duos Hædos optimos, ex quibus Rebecca cæcutienti Seni cibos paravit. Subjunxit Jacob Patrem alloquens: *Comede de venatione mea:* En tibi Mendacium alterum patentiſſimum: nec enim ex ejus venatione, quam nullam fecerat, cibi illi parati fuerant, ſed ex Hædis de Grege allatis. Sed quid opus eſt verbis, ut Jacobum Patri ſuo Iſaaco mentitum probemus; cùm ſe ipſum fraudibus ejus illuſum tandem confeſſus ſit optimus Senex, dum, peracta tota illa facti ſerie, verus Eſau de venatione reverſus ſubintravit, fraudemque retexit? Ait enim illi Iſaac Pater ſuus: *Venit Germanus tuus fraudulenter*, *&* *accepit Benedictionem tuam*. Ecquæ verò fraudes illæ erant, quibus Patrem deluſit, niſi tot illa congeſta Mendacia, verbis, & factis expreſſa? Quare Jacobum ea in occaſione a Mendacio excuſari non poſſe puto cum Origene, Chryſoſtomo, Theophylacto, Toſtato, Lipomano, Cajetano, Cornelio a Lapide, aliiſque non paucis Sacrarum Scripturarum Interpretibus, quos recenſere longum eſſet.

Neque obeſt, quod Factum hoc *totum Myſterium fuerit*, ut loquitur Auguſtinus. Quaſi verò non poſſit idem Myſterium ſimul eſſe, atque Mendacium? Myſterium certè erat ex parte Dei, qui multa Facto illo ſignificari voluit de Chriſto Domino: at Mendacium fuit ex parte Jacobi; qui nihil de Myſterio cogitans, nil niſi Patrem fallere intendebat, ut Benedictionem Eſau deſtinatam, mentiendo, fingendoque, ſurriperet. Certè poſſe unum idemque Factum & Myſterium eſſe, & Mendacium, aut aliud quodcumque peccatum, liquet aliis permultis Exemplis. Namque inhoneſtum E. G. Chami Factum, Patris ſui Noemi pudenda revelantis, & ſcelus fuit, & Myſterium: ſcelus ex parte Chami inhoneſtè agentis; Myſterium ex parte Dei, hac ipſa inhoneſta Chami Actione Sacrum aliquid præſignantis, puta Chriſti Domini nudationem, & irriſionem ab impiis Pilati Satellitibus peractam, antequam Eum Cruci affigerent; vel quid aliud hujuſmodi. Factum non abſimiliter

ter Lothi, qui & inebriari ſe ſinit, & Filiabus ſuis inceſtuosè abuſus eſt, ſcelus fuit, & Myſterium: ſcelus, inquam, ex parte Lothi, uti profectò ambigit nemo: Myſterium ex parte Dei, qui hac ipſa inebriatione, copulaque inceſtuoſa futurum aliquid præſignavit; E. G. Hebraici Populi cum Gentibus commixtionem aliquando futuram, vel Davidis cum Berſabea, vel Judæ cum Thamar, vel quid hujuſmodi. Ita de tota illa Jacobi Hiſtoria Paternam Benedictionem ſurripientis ſentiendum; Myſteriorum ſcilicet ex parte Dei, & Mendaciorum ex parte Jacob eſſe pleniſſimam.

Neque tamen (quod improbè colligebant Priſcillianiſtæ, & Manichæi) Deus tot illa Mendacia inſpiraſſe cenſendus eſt Jacobo, aut etiam Rebeccæ, cujus ſuaſu, atque conſilio geſta ſunt omnia. Deus enim deſtinata Voluntate illud tantùm per ſeſe voluit; Jacobum natu Minorem Eſau natu Majori præferri; Jacobum præ Eſau a Patre Iſaaco benedici. Hoc unum Divino inſtinctu, atque afflatu geſtum eſt: at media, quibus id fieret, totam ſcilicet Mendaciorum ſtruem, ordinemque nec ſuaſit Ille, nec juſſit, nec inſpiravit, ſed permiſit duntaxat, ut ad conſtitutum finem cuncta perducerentur, ea videlicet Providentia, qua novit, bona ex malis etiam elicere; quin propterea malorum Author eſſe dicatur. Eo ſanè modo, quo Deus Joſephum Egypti Proregem, & Servatorem deſtinata Voluntate fieri voluit; nec tamen Venditionis peccatum ab illius Fratribus perpetratum, quo demum ad eam dignitatem pervenit, ſuaſit. Ille, inſpiravit, afflavit; aut, ſi vultis etiam, eo plane modo, quo Deus, Chriſtum ad Hominum Redemptionem mori in Cruce voluit: nec tamen Judæis crudelitatem afflavit, ut Eum crucifigerent, ſed ingenita illis crudelitate fuit uſus, malaque illorum Voluntate, ut ad deſtinatum Providentiæ ſuæ Finem perduceret univerſa.

Erit fortaſſe, qui opponat: qui vult Finem, vult quoque Media quibus pervenitur ad Finem, ut habet vulgatum Axioma: ſi ergo voluit Deus, Jacobum Eſau Fratri ſuo præferri, Benedictionemque alteri a Patre deſtinatam reportare; ea itaque Mendacia voluit, inſpiravit, ſuggeſſit, quibus Paternam Benedictionem illam obtinuit. Lepidè verò. Et nonne, ſi hæc valeret Argutia, conſequens perindè eſſet, Deum Judæorum crudelitatem voluiſſe, inſpiraſſe, ſuggeſſiſſe, qua Chriſtus in Crucem eſt actus? Quandoquidem & hæc ipſa Judæorum crudelitas Medium fuit, quo Deus ad Redemptionis Humanæ Finem pervenit. Repono itaque, ſtare vulgatum Axioma, ubi Media ad Finem obtinendum per ſeſe influunt, non ubi ex accidenti duntaxat Finis ad hujuſmodi Media conſequitur, uti Jacobo accidit, & Chriſto Hominum Redemptori.

Sed

Sed ad reliqua veniamus mendaciorum Exempla, quibus Priſcillianiſtæ & Manichæi turpiter abutebantur, ut Deum Mendacem, atque fallacem oſtenderent. Tantum enim otii nobis non eſt, ut ita in ſingulis immoremur. Sequitur ergo Iſaiæ Prophetæ denunciatio, Dei nomine facta, Ezechiæ Regi ægrotanti: *Præcipe domui tuæ; morieris enim tu, & non vives;* qui tamen annis quindecim ſupervixit; atque ita falſus, atque mentitus Iſaias videri poteſt, Deo licet afflatus eſſet. Cui duo ſunt, quæ nobis reſpondere conveniat. Primum, comminatoriam illam fuiſſe Prophetiam; quæ juxta communem loquendi caſum accipienda venit, tacita quadam conditione ſubintellecta; ſi nimirum is, cui fit comminatio, non reſipiſcat. Reſipuit autem Ezechias, ut *Lib.* 4. *Regum cap.* 20. notatum eſt: *Qui convertit faciem ſuam ad parietem, & oravit Dominum dicens: Obſecro Domine, memento quæſo quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te, fecerim. Flevit itaque Ezechias fletu magno.* Quapropter addidit Illi Dominus quindecim annos vitæ. Unde nulla fuit in Iſaiæ Prophetia falſitas, aut Mendacium; ſed conditio defuit, qua ſola poſita, erat exitum habitura. Alterum eſt, quod exponit Doctor Angelicus 1. *par. quæſt.* 19. *art.* 7. *ad* 2. & 2. 2. *quæſt.* 171. *art.* 6. *ad* 2. Iſaiam ſcilicet verbis illis denuntiaſſe Ezechiæ, quod ſpectata ægritudinis gravitate futurum erat. Quare nil falſi prophetavit; ægrotabat enim ad mortem, ſi ſolæ ſecundæ cauſſæ inſpicerentur: non tamen id tunc temporis denuntiaſſe, quod ſuperno Dei Conſilio, Divinaque diſpoſitione ſtatutum fuerat; quod quidem poſtmodum prænuntiavit, dum inquit: *Hæc dicit Dominus Deus David Patris tui: Audivi Orationem tuam, & vidi lacbrymas tuas: & ecce ſanavi te: die tertio aſcendes Templum Domini. Et addam diebus tuis quindecim annos.* Quod ita ſubinde contigit.

Idem ad Jonæ Prophetiam, a Manichæis objici ſolitam, reponere juvat: *Adbuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur;* quæ tamen re ipſa ſubverſa non eſt: quia abſoluta Prophetia non fuerat, ſed ordinaria conditione ſuſpenſa; niſi reſipiſcens egerit pœnitentiam. Egit autem; ideo ſubverſa non eſt, nihilo violata prophetica veritate, quæ ex hac ipſa conditione pendebat.

Minoris operæ fuerit expedire momentum aliud, quod *ex Lib. Exodi cap.* 1. delibabant Priſcillianiſtæ, & Manichæi, ut oſtenderent, Deum uſque adeo Mendacem eſſe, atque fallacem, ut etiam Mendacium in Hominibus commendaret, præmiiſque afficeret. Quocirca Factum Obſtetricum Ægyptiarum proferebant, quibus cùm præcepiſſet Pharao Rex Ægypti, ut Hebræorum maſculos interficerent; ipſæ putido Mendacio repoſuerunt: *Non ſunt Hebrææ ſi-*

cut Ægyptiæ Mulieres: ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam; & priuſquam veniamus ad eas, pariunt: quo Suffugio planè mendaci ita delectatus eſt Deus, ut Obſtetrices illas affecerit præmio: *Bene ergo fecit Deus Obſtetricibus . . . . . Et quia timuerunt Obſtetrices Deum, ædificavit eis Domos.*

Verum non eſt ita, ut dicitur, non eſt ita. Nec enim ob Mendacium benefecit Deus Obſtetricibus, ſed ob affectum Miſericordiæ, quo Maſculis Hebræorum parvulis pepercerunt, ſpreto impii Regis Edicto. In hoc ergo Obſtetricum facinore duo ſecernenda veniunt: beneficium Hebræis parvulis præſtitum, & medium, quo Ægyptiæ Obſtetrices adhibuerunt, ut id beneficii præſtarent. Primum temporali præmio affecit Deus, non item alterum.

Difficultatem multò graviorem præſeferre videretur, quod ex *Lib. 2. Regum cap. 7.* peti poſſet; ubi deceptum omnino falſumque videmus Nathan Prophetam, ac poſtmodum revocare juſſum, quæ Regi Davidi de Templo ædificando denunciaverat. Cùm enim propoſuiſſet David ædificare Templum Domini, Conſilium ejus laudavit Nathan Propheta, probavitque his verbis: *Omne, quod eſt in corde tuo, vade, fac: quia Dominus tecum eſt.* Verùm ſequenti nocte reſponſum hoc retractare a Deo juſſus eſt Nathan, tanquam imprudens & falſum; palamque Davidi denunciare, Templum non ab Ipſo, ſed ab ipſius Filio Salomone fore ædificandum. *Vade*, (inquit Deus) *& loquere ad Servum meum David: hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi Domum ad habitandum?* Et paucis interjectis ſubditur: *Cùmque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de Utero tuo, & firmabo regnum ejus. Ipſe ædificabit Domum Nomini meo, & ſtabiliam thronum Regni ejus uſque in ſempiternum.* Quo ex Facto planè conſequens videtur eſſe, ipſos quoque Prophetas Sanctiſſimos a Deo peculiariter afflatos, falli quandoque, labique in errorem: qui idcirco in Deum, a quo Illi afflantur, neceſſariò refunditur.

Difficultatem tamen illam brevis obſervatio depellit, ac fugat; ſi videlicet attendatur, Lumen propheticum, quo Deus Prophetas afflare dicitur, habitum non eſſe permanentem, atque conſtantem, qui Illis ſemper affulgeat; ſed fugitivum duntaxat, fluxumque fulgorem, qui Illorum menti colluceat quo tempore a Spiritu Sancto moventur, ac veluti extra ſe rapiuntur. Quare, ſi quid extra id temporis Prophetæ loquuntur, ſi quid effantur, ſi quid eructant, non jam uti Prophetæ Divino Spiritu acti loqui cenſentur; ſed uti privati Homines Genio ſuo ducti; quorum idcirco dicta & pronunciata, ſi fortè a vero exorbitent, in Deum minimè ſunt refundenda.

Occu-

Occupatis nunc , ac probè retuſis Manichæorum , & Priſcillianiſtarum momentis , quibus Deum quandoque mentitum , falſaque locutum evincere ſatagebant , ad eos convertenda Oratio eſt Theologos recentiores , qui Deum , ſin minùs re ipſa mentitum fuiſſe aliquando, at ſaltem mentiri abſolutè poſſe, contendunt : Quod erit ſequentis Exercitationis Argumentum.

Digitized by Google

PRÆLECTIO III.

Theologorum illorum Momenta refutantur, qui tametſi Deum nunquam mentitum eſſe, imò nec de Lege ordinaria mentiri poſſe, catholicè fatentur, de Lege tamen extraordinaria id poſſe præſtare contendunt.

Refutatis ſuperiori Tractatione Manichæorum; & Priſcillianiſtarum Erroribus, quibus Deum fallacem, atque mendacem aliquando extitiſſe blaſphemabant, erat animus ad alteram inſtitutæ Diſputationis partem ſtudia noſtra, curaſque convertere. Verum quom nus id agamus, quorumdam Theologorum nimia opinandi licentia facit; qui antiquati dudum Erroris miſeras reliquias in Scholas Theologicas intulerunt; dum Deum, quem re ipſa nunquam mentitum, ac de Lege ordinaria mentiri poſſe concedunt, abſoluta tamen Poteſtate, ac de Lege extraordinaria mentiri poſſe fabulantur: quorum ineptas argutias inſolutas relinquere, ſcelus eſſet; maximè cùm illorum Syſtema abſurdiſſimum cumulatè jam in ſecunda Exercitatione omni momentorum genere retuderimus, ubi ſpectata Dei Natura, & Conditione impoſſibile omnino eſſe probavimus, Deum ullo pacto poſſe mentiri.

Theologos illos tres in Claſſes diſtinctos invenio; omnes tamen futilibus, & inanibus Ratiunculis nixos. Sunt enim ex iis aliqui, qui Deum abſolutè mentiri poſſe ajunt, rem longè aliter, quàm ipſa ſit, Hominibus enarrando, quia Omnipotens eſt; nihilque illius Omnipotentiæ ſit detrahendum. Quam nos Ratiunculam, ne dicam inſulſitatem, ſecunda prælectione occupavimus; ubi ex Auguſtino, & Doctore Angelico planum fecimus, mentiri Poteſtatis non eſſe, ſed Infirmitatis; eaque potius ratione Deum mentiri non poſſe, aliudve peccatum admittere, quia Omnipotens eſt.

Urgent tamen Illi in abſurdi Syſtematis probationem, ajuntque, Deum nulla Lege teneri ad rem, uti eſt, Hominibus denunciandam; nihilque Eum Creaturæ ſuæ debere; adeoque nec adſtringi ad verum Illi propalandum. Sit ita porro, inquio ego; nulla Lege externa teneatur Deus: tenetur tamen ſe ipſo, ſuaque ipſius veritate; quam tam violare non poteſt, quàm non poteſt negare ſe ipſum. Nihil Creaturæ ſuæ debeat Deus; bene eſt: at debet ſibi: ac licet a veritate Homini propalanda abſtinere abſolutè poſſit, nihil de illa revelando; ſi quid tamen de illa revelare voluerit, verum tenetur

reve-

Digitized by Google

revelare, non falſum: tenetur inquam, non alicujus externæ Legis imperio, cum Legi Deus nulli hujuſmodi ſubſit; ſed ſe ipſo, ſuaque ipſius Veritate, quæ Illi ipſi Lex eſt: *Voluntas Dei ipſa eſt Lex Dei*, inquit egregiè Auguſtinus *Ennar. in Pſalm. 36. Serm. 3. num. 5.*

Urgent Illi obſtinatiùs, atque in eo vim maximam ponunt. Error de illis ſaltem rebus, quas quis ſcire minimè tenetur, E. G. ſit ne Terra rotunda, an plana; Stet ne, an moveatur; error, inquam, de rebus hujuſmodi naturalibus, malum culpæ non eſt, ſed ut ut maximè malum pœnæ: poteſt autem Deus malum pœnæ cuipiam infligere; maxime ſi ob aliquod peculiare delictum caſtigari mereatur: poteſt igitur Deus habitum erroris de rebus hujuſmodi naturalibus alicui infundere, aut falſum aſſenſum ſpeciali quodam modo inſerere; ſeu id Ille mentiendo faciat, ſeu peculiari quadam motione in errorem Homines inducendo.

Rideo feſtivos Diſputatores: ſit uti volunt, ſit error de hujuſmodi veritatibus naturalibus malum pœnæ, non culpæ; eaque fortaſſis ignoratione, uti pœna, caſtigari mereatur Homo: poteſt quidem Deus Hominem eo in errore relinquere, uti nos omnes E. G. in ignoratione extremi judicii reliquit, diem ſcilicet illam minimè declarando: at non poteſt expreſsè in errorem inducere mentiendo nobis, remque aliter, quàm ipſa ſit, affirmando, aut erroneum nobis habitum infundendo, ob rationes ſæpius inſinuatas; præſertim verò, quod hoc rationi ſummæ, & primæ Veritati omnino repugnet. Unde ſicuti ratione primæ Bonitatis nihil facere poteſt, quod bonum non ſit; ita ratione primæ Veritatis nihil revelare, inſinuare, vel inſpirare poteſt, quod non ſit verum.

Succedunt eo in ordine Theologi alii, qui Deum ſin minùs ſe ipſo, at ſaltem per alium mentiri de Lege extraordinaria poſſe contendunt; Alium ſcilicet afflando, ut falſum aliquid quærentibus, & interrogantibus proferat; quæ Aliacenſis, & Gabrielis opinio fuit, nihilò profectò tolerabilior. Quemadmodum enim indifferens omnino eſt, quòd quis aut lingua, aut nutibus, aut ſcripto loquatur; eademque ſemper proferendæ veritatis obligatio incumbit; ita perinde eſt, quòd quis ſe ipſo, aut per alium mentiatur: adeoque tam non poteſt Deus per Internuncium falſum dicere, quam nec per ſe ipſum: ſic enim ipſemet falſum per nuncium ſuum diceret: *Non enim vos eſtis, qui loquimini; ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Matth. cap. 10.*

Certè rueret perinde totius noſtræ Fidei fundamentum, ſi Deus in alio, & per alium falſum dicere poſſet de Lege extraordinaria. Deus enim Fidei veritates Eccleſiæ ſuæ revelavit per Internuncios ſuos; Patriarchas ſcilicet, Prophetas, atque Apoſtolos, qui Libros Cano-

Canonicos conſcripſerunt. Si ergo per Internuncium mentiri abſolutè poteſt, nunquam profectò certi erimus, ea Illum per hujuſmodi Internuncios mentiendi poteſtate non eſſe uſum: atque ita ſemper in incerto Fidei noſtræ fluctuabimus. Tota ergo formula cadunt Theologi illi.

Poſtremò tandem loco veniunt alii, qui putant, Deum, ſin minùs ut ſubſiſtentem in Natura propria, at certè ut ſubſiſtentem in Humana Natura, qualis erat Chriſtus Dominus, poſſe abſolutè mentiri: atque ita Chriſtum abſolutè mentiri potuiſſe comminiſcuntur. Quod ita ſibi videntur evincere. Deus, inquiunt Illi, non minùs eſt Vita, quàm Veritas: *Ego ſum Via, & Veritas, & Vita*, inquit Chriſtus Dominus *Joan. cap.* 14. at tametſi ſe ipſo Vita ſit, in aſſumpta tamen Natura mori potuit: quamvis itaque ſe ipſo Veritas ſit, quidni in aſſumpta Natura mentiri potuerit?

Argutè ſcilicet, atque ſubtiliter. Non advertunt imprudentes, ingens diſcrimen eſſe inter mortalitatem, & mendacitatem. Mortalitas, uti & paſſibilitas, defectus phyſici ſunt Humanæ Naturæ: qui, præterquamquod eam neceſſariò conſequuntur, poſſunt etiam ad finem Redemptionis Humanæ referri, eidemque inſervire. Quare nihil vetat, Chriſtum Humani Generis Redemptorem paſſibilitati, & mortalitati fuiſſe obnoxium, ut & pati, & mori pro nobis poſſet. At Mendacitas, ſeu mentiendi poteſtas defectus moralis eſt, fini Redemptionis Humanæ planè contrarius: quare repugnabat, defectum illum moralem aſſumi a Deo, dum pro nobis Humanam Naturam aſſumpſit; non autem repugnabat aſſumi phyſicos defectus, quos certè plures aſſumpſit, ac inter eos ipſam paſſibilitatem, quæ juxta æternum Divinæ Providentiæ Decretum, Medium erat Redemptionis Humanæ.

Addiderim Mortalitatem, & Paſſibilitatem ad genus Paſſionis pertinere; Mendacitatem verò, & Peccabilitatem ad genus Actionis. Porro Paſſiones ita Humanam Naturam afficiebant in Chriſto, ut tamen Perſonam illius Divinam nequaquam afficerent, ſed duntaxat, ut Schola loquitur, denominarent: Actiones verò, qualeſcumque illæ eſſent, Perſonam non modò denominabant, verùm etiam afficiebant; propterea quòd Actiones Suppoſitorum ſint, & a Suppoſitis, ſeu Perſonis juxta D. Thomæ Doctrinam eliciantur. Idcirco non repugnavit, Chriſtum & pati, & mori; quia nec Paſſione, nec Morte Divinum illius Suppoſitum affectum eſt: repugnavit autem, peccare, atque ita mentiri, ne peccato ipſo Divinum Suppoſitum afficeretur.

Miror, non fuiſſe eo in ordine Theologos aliquos, qui Chriſtum non modò mentiri potuiſſe, ſed & re ipſa mentitum eſſe conten-

Digitized by Google

tenderent: ſuique præſidium Erroris peterent ex pervulgato Chriſti Reſponſo Apoſtolis de extremi Judicii die quærentibus dato, *Marci* 13. *De die autem illa, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater:* quod quidem videtur Ille, non niſi mentiendo, dicere potuiſſe, cùm diem illum certiſſimè ſciret.

Vulgata Reſponſio eſt, Chriſtum neſciviſſe ſcientia humana diem illum, ſciviſſe tamen ſcientia Divina. Neque obeſt, ſi fortè dixeris, ad vulgatum illud Reſponſum eludendum, Apoſtolos a Chriſto Domino petiiſſe, ut ipſis diem judicii revelare dignaretur: porro, ut eam revelaret, tantundem Illi erat, ſive diem illam ſciret Scientia Divina, ſive Scientia humana: quidquid enim alterutro modo noverat, revelare perinde poterat: illis igitur videtur illuſiſſe, dum ſe neſcire reſpondit, ut Homo erat. Minimè verò. Eſto enim abſolutè revelare Hominibus poſſet, quæ ex ſola Scientia Divina noverat; id tamen revelare Hominibus minimè congruebat, ne ii plura ſcirent, quàm quæ Chriſtus ſciret, ut Homo. Quare non illuſit Chriſtus Apoſtolis; quia dato Reſponſo ſignificare voluit, non congruere, ut illi puri Homines ſcirent, quod ipſemet neſciebat, ut Homo, tametſi aliunde ſciret, ut Deus.

Addam ego, ſubdubium eſſe Contextum Evangelicum, qualis nobis obiicitur, *De die illa nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius*. Plerique enim Codices Græci D. Marci voces illas nequaquam habent, *neque Filius*. Imò nec in Evangelio *Matthæi cap.* 24. ubi eadem Chriſti Domini Reſponſio Apoſtolis data legitur, verba illa, *neque Filius*, continentur in ipſa Vulgata noſtra.

Ais tamen mihi: Chriſtus ſaltem eo Apoſtolis dato Reſponſo æquivocatione, & amphibologia uſus fuit; cùm hoc Reſponſum æquivocum ſaltem eſſet, duplicemque ſenſum poſſet habere, variiſque modis ab Apoſtolis accipi. Eſt autem æquivocatio mendacii genus, illicitum prorſus, & Chriſtiana ſimplicitate apprimè indignum; uti profectò declaravit Innocentius XI. *in damnatione Propoſitionum num.* 26. 27. 28. *in ſuo Decreto anni* 1679. *die* 4. *Martii*, adverſus Theologos nonnullos, Moralis Evangelicæ corruptores, qui æquivocationum uſum tanquam licitum in Scholas invexerant. Hoc ergo dato Reſponſo peccavit Chriſtus.

Nodum hunc ut paucis expediam, obſervare operæ pretium eſt, æquivocationem duplicis eſſe generis; materialem, ut ita dicam unam, formalem alteram. Materialis æquivocatio eſt, eaque inculpata & innocens, dum quis verbo utitur duplicem quidem ſenſum habente, abſque tamen intentione decipiendi, & in iis circunſtantiis in quibus Audienti facile eſt dijudicare, quem ſenſum in

ani-

animo habeat ille, qui loquitur, quemque re vera velit intelligi: formalis verò æquivocatio eſt, eaque vitioſa, dum verbo quis utitur duplicem ſenſum habente deſtinato animo decipiendi; ac dum de facili non poteſt, quicumque audit, verum loquentis ſenſum retegere. Prioris duntaxat generis æquivocatio Chriſti fuit, dum ait, neſcire ſe Judicii diem: quia tametſi hæc ipſius Propoſitio duplicem ſenſum poſſet induere, (aut quod neſciret abſolutè, aut quòd neſciret, ut Homo) nullum tamen Chriſtus habebat fallendi animum; facilèque Diſcipuli germanum illius ſenſum retegere poterant; nempe, neſcire Illum, ut Hominem; ſcire tamen, ut Deum; dum videlicet addidit Ille, Patrem diem illum ſcire. Cùm enim una eademque ſit Natura Patris, & Filii; adeoque & idem Intellectus utriuſque, eadem quoque utriuſque Scientia eſſe debet: quapropter id omne Filius novit, ut Deus, quod novit Pater, qui unus idemque cum illo Deus eſt.

Hæc dicta volui, Viri Theologi, ne flocci facere videar communiorem, quæ in Scholis obtinet, Objectionis hujuſce Solutionem. Cæterùm cùm mihi magis arrideat aliorum Theologorum Opinio, qui Chriſtum etiam, ut Homo erat, extremi Judicii diem noviſſe contendunt, quia nedum, ut Deus, verùm etiam ut Homo, *conſtitutus eſt a Deo Judex vivorum, & mortuorum*, ut ait D. Petrus, *Act. cap.* 10. *verſ.* 42. congruum autem omnino ſit, Judicem ſcire diem Judicii ſui, ideo aliter, & fortè meliùs reſpondi alibi, dum Judæorum & Arianorum Momenta contra Chriſti Divinitatem refellebam (*in Tract. de Incarnat. Diſp.* 1. *Prælect. IX.*) videlicet nulla ibidem æquivocatione, ſeu amphibologia, ſive, ut ajunt, reſtrictione mentali, & multò minus mendacio aperto uſum fuiſſe Chriſtum; propterea quòd Patris Legatum agebat; adeoque Legatorum more reſpondit Apoſtolis, *ſe diem illam neſcire;* nimirum ad revelandum illis; non quòd reapſe Ipſe neſciret, etiam ut Homo. Ne ſe ab eo deceptos Apoſtoli conqueri juſte poterant, cùm probè ſcirent, verbum *neſcio* in ore Chriſti, quem omniſcium, utpote Deum Hominem, certò certiùs credebant, idem prorſus ſonare, ac *revelare nolo;* aliàs ſi deceptioni locus ſubeſſe aliquis potuiſſet, dicendum foret, Apoſtolos Chriſti Divinitatem neutiquam agnoviſſe; quod impium eſſet aſſerere. Quamobrem ex illo Chriſti Reſponſo nedum Mendacium, ſed neque æquivocationem ullam vitioſam, amphibologiam, vel reſtrictionem, ſive Apoſtolos fallendi periculum, eruere poſſumus; cùm ex communi uſu loquendi, attento munere & charactere Perſonæ, quæ loquebatur, optimè noſſe Illi potuerint Reſponſi a Chriſto dati ſenſum, atque ſignificationem; nempe, Illum neſcire, ut eis revelaret.

Pari

Pari facilitate dilucidatur altera Chriſti Reſponſio, & ab æquivocationis vitio liberatur, Joannis *Cap. 7. verſ.* 8. dum rogantibus Fratribus ſuis, ſeu Cognatis, *ut ad diem feſtum aſcenderet*, reſpondit: *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, ego autem non aſcendo ad diem feſtum iſtum:* qui tamen poſtmodum aſcendit, *non manifeſtè, ſed quaſi in occulto*, ut habetur: *verſiculo* 10. Nulla hìc profectò æquivocatio fuit formalis, & vitioſa. Quia Fratres ejus, ſeu Cognati ex adjunctis circumſtantiis facile dignoſcere poterant, quo ſenſu negaſſet Chriſtus, ſe ad diem feſtum aſcenſurum: nimirum palam, atque in aperto; quòd nempe hoc ipſum rogabant Illi, ut apertè palamque aſcenderet: *Dixerunt autem ad Eum Fratres ejus: tranſi hinc, & vade in Judæam, ut & Diſcipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipſe in palam eſſe: Si hæc facis, manifeſta te ipſum Mundo.* Quare dum reſpondit illis, *Vos aſcendite, ego autem non aſcendo*, nemo ita erat hebes, quin de facili intelligeret, non aſcenſurum Illum apertè, ac publicè, quo pacto ſcilicet, ut vellet aſcendere, rogabatur ab illis.

Haud multò meliori titulo, tanquam mendacii, aut æquivocationis Exemplum a nonnullis obtruditur Chriſti Domini Dictum de Lazaro, quem mortuum probè noverat: *Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado, ut a ſomno excitem eum; Joannis cap.* 11. quo verbo decepti Diſcipuli Lazarum adhuc vivum exiſtimarunt: unde & dixerunt: *Domine, ſi dormit, ſalvus erit*. Neque enim Mendacium illud eſt; cùm juxta Scripturæ phraſim Juſtorum, & Chriſti Amicorum mors dormitio vocitetur, & ſomnus. Imò nec æquivocum verbum fuit, formali (ut Schola loquitur) æquivocatione, etiamſi varium ſenſum ferre poſſet: Quia non ea mente a Chriſto prolatum eſt, ut Apoſtoli deciperentur, quod formalium æquivocationum eſt proprium; ſed ut docerentur, Juſtorum tranſitum ſomnum eſſe, non mortem; tamque Chriſto Domino facile eſſe mortuum e tumulo, quàm dormientem e ſomno excitare: quod ipſemet Evangeliſta dilucidiſſimè ſtatim declarat, inquiens: *Dixerat autem Jeſus de morte ejus: Illi autem putaverunt, quia de dormitione Somni diceret*. Unde falſa Apoſtolorum exiſtimatio ex parte illorum fuit; qui Chriſti Domini dictum in alio prorſus, quàm ab Ipſo prolatum fuerit, ſenſu acceperunt; non autem ex parte Chriſti.

Stultius multò, & imprudentiùs in Chriſtianam Religionem argumentabatur olim Julianus Apoſtata; qui, ut Chriſtum ineptè, ac falsò locutum oſtenderet, uſurpatas interdum ab eo Hyperboles cavillabatur, ac deridebat; atque illam maximè, quæ Salutis obtinendæ difficultatem exaggerans in divitibus, dicere ſolitus erat:

Facilius eſt, Camelum per foramen acus tranſire, quàm Divitem intrare in Regnum Cœlorum: Matthæi cap. 19. Eccur, quæſo, Hyperbole locutio falſa, aut etiam vitioſa dicatur, quam Chriſtus citra fallaciam uſurpare nequiverit? Nec enim, qui iis utuntur, id volunt, ut ſermo adamuſſim, ſtrictamque ſignificationem accipiatur; ſed moderato duntaxat ſenſu; quantùm ad rei magnitudinem ſignificandam ſit ſatis. Exemplum hujus habemus *Lib. Numerorum cap.* 13. ubi Exploratores Terræ promiſſæ Moyſi nunciarunt, vidiſſe ſe illic *filios Enac de Stirpe Gigantea; quibus comparati, quaſi locuſtæ* ipſi videbantur. Ita ne preſſa, ac ſtricta ſignificatione id verum eſt? Minimè verò. Imò *Deuteronomii cap.* 3. legimus, ex eo Gigantum Genere fuiſſe Oggum Regem Baſan, cujus Lectus ferreus ad illius proceritatis memoriam ſervabatur *in Rabbath, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad menſuram cubiti virilis manus*. Equidem vaſta corporis mole fuiſſe Gigantem illum oportet, cui novem cubitorum in longum lectulus erat. At, ſi cuncta rectè metiri velimus, & ad Mathematicam menſuram exigere, nemo noſtrum opinor erit, qui cum illo Gigante collatus, tanquam Locuſta videatur. Res ergo per hyperbolem dictæ, ita ſunt accipiendæ, ut tamen ad juſtam, prudentemque menſuram exigantur, ne falſæ omnino locutiones hyperbolicæ judicentur. Sic itaque Chriſtus nullo errore, fallacia nulla dixit: *Facilius eſt, Camelum per foramen acus tranſire, quàm Divitem intrare in Regnum Cœlorum*; ut videlicet Regni Cælorum obtinendi difficultatem maximam in Divitibus agnoſcamus.

Addam tamen, nec addidiſſe pigebit, ingenioſam Doctoris Angelici obſervationem: Chriſtum in ea ferenda Sententia, *facilius eſt, Camelum &c.* hyperbole non eſſe uſum, ſed plana, ſimplicique loquendi formula, ad rem alludendo, tunc temporis lippis, & tonſoribus notam. Scribit ſcilicet Ille *in Commentario ad Caput* 19. *Matthæi*, legiſſe ſe in quadam Gloſſa, cujus Author ignoratur, ex duodecim Portis Hieroſolymæ fuiſſe unam omnium minimam conſtructam ad formam foraminis acus; quæ idcirco *foramen acus* vulgari appellatione dicebatur: per quam utique Portam, utpote anguſtiorem, Cameli onuſti, niſi depoſita ſarcina, in Urbem induci non poterant. In quod Chriſtus intendens dixit: *facilius eſt, Camelum per foramen acus tranſire, quàm Divitem intrare in Regnum Cœlorum:* hoc eſt; facilius eſt, Camelum exonerari, ut per Portam illam ingredi poſſit, quàm Divitem Divitiarum affectum deponere, ut poſſit in Regnum Cœlorum admitti. Certè ſi ita ſit, ut in Gloſſa, ſeu Codice illo notatum eſt, nullus in Chriſti Domini dicto exceſſus, Hyperbole nulla notari po-

ri poteſt. Verùm an ita ſit, penes illius Gloſſæ Authorem Fides eſto.

Illud itaque ultimò colligendum, Deum nec in aſſumpta Natura, nec per Internuncium, nec ſe ipſo mentiri ullo modo poſſe, aut æquivocis, & amphibologiis Homines eludere: atque ita Fidei noſtræ, quæ Dei verbo tota nititur, falſum per ſe ſubeſſe non poſſe: hoc eſt, ex parte Dei ipſius Veritates Fidei revelantis. Reliquum illud eſt, ut videamus, poſſit ne Fidei falſum ſubeſſe ex accidenti; ex parte ſcilicet credentis Hominis: quod erit proximæ Exercitationis Argumentum.

Digitized by Google

PRÆLECTIO IV.

Fidei Divinæ ſubeſſe falſum non poſſe , neque ex accidenti , ſeu ex parte credentis Hominis, aſſeritur, propugnatur: nec non inſulſa Joannæ Papiſſæ Fabella reiicitur, refutatur.

QUæſtionem agitandam aggredior hodie , quam ſi velim nuda ſpeculatione perpendere , brevi profectò, ac etiam nullo negotio vobis expediam: ſi autem ad praxim velim exigere , ac de illa ex ipſis Factis judicare, vereor, ne ita de facili dirimi poſſit, ac bono in lumine collocari. Illud a nobis quæritur: poſſit ne Fidei ſubeſſe falſum ex accidenti, nimirum ex parte credentis? ſeu , ut explicatiùs dicam, fieri ne poſſit , ut quis ex Fidei Habitu credat aliquid falſum: Habitu ſcilicet Fidei ad falſum aſſenſum eliciendum inclinante, ac propellente?

Certè ſi nudè ſpeculari velimus, nullo id pacto fieri poſſe, obvia cuique ratio planè demonſtrat. Fide enim Divina credi nihil poteſt, niſi ſit a Deo revelatum : falſum autem a Deo revelari , ut ſuperiùs oſtendimus, repugnat omnino: ſeu, ut pro more Scholæ argumentatur Doctor Angelicus 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 3. *Dicendum quod nihil ſubeſt alicui Potentiæ , vel Habitui , aut etiam Actui , niſi immediatè ratione formali Objecti, ſicut color videri non poteſt, niſi per lucem: & Concluſio ſciri non poteſt, niſi per Medium demonſtrationis . Dictum eſt autem* (art. 1. hujus quæſtionis) *quod ratio formalis Objecti Fidei eſt Veritas prima : unde nihil poteſt cadere ſub Fide, niſi in quantum ſtat ſub Veritate prima, ſub qua nullum falſum ſtare poteſt : ſicut nec non ens ſub ente, nec malum ſub bonitate. Unde relinquitur , quòd Fidei non poteſt ſubeſſe aliquod falſum.*

Verum, ſi ex Factis ipſis, quæ in Eccleſia contingere poſſunt, de tota hac velim Controverſia pronuntiare , quot , Deus bone ! videntur Caſus occurrere , in quibus Fide Divina falſum aliquid credi poteſt, vel credi videtur , Habitu Fidei ad falſum credendum inclinante, ac propellente! Quare ut meam ea de re Sententiam bono in lumine ponam, ac probè defendam, nunquam ſcilicet Fidei Divinæ ſubeſſe falſum, etiam ex accidenti , & ex parta credentis Hominis, in id unum incumbam, ut Caſus illos, qui deduci poſſent, expediam, atque diſcutiam, in quibus falſum aliquid Divina Fide videtur ab Hominibus credi; planumque faciam, nihil unquam hujuſmodi contingere poſſe; ſed quæ tum Fide Divina

vina putantur credi, alio plane teneri Habitu, a Fide Divina longè diverſo.

Primus itaque Caſus occurrere poteſt in adoratione Hoſtiæ Sacroſanctæ, quæ proponitur Fidelibus adoranda. Ad Fidem ſiquidem attinet, ut credamus, in Sacramento altaris ſeu in Hoſtia conſecrata, verum Chriſti Domini Corpus, verum Sanguinem contineri. Contingere porro aliquando poteſt, ut non ibi ſit Chriſti Corpus & Sanguis, ſed Panis duntaxat; dum nimirum aut defectu Characteris in Conſecrante, ſi fictus nempe Sacerdos ſit; aut defectu debitæ Intentionis, ſi iniquè ſe gerat in Conſecrationis actu; aut etiam defectu neceſſariæ Materiæ, ſive Formæ, puta ſi panis non ſit triticeus, vel corruptus, aut ſi Verba non proferantur, vel immutentur, tunc non eſt Hoſtia ritè, & validè conſecrata. Hoc itaque in Caſu Adorantium Fides ad falſum credendum, imò & ad Idololatriæ actum perficiendum videtur ex accidenti perducere.

Idem in Cultu Sanctorum, Sacrarumque Reliquiarum quandoque accidere poteſt. Ad Fidem enim pertinet, ut credamus, Sanctos cum Chriſto in Cœlis regnantes, Illorumque Reliquias religioſo Cultu eſſe colendas. At poteſt in iis quandoque error irrepere; dum ſcilicet uti Sanctus colendus proponitur ab Eccleſia, qui talis reipſa non ſit; aut ſuppoſitæ, fictæque Eorum Reliquiæ religioſè coluntur. Igitur & tunc ad aliquod falſum credendum, colendumque Divina Fides inducit.

Et ſanè, quod attinet ad Sanctorum adorationem, tametſi ultrò daremus (quæ mea utique Sententia eſt) Eccleſiam errare non poſſe in ea, quæ modò fit, Divorum Apotheoſi decernenda, ſeu ut vulgò dicitur, *in Canonizatione Sanctorum*, qualis hiſce temporibus ſolemniter agitur ab anno 993 ſub Joanne XV. Romano Pontifice, qui omnium primus initium dedit ſolemnibus hujuſmodi Canonizationibus, dum S. Udalricum Auguſtanum Epiſcopum in Divorum album retulit ſolemni Ritu (falluntur enim, qui Ritum hunc ab Leone III. anno circiter octingenteſimo originem traxiſſe autumant, ut luculenter oſtendit Cardinalis Lambertinus, (*a*) Vir nulli planè Eruditione ſecundus in Opere ſuo recens edito

de

(*a*) Nunc Benedictus XIV. Pontifex Maximus. Vocabatur primùm Proſper Lambertinus, natus Bononiæ ex nobiliſſima Lambertinorum Familia, una ex quadraginta, quæ Bononienſem Senatum conſtituunt. Cardinalitia Purpura a Benedicto XIII. P. M. ex Prædicatorum Ordine aſſumpto decoratus fuit 29 Aprilis 1728, cùm pridem longo temporis intervallo Romæ moratus plura ibidem, & difficillima munia obiiſſet. Tum Anconitanus Epiſcopus renuntiatus, & inde, aliquot elapſis annis, ad Bononienſem Archiepiſcopatum tranſlatus, utrobique vigilantiſſimi Paſtoris Munus ſtrenuè adimplevit. Clemente

XII.

de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. Lib. 1. cap. 7. n. 13. & cap. 8. n. 2.) tametſi, inquam, hac in re Eccleſiam errare modò non poſſe, pro certo haberemus, non ita tamen compertum eſt, Eam pluribus retro Sæculis in Sanctis Fidelium Cultui proponendis errare non potuiſſe, dum ea Propoſitio nulla, vel ſaltem levi admodum diſquiſitione, ſola Populi acclamatione, ſimpliciter fieret per adſcriptionem Illorum in Martyrologiis. Uti enim res iſta magni Momenti eſt, nec Divina Revelatione nitatur ſpecialiter facta, ita criterium poſtulat exquiſitiſſimum, ut modò fit; nec Populi tantùm voce, quæ fallere plerumque deprehenditur, inniti debet. Imò non defuere, eruditi etiam, & Catholici Viri, qui aliqua protulere hujuſmodi Exempla, quibus oſtendere contendebant, plures proceſſu temporis, re diligentius diſcuſſa, e Martyrologiis fuiſſe expunctos, alios quoque meritò etiamnum expungendos, quòd vel reapſe nullam Sanctitatis præeminentiam in iis fas ſit reperiri, vel talis nominis Viri, uti in Martyrologiis leguntur, nunquam in vivis extiterint: quod tamen an veritatem redoleat, non eſt meum impræſentiarum expendere, cùm non Criticæ modò, ſed Theologicæ Tractationi pro Munere incumbam.

Quod autem attinet ad Reliquias, non abſimiliter fuere, qui obſervarent, talem in Reliquiarum Sacrarum Cultu a primis jam Eccleſiæ Sæculis abuſum invaluiſſe, ut Conciliorum quamplurium Authoritate, & Decretis coerceri, atque reſcindi neceſſe fuerit, Carthaginenſis, Sennonenſis, Mediolanenſis, Aquenſis. Certè non ſemel accidit, duo ejuſdem Sancti Corpora diverſis in Locis publicæ venerationi proponi, quorum profectò unum falſum eſſe, atque ſuppoſititium neceſſe eſt. Non longè à nobis Exemplum proferri poteſt. Nam Corpus SS. Prophetæ Simeonis, qui in ulnis ſuis parvulum Jeſum geſtare meruit, Venetiis perinde, ac Jaderæ in Liburnia colitur: utrobique Illi dicatum Templum: utrobi-

XII. e vivis erepto, communibus Cardinalium ſuffragiis ad ſupremum totius Eccleſiæ Pontificatus faſtigium evectus eſt die 17. Auguſti anni 1740. Quo ex tempore ſummam, quam ſibi antea comparaverat, exiſtimationem nedum ſervavit, ſed auxit plurimùm, augetque in dies. Doctrina, Eruditione, Sacrorumque Canonum Scientia præclarus, ut Ejus Opera publici juris facta ſatis ſuperque demonſtrant, Sacrarum Litterarum Studium cum arduo Univerſalis Eccleſiæ regimine ita copulare novit, ut neutrum alteri noceat. Vir ſanè Ingenii apprimè perſpicacis, rectique Judicii. Sanioris Doctrinæ, quæ præſertim ad Chriſtianorum Mores, & Diſciplinam attinet, tenaciſſimus, abuſuumque Extirpator acerrimus Conſtitutionem nuper edidit, qua Chriſtianæ Fidei Simplicitati, ac Puritati adverſus inductos jampridem, ac toleratos in Indiarum partibus deteſtabiles abuſus ardentiſſimo ſtudio, ſummaque Providentia proſpicere ſatagit. Soſpitem incolumemque diu Deus Opt. Max. tantum, ac talem Eccleſiæ ſuæ ſervet Paſtorem.

bique arca viſitur, qua clauditur: utrobique inſpiciendum, & adorandum integrum exhibetur: quorum alterutrum neceſſariò fictum debemus aſſerere, ni duplici Illum corpore conſtantem effutire velimus: & tamen utrumque tanquam verum Prophetæ Sanctiſſimi Corpus ab Eccleſia proponitur adorandum, vel ſaltem permittitur. Alia hujuſmodi duplicata Sanctorum Corpora, Capita, membraque cætera non eſt cur hic recenſere pergam. Nota ſatis Itinerantibus, & Eruditis res eſt. Quid ergo? Nonne hæc omnia quàm luculenter evincunt, Fidei Divinæ poſſe aliquando ſubeſſe falſum? Fidei, inquam, qua credimus, Sacras Reliquias, Sanctos cum Chriſto regnantes, & multò magis Chriſti Domini Corpus, & Sanguinem ſub Euchariſticis Speciebus eſſe a nobis colendum; dum tamen nec Chriſti Corpus, nec Sanctum illum, nec talis Sancti Reliquias veneramur.

Non eſt tamen ita, Viri Theologi, non eſt ita, ut perperam a nonnullis exiſtimatur. Nullo ex his Caſibus, etſi aliquando contingerent, vel etiam fortè contigerint, fallitur Fides, ut falſum quid credere Fidelibus perſuadeat; ſed Prudentia duntaxat humana fallitur. Ita de Hoſtiæ Conſecratione disertè docet Angelicus 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 3. *ad* 4. inquiens: *Dicendum, quod Fides Credentis non refertur ad has Species panis, vel illas; ſed ad hoc, quòd verum Corpus Chriſti ſit ſub ſpeciebus panis ſenſibilis, quando rectè fuerit conſecratum. Unde ſi non ſit rectè conſecratum, Fidei non ſuberit, propter hoc, falſum;* ſed humanæ Prudentiæ, quæ putat, conſecratum eſſe, quod reipſa non eſt.

Neque obeſt, ſi dixeris, Hominem Hoſtiam adorantem Fide Divina credere, Chriſti Corpus in ea certiſſimè contineri. Non enim id credit Fidei actu purè & ſimpliciter abſoluto, ſed actu tacitè conditionato; ſi nimirum ſit validè conſecratum.

Idem de Cultu Sanctorum, Sacrarumque Reliquiarum, certa quadam proportione, dicendum: videlicet non eſſe Fidei actum, quo coluntur & iſta, purè & ſimpliciter abſolutum, ſed tacitè, & implicitè, ut Schola loquitur, conditionatum. Quare, ſi fortè contingat, non eſſe Illum verè Sanctum, qui colitur uti talis, aut non eſſe veras Sanctorum Reliquias, quæ ut tales adorantur, tunc non Fides Divina, ſed humana Prudentia fallit, & fallitur.

Caſus alter, in quo falſum Fidei ſubeſſe, ſeu falſum Fide Divina credi exiſtimatur, occurrit, aut certè videtur occurrere in Romani Pontificis Electione, & in Celebratione Concilii OEcumenici. Et quidem facta ſemel Prioris Electione, eaque vulgata, Fide Divina tenemur credere, hunc ſingularem Hominem verè & ritè fuiſſe electum, atque ita eſſe Summum Pontificem, & D. Petri Succeſſorem. Poteſt tamen huic Fidei actui, quo ita credimus, ſub-

ſubeſſe falſum; cùm non ſit Fide certum, hujuſmodi Electum fuiſſe Electionis capacem. Quid enim, ſi Fœmina eſſet, non Vir? Quid, ſi baptizatus non eſſet? Aut ſi fortè invalidè baptizatus fuiſſet? Defectu videlicet Intentionis Miniſtri, aut debitæ Materiæ, vel Formæ? Quo quidem caſu ex Subjecti incapacitate Electio nulla foret, quamtumvis ab Eccleſia, quæ de his infallibilem notitiam non habet, acceptaretur. Quod reipſa aliquando contigiſſe maleſeriati quidam Nebulones tam ineptè, quàm impudenter effutierunt, dum Joannæ Papiſſæ Fabellam omnium inſulſiſſimam tenuerunt; de qua mox differemus.

Non abſimiliter tenemur Fide Divina credere, Concilium OEcumenicum ab Eccleſia communiter acceptatum, & a Summo Pontifice approbatum, E. G. Concilium Nicænum I. fuiſſe Legitimum, & verum Eccleſiæ Concilium. Poteſt tamen actui Fidei, quo id credimus, falſum ſubeſſe; nimirum OEcumenicum, ac Legitimum non fuiſſe, quod Fide credimus Legitimum, & OEcumenicum. Quid enim, ſi Epiſcopi, quibus conflatum eſt Concilium illud, veri non fuerint Epiſcopi, aut defectu validi Eorum Baptiſmatis, aut defectu Legitimæ, & validæ Ordinationis? de quibus profectò nec ipſa quidem Eccleſia Fide Divina certa eſſe poteſt, cùm nulla hìc Divina Revelatio, vel Apoſtolica Traditio intercedat.

Miror, tam multos iis Exemplis eſſe deluſos, ut inde colligerent, poſſe Fidei noſtræ ſubeſſe falſum ex accidenti, ſeu poſſe nos Fide Divina credere aliquid falſum. Quamcumque enim Theologorum opinionem ſequamur, de Romanorum Pontificum Electione, deque Celebratione Conciliorum, ſalva omnino res eſt; nulloque unquam caſu contigit, ut Fidei noſtræ ſubſit aliquid falſum. Sunt enimvero permulti Theologi, qui id omnino negent; Fide ſcilicet Divina tenendum, hunc ſingulariter Hominem eſſe Romanum Pontificem. Negant id apertiſſimè Cardinalis de Turrecremata *Lib.* 4. *Summæ part.* 2. *cap.* 9. Cardinalis Cajetanus *in* 2. 2. *D. Thomæ queſt.* 1. *art.* 3. *ad* 4. Melchior Cano (quod attinet ad Concilium) *Lib. 6. de Locis cap.* 8. *in reſp. ad* 10. Caſtro *Libro* 1. *adverſ. Hæreſes cap.* 9. Corduba *Lib.* 1. *quæſt.* 17. §. 2. Malderus *in præf. art.* 10. *Diſp.* 5. Aravio *in præf. dub.* 2. *Concl.* 2. Azor. *Lib.* 4. *cap.* 5. §. *in hac Controverſia*; & tandem Carmelitæ Salmanticenſes (*a*) qui pro ſua Sententia eos omnes, quos retulimus, laudant, quoſque *Viros Catholicos, Sapientiſſimos, & acerrimos Pontificiæ Dignitatis vindices vocant Tract.* 17. *de Fide Diſp.* 4. *dub.* 2. Quibus addi poſſunt Ludovicus Turrianus *in ſelectis Diſput. part.* 1. *Diſp.* 35. & Gaſpar Hurtado *Diſp.* 11. *de Fide Diff.* 3.

Hoc

(*a*) Vide Salmaticenſes Editionis Venetæ 1683. Tract. 17. de Fide diſput. 4. dub. 2.

Digitized by Google

Hoc idem de Conciliis Generalibus, ac de ipſo Concilio Niceno I. docet Cardinalis Bellarminus *Lib. 2. de Conciliorum Authoritate cap. 9.* non eſſe ſcilicet Divina Fide tenendum, hoc, vel illud Concilium eſſe legitimum; ſed *hoc alia probatione* evidens fieri, nempe *ex humana fide, ſed certiſſima, & quæ evidentiæ naturali aliquo modo comparari poſſit. Nam exempli gratia, Nicænum Concilium fuiſſe legitimum, non ſolùm unus, aut alter Hiſtoricus teſtatur, ſed multi, & varii Scriptores ejus temporis, & temporum conſequentium, & Eccleſia, quæ nunc eſt, idipſum aſſerit; nec eſt, aut fuit qui contrarium ſentiat, aut ſenſerit.* Unde experimento videmus, Concilia nonnulla OEcumenica pro OEcumenicis a quibuſdam Eccleſiis minimè haberi.

In ea porro Theologorum illorum Sententia falſa eſt major Propoſitio duplicis Argumenti propoſiti, planumque fit, Fidei noſtræ non ſubeſſe falſum; tametſi fortè contingeret, Illum non eſſe verè electum, atque ita non eſſe verè Pontificem, quem Pontificem agnoſcimus: illud non eſſe re ipſa Concilium OEcumenicum, quod OEcumenicum exiſtimamus. Quandoquidem illa duo peculiariter, & ſingulariter ad Fidem Divinam minimè pertinere diſertiſſimè docent; atque adeo Judicium duntaxat prudentiale falleretur, quo judicamus, hunc eſſe legitimè electum, quem Eccleſia tanquam legitimè, & canonicè electum proponit Fidelibus univerſis: hoc eſſe Legitimum Concilium, quod Eccleſia, uti legitimè celebratum veneratur, & colit.

Qui autem ex adverſo contendunt Theologi, Fide Divina tenendum eſſe, hunc ſingularem Hominem, E. G. Clementem VII. eſſe re vera Romanum Pontificem; hoc peculiare Concilium, E. G. Nicænum eſſe re vera OEcumenicum; nec ſatis eſſe, ſi id ex infuſa prudentia teneatur: illud quoque contendunt, nunquam huic actui Fidei, quo iſta credimus, ſubeſſe falſum; quia fieri non poſſe ajunt, quòd Deus Eccleſiam ſuam ita deſerat, ut in dijudicandis conditionibus ad Electionis validitatem neceſſariis (quod nempe ſit baptizatus, & Vir, & non Mulier,) aliquando fallatur.

Neque huic Theologorum iſtorum Sententiæ obeſt, quòd ne ipſa quidem Eccleſia univerſa ex Fide, Divinaque Revelatione noverit, Pontificem electum Virum eſſe, non Fœminam, veroque Baptiſmate fuiſſe tinctum: (quæ duo ſunt ad Electionis validitatem neceſſaria) nec enim id Fide Divina teneri neceſſe eſt, ut Is, aut Ille Fide Divina credatur legitimè electus in Romanum Pontificem; ſed ſatis eſt, ſi hæc certò teneantur, qualicumque certitudine, etiam merè naturali. Cujus hæc ratio eſt, obſervatione digniſſima. Quia quæ ad actum Fidei exerendum prærequiruntur notitiæ, atque ſecuritates, ſatis eſt, ſi certæ ſint qualicumque certitu-

 dine;

dine; nec neceſſe eſt, notitias illas, atque ſecuritates Fide, & Revelatione Divina certas eſſe; aliàs nihil ferme Fide Divina credi a Fidelibus poſſet. Exempli gratia, ut quis Fide Divina credat Myſterium Trinitatis, aut Incarnationis, neceſſe eſt, ut antea ſit certus, atque ſecurus de multis, de quibus tamen Fidei certitudinem non habet. Certus primò debet eſſe, ſe hujuſmodi Myſteria audiviſſe, ſibi ab Eccleſia proponi: *Fides* enim eſt *ex auditu*, ut ait Apoſtolus, *ad Romanos cap.* 10. Secundò certus eſſe debet, ſe idioma, quo ſibi ea Myſteria nunciata ſunt, rectè callere, ut factam ſibi prædicationem rectè intellexerit. Tertiò certus eſſe debet, eum, qui ſibi Eccleſiæ nomine talia Myſteria nunciavit, verum, atque fidelem eſſe Eccleſiæ Miniſtrum, qui ſuo probè fungatur Officio; nec veritatem, quam enunciat, adulteret. At de his omnibus nemo Fide Divina certus eſt; ſed partim Experimento, partim ex Scientia naturali, partim ex humana Prudentia hujuſmodi certitudinem mutuatur. Ita planè in præſenti: ut quis etiam Divina Fide credat, Clementem XII. eſſe verum, legitimumque Pontificem, ac D. Petri Succeſſorem, neceſſe eſt, ut antea ſit certus, Eum eſſe legitimè electum, Eum eſſe Virum, non Fœminam; Eum eſſe baptizatum, & quidem validè: at non eſt neceſſe, ut de iis pariter certus ſit Fide Divina, Divinaque Revelatione; ſed ſatis abunde erit, ſi de iis aliunde ſit certus, quacumque alia, ſeu naturali, ſeu morali notitia.

Quod autem de Joanna Papiſſa vulgò jactatur; eam ſcilicet, uti verum, legitimumque Pontificem ab Eccleſia habitam; quæ tamen, deficiente virili Sexu, Pontifex re ipſa non erat: id, inquam, nihili pendo, quòd Fabula ſit omnium ineptiſſima, ab ipſis etiam Proteſtantibus, quibus aliquid judicii eſt, eruditiſſimè confutata. Quiſnam verò Fabellæ hujus Author fuerit, incompertum eſt. Quidam Illum fuiſſe Marianum Scotum; alii Martinum Polonum contendunt. Verum horum neutrum ineptiæ hujus Architectum extitiſſe, plures, iique docti, & eruditi Viri ſatis oſtendunt; ut legere licet apud Cardinalem Lambertinum *De Serv. Dei Beatif.*, *& Beator. Canoniz. Lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 4. Pagius uterque cenſet, mendacium iſtud emerſiſſe poſt annum 1278, quo Martinus Polonus e vivis migravit. Alii de illius origine alia ſcripſere. Porro in hoc ſita eſt ridicula hæc Hiſtoria, quòd Leone IV. Romano Pontifice e vivis ſublato die 17. Julii anni 855. eidem in Romana Sede proximè ſucceſſerit Joanna mulier, Vir tamen exiſtimata, quæ annis duobus, menſibus quinque, diebus quatuor Pontificatum obtinuiſſe fertur. Attamen quotquot Sæculo illo, ac proximè ſequenti, de Romanorum Pontificum ſerie, ac ſucceſſione ſcripſere, Leoni IV. Benedictum III. nullo medio, ſucceſſiſſe diſertiſ-

fertiſſimè conteſtantur ; ut nullus Joannæ Papiſſæ locus relinquatur.

Pigmentis ſubinde multis ab otioſis Scriptoribus, inter quos extitit Joannes Platina, aucta ſabella eſt; quæ falſi perinde convincuntur : ut quòd Joanna Papiſſa a Cubiculario ſuo clanculùm gravida facta ſit, & in ſolemni demum Supplicatione pepererit, dum ad Lateranenſem Baſilicam ſolemni apparatu pergeret, inter Theatrum, quod Coliſæum de more dicunt, & D. Clementis Templum; ibidemque ex partus dolore extincta ſit. Unde poſtmodum effectum ajunt, ut in Facti execrationem, nunquam ea via procedant Romani Pontifices, quòcumque Illos ire contingat : ac ne quid ſimile aliquando impoſterum eveniret (Mulierem ſcilicet ex Sexus errore in Pontificem eligi) ſtatutum addunt Nugivendi, quòd, qui in Pontificem proximè eſt eligendus, ſedere aliquantulùm jubeatur in Sella ſtercoraria, ſeu perſorata, ut Diaconorum Cardinalium ultimus ea, quæ ſunt Viri, contrectet, ad Sexus explorationem. Quæ omnia pura putaque Commenta ſunt. Nec enim viam illam, ubi Joanna Papiſſa enixa fingitur, ſtudioſè declinant Romani Pontifices, dum per Urbem procedunt: ac ſi fortè declinarent, alia certè de cauſſa id fieret; quòd nimirum anguſtior via illa ſit, nec ſatis capax pompatici Comitatus, & Satellitii, ſine quibus non ſolet per Urbem procedere Summus Pontifex. Nec ad Sexus explorationem, quæ nulla ſit, in Sella ſtercoraria ſedere jubetur, antequam eligatur, Romanus Pontifex; ſed longè poſt factam Electionem; dum videlicet prima vice Baſilicam Lateranenſem ſolemni ritu ingreditur. In Sella tunc ſedet, quam de more Stercorariam vocant, non a forma, quod perforata ſit ; ſed quia quoto illic tempore ſedet novus Pontifex, Chorus verſiculum illum *Pſalmi* 112. decantat, *Suſcitans à terra inopem*, *& de ſtercore erigens pauperem ;* Hinc illi Stercorariæ nomen inditum. Sciens loquor ego, qui Romæ diu ſubſtiti, huicque Solemnitati præſens interſui anno 1691, dum Innocentius XII. Baſilicam Lateranenſem primùm ingreſſus eſt, ad ineundam Pontificatus ſui Poſſeſſionem.

Putidam illam de Joanna Papiſſa Fabellam, ortam exiſtimo, ſi Baronio credimus *ad annum* 879, §. 5. occaſione Joannis VIII. Pontificatum obtinentis ſub finem Sæculi IX. Is enim *ob nimiam animi facilitatem*, *& mollitudinem* (verba Baronii ſunt) *abjecta penitus omni virilitate*, *fractus animo*, *Sacerdotalis conſtantiæ expers*, *atque robore enervatus*, *non Papa*, *ut Nicolaus*, *& Hadrianus*, *ſed Papiſſa fuit contumeliæ loco dictus ; utpote qui nec reſiſtere ſciret Eunucho*, *quique vinceretur a Semiviro*, *non Vir*, *ſed eſſet fœmina potius nuncupandus ; & ſic nomen contumeliæ tranſierit*, *Po-*

ſteris rerum inſciis, in veritatis opinionem; atque ita compluribus decantatum fuerit, Joannem VIII. Papam fuiſſe fœminam; ſicque jactata vulgo invenerit eo modo locum Fabula. Ita Eminentiſſimus Annalium Scriptor. Alii tamen ad Joannem IX. ut Joannes Aventinus *Lib.* 4. *Annal. Bojorum cap.* 20. § 52. alii ad Joannem VII. ut Papebrochius *in Conatu Chronico-hiſtorico*, alii tandem ad Joannem XII. ut Panvinius *in Annot. ad Platinam pag.* 106. Fabulam referunt, unoquoque pro libito conjecturas ſuas venditante. Utcumque tamen ſeſe res habeat, Fabula illa eſt totum olens Æſopum. Quapropter perperam, & imprudenter nobis a Nebulonibus nonnullis obiicitur, ut inde Fidei, qua credimus, hunc vel illum eſſe verum Romanum Pontificem, ac D. Petri Succeſſorem, falſum quandoque ſubeſſe poſſe demonſtrent.

Plures alii ſuperſunt, Viri Theologi, expediendi caſus, in quibus Divina Fides, qua aliquid credimus, ad falſum credendum inclinare ex accidenti videtur. Sed cùm ſatis jam temporis in hoc tractando Argumento hodierna luce inſumſerimus, in craſtinam Prælectionem eos expendendos remittimus, qua Controverſiæ huic a Theologis, præſertim veteribus, fuſiùs agitatæ finem imponemus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO V.

Argumentum ſuperius continuatur , Caſuſque reliqui expenduntur, in quibus Divinæ Fidei falſum quandoque ex accidenti ſubeſſe poſſe videtur.

QUinque heſterna Exercitatione , ſi benè meminiſtis, Viri Theologi, Caſus retulimus, atque reſolvimus , quibus id videbatur evinci , quod nos impoſſibile prorſus exiſtimamus; Fidei nimirum Divinæ ex accidenti, ſeu ex parte credentis Hominis poſſe aliquando falſum ſubeſſe; hoc eſt poſſe quandoque Homines uti verum Divina Fide tenere , quod reapſe ſit falſum: in adoratione Hoſtiæ, quæ minimè fuerit conſecrata; in Cultu Sanctis exhibito, qui verè tales non ſint; in Sacrarum Reliquiarum veneratione , quæ fortè fictæ ſint, atque Suppoſititiæ ; in Electione Summi Pontificis, qui occulto defectu aliquo Supremæ illius Dignitatis capax non eſſet; & demum in Celebratione Concilii OEcumenici, quod legitimum ratione aliqua nequaquam foret: quibus, ut puto, ſatis abundè fecimus , dum in nullo ex iis Caſibus, tametſi aliquando contingeret , quod tamen difficillimum arbitror , Divinæ Fidei falſum aliquid ſubeſſe , luculenter oſtendimus. Supereſt modò, ut cæteros, qui a nonnullis obiiciuntur, Caſus ad limam vocemus, videamuſque, num meliori fortè fortuna Sententiæ noſtræ incommodum ferant.

Primus Caſus eſt Apoſtolica Traditio de aliquo, ut Fidei Dogmate , quæ verè talis non ſit ; ſed tamen vel a primis Eccleſiæ Sæculis in Eccleſia conſecrata, & a prioribus pluribus Chriſtianis credita, ac prædicata: cujuſmodi E. G. fuit Error Millenariorum, qui poſt Mundi finem Electos ſuper hac Terra mille cum Chriſto annis regnaturos, ex Traditione Apoſtolica dictitabant. Non abſimiliter & Error alter, in quem plures ex Patribus, etiam antiquioribus, impegiſſe, ſatis compertum eſt Eruditis: Juſtorum videlicet Animas e Corporibus ſuis egreſſas non ſtatim ad Cœleſtem Patriam evolare, ut Divina Viſione fruantur , ſed in Paradiſum Terreſtrem transferri, ut ibidem ad univerſalis uſque Judicii diem feliciter vitam agant . Quem quidem Errorem S. Irenæus, qui ſecundo Sæculo floruit, & Apoſtolorum Diſcipulos audire potuit , ex eiſdem accepiſſe teſtatur *Lib. 5. adverſ. Hæreſ. capp. 5. & 31.* Qui tamen Error in Concilio Florentino OEcumenico ſub Eugenio IV. damnatus fuit , ut notat Fervardentius

ad

ad cap. 31. *ejuſdem Lib. adverſ. Hæreſ.* Quidquid autem ex Traditione Apoſtolica derivatum creditur, Fide Divina creditur, cum ea altera ſit poſt Sacros Libros Chriſtianæ Fidei Regula. Poteſt itaque Fidei Divinæ ex accidenti quandoque ſubeſſe falſum; dum nimirum ea tanquam ab Apoſtolis tradita creduntur, quæ verè talia non ſunt.

Idem plane contingere poſſet, ſi quis in Scripturam Sacram ab Infidelibus, vel Hæreticis depravatam incideret; in qua falſum aliquod Dogma reperiret inſertum, quod is uti a Deo revelatum Fide Divina ita crederet, ut, ſi daretur occaſio, ſanguinem pro illo fundere paratus eſſet.

Accedit & aliud, quod nedum accidere poſſe, ſed fieri revera noſtris hiſce temporibus fertur: a nonnullis videlicet Confeſſariis tam audacter, quàm imprudenter Pœnitentibus ſuis ſuaderi, ut votum emittant (quod ſanguinarium nuncupant) quo ſe religioſo promiſſo obſtringant, ſanguinem totum, data occaſione effuſuros pro tuenda pia Sententia de Immaculata Deiparæ Conceptione. Certè qui ita ſuadent, vel qui ejuſmodi votum emittunt, Fide Divina credere primùm oportet, peccati Originalis labe immunem prorſus fuiſſe in primo etiam ſuæ Conceptionis inſtanti Virginis puriſſimæ Sanctiſſimam Animam. Neque enim, niſi in alicujus Fidei Dogmatis proteſtationem, ſanguinem profundere, vel ad hoc ſe voto alligare, Chriſtianis fas eſt. Quod tamen, cùm ab Eccleſia definitum non ſit, nec aliunde ex Scriptura, vel Traditione evidenter colligi queat, Fidei Dogma eſſe non poteſt. Quid ſi fortè aliquando Eccleſia a Deo inſpirata oppoſitum definiret? Neque enim puto, aliquem fore audacem adeo, ac imprudentem, qui hanc Eccleſiæ poteſtatem inficietur. Poteſt igitur Divina Fide teneri, & credi, quod falſum eſſe, atque erroneum, innoteſcere aliquando poſſit.

Hæc tamen omnia, ſi paulò penitius perpendere liceat, nihil prorſus evincere, compertiſſimum erit. Ad duos etenim priores Caſus nullo negotio reponimus, nec Traditionem illam, quamvis Apoſtolica ea ætate temporum ab aliquibus exiſtimata fuerit, nec Scripturam eam ab Infidelibus vitiatam id efficere, vel effeciſſe, ut falſum Dogma Fide Divina, uti verum Fidei Dogma creditum fuerit, vel credatur. Ut enim Divina Fide aliquid teneamus, ſatis profectò non eſt, ut ex vaga quacumque Traditione, vel ex qualibet Scriptura id delibemus; Sed neceſſum omnino eſt, ut omnimodam certitudinem habeamus, hujuſmodi Traditionem eſſe ab univerſali Eccleſia receptam, atque probatam, & talem Scripturam eſſe nobis ab ipſamet Eccleſia, ut verum, legitimum, & purum Dei Verbum, propoſitam: quod certè nec de Scriptura

ab

Digitized by Google

ab Infidelibus vitiata affirmare quis poterit. Quare iis in Caſibus ob neceſſariæ conditionis defectum, non Fide Divina, ſed potius humana falſum Dogma pro vero tenemus; dum ſcilicet veraces, & falli, ac fallere neſcios exiſtimamus, qui Traditionem illam ſe ab Apoſtolis habuiſſe teſtati ſunt; & ſinceros, ac integerrimos homines, qui corruptam, & vitiatam Scripturam, ut illuderent, vulgari curarunt, eamque tanquam incorruptam, & intemeratam protulere: unde non Fides Divina, ſed Prudentia humana iis in Caſibus in errorem inducit, & ad falſum pro vero credendum Intellectum inclinat.

At verò mirari ſatis non poſſum, dum tertium proponi a nonnullis Caſum intelligo; quem quidem nedum Viro Theologo, ſed vel Chriſtiano indignum prorſus exiſtimo. Quid etenim juvat, in medium afferre Sciolorum quorumdam periculoſas novitates, qui ut a cæteris Chriſtianæ Diſciplinæ, Morumque Regulis plus nimiò deflectunt, ita in hoc quoque imprudentiſſimo Excogitato falluntur maximè, & fallunt incautos. Falluntur, inquam, & fallunt, dum ſanguinem fundere pro veritate nondum comperta, privatiſque duntaxat Scholarum Opinionibus nixa, nulla Eccleſiæ authoritate accedente, ad rationem melioris boni, quò certè tendere Votum Religione partum neceſſe eſt, ſpectare autumant. Nos porro privatas hujuſcemodi quorumdam aberrationes nihili ducimus, imò omnino improbamus, & apprimè deteſtamur, ceu ſuperſtitioſas, & male natas Simplicibus decipiendis inventiones. Quapropter tantum abeſt, quòd ii Divinæ Fidei Habitu moveantur, vel inducantur ad Votum illud Sanguinarium ſive ſuadendum, ſive executioni mandandum; ut contra potius Chriſtianæ Oeconomiæ Regulis, quæ ſanguinem fundere pro certa duntaxat, compertaque Catholicæ Fidei Veritate aliqua Fideles edocent, planè adverſentur. Sed ad ſaniora properemus.

Quartus itaque Caſus ſolet ab Adverſariis nobis objici, dum privatus quidam Epiſcopus, aut etiam (quod contingere poteſt, contigitque re ipſa in Africa Sæculo III.) totius alicujus Provinciæ, aut etiam Regionis Epiſcopi in Synodo congregati, in Errorem prolapſi ſunt: huncque ipſum Errorem, tanquam Fidei Dogma, credendum Fidelibus ſibi ſubditis proponunt. Tunc enim Diœceſis illius, aut etiam Regionis Fideles illiterati, ac ſimplices, qui ſibi propoſitum ab Epiſcopis Errorem diſcernere nequeunt, cùm Theologi minimè ſint, ex Fide, & quidem Divina Dogma ſibi ab ea Synodo propoſitum, ſimpliciter credunt; imò etiam tenentur credere; ſecus tanquam Hæretici plecti poſſent. Tunc itaque, ſi unquam aliàs, Fidei illorum per accidens ſubeſt falſum. Ita Plerique argumentari ſolent.

Fal-

Falsò tamen, ac perperam: Nec enim ita res eſt, uti prima fronte exiſtimatur: quia eo in Caſu Errorem ſibi ab Epiſcopis illis propoſitum neutiquam credunt Fideles illiterati ac ſimplices Fide Divina, ſed humana duntaxat credulitate, qua falsò putant Epiſcopos ſuos ſat benè eruditos eſſe, ac religioſos, ut nonniſi revelatam a Deo Veritatem illis credendam proponant: etſi ob Actuum Similitudinem arbitrentur ſe credere Fide Divina, quod credunt humana. Neque obeſt, quòd, tanquam Hæretici plecti poſſent Fideles illi ſimplices & idiotæ, ſi Errorem, ſibi ea occaſione propoſitum ab Epiſcopis, credere pertinaciter detrectarent. Poſſent planè, ut Hæretici, plecti, ſed mera Juris præſumptione: quia, tametſi formales Hæretici nequaquam eſſent (nemo enim Hæreticus eſt, quòd non credat Errorem) tales tamen eſſe præſumerentur; eſſentque revera, ut ajunt, materiales Hæretici, ob pravum illorum affectum, quo ducerentur, ut, nulla Epiſcoporum ſuorum ignorantia, aut improbitate detecta, id credere nollent, quod ii, tanquam a Deo revelatum, credendum proponerent.

Quintus Caſus, in quo falſum Fidei ſubfuiſſe, ſaltem ex accidenti, videri poteſt, contigit toto illo temporis interſtitio, quod a Chriſti Nativitate ad publicam ejuſdem manifeſtationem efluxit. Tunc enim Fideles, quibus Chriſti ortus nondum innotuerat, Chriſtum *venturum* credebant, & quidem Fide Divina; quæ tamen hoc in Capite fallebatur, cùm jam re ipſa veniſſet.

At eſt illa mera hallucinatio. Aliud enim Fide Divina eo temporis interſtitio credendum erat, aliud ex conjecturis humana prudentia detegendum. Fide Divina tenendum erat, Chriſtum aliquando, ac etiam, ſi vultis, ad ea circiter tempora eſſe naſciturum: Sic enim Prophetæ prænuntiaverant; atque in eo credendo Fideles nequaquam errabant. Donec autem Chriſti adventus publicè nuntiaretur, nonniſi ex conjecturis detegi poterat, num jam tunc re ipſa natus eſſet, qui nondum erat publicatus. Quare qui Eum tunc temporis *venturum* credebant, dum re ipſa jam venerat, errabant duntaxat in judicio prudentiali, minus rectè de adventus circunſtantiis judicando; nequaquam tamen Fide Divina: quodque notandum magis, Error ille de circunſtantiis adventus Chriſti Domini venialis omnino erat, cùm ſuperari non poſſet, defectu manifeſtationis, & publicationis adventus illius. Dicam id uno verbo: nullo pacto errabant, dum adhuc *venturum* credebant; quia illis nondum venerat manifeſtus, eorumque reſpectu Chriſtus nondum advenerat; eratque quaſi non veniſſet.

Caſus ſextus eſt, dubii ſeu contentioſi ſchiſmatis in Eccleſia; quale profectò illud fuit, quo Eccleſia diſciſſa eſt Sæculo XV. dum

Digitized by Google

dum de Romana Sede contenderent Benedictus XIII. & Gregorius XII. Adeo enim obſcura tunc erant Pontificum illorum jura, ante judicium ſaltem Concilii Conſtantienſis, ut Fideles bona fide in utriuſque Pontificis obedientia, inculpata, tutaque Conſcientia vivere, ac etiam ſalvari poſſent. Unde ſecutis inde temporibus Divorum albo adſcripti ſunt Petrus a Luxemburgo, & Vincentius Ferrerius; quamquam Ille Gregorio XII. Iſte Benedicto XIII. adhæſiſſet. Eo igitur in ſchiſmate, cùm ambo Pontifices legitimi eſſe non poſſent, ſed illorum ſaltem unus falſus eſſet, aut etiam ambo; quotquot falſo Pontifici adhærebant, in Fidei Capite errabant: quandoquidem Fide Divina tenebant, hunc verum eſſe Pontificem, qui tamen re ipſa non erat: idque inculpatè, ac religiosè.

Verùm falſa eſt illa Conſecutio, quia falſa eſt, quæ ibi fit ſuppoſitio. Qui enim tunc falſo Pontifici adhærebant, Eumque verum Pontificem eſſe credebant, non ex Fide Divina credebant, nec ex ea credere tenebantur. Quandoquidem dum docent Theologi nonnulli, Fide tenendum eſſe, hunc numero Hominem electum eſſe revera ſummum Pontificem, id docent tantùm ubi Electio ab Univerſa Eccleſia recepta probataque ſit; nequaquam verò ubi Electio dubia eſt, & in ipſa etiam Eccleſia Catholica vocatur in controverſiam. Tunc enim, qui alterutri Pontifici adhærent, prudentia duntaxat humana ducuntur, non Fide Divina.

Caſus ſeptimus, in quo Fidei falſum ſubeſſe videtur, contingit, ubi Divina quædam revelatio privatæ Perſonæ facta eſt, E. G. Divæ Birgittæ, aut Divæ Thereſiæ. Contendunt enim Theologi, cæteros quidem Fideles non teneri ad fidem privatis illis Revelationibus adjungendam, teneri tamen illam ipſam ſingularem Perſonam, cui Revelatio facta eſt. Poteſt autem privatæ huic Revelationi ſubeſſe falſum: imò quotidie privatæ hujuſmodi Revelationes a Viris eruditis, & emunctæ naris falſi convincuntur, meraque Somnia, & inania Commenta probantur eſſe. Tunc ergo Fidei privatarum ejuſmodi Perſonarum falſum ſubeſt.

Iſte tamen Caſus ad præſens Inſtitutum noſtrum nihil omnino valet: Quia, qui Theologi putant, teneri privatas illas Perſonas, quibus Revelationes aliquæ factæ ſunt, fidem illis adjungere, fidem intelligunt, ut ſimpliciter Theologica virtus eſt, non ut Catholica eſt. Catholica quippe Fides, ut ait Apoſtolus *ad Epheſios cap. 2. Ædificata eſt ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*, non ſuper fundamentum alterius cujuſvis ab Illis. Nos autem hic agimus de hujuſmodi Catholica Fide, ad totum Eccleſiæ Corpus attinente; deque illa duntaxat quærimus, an ei ſaltem per accidens poſſit ſubeſſe falſum.

Addiderim ego, privatas illas Perſonas, quibus factæ dicuntur hujuſmodi Revelationes, illis quidem aſſentiri poſſe, ſed ex mera opinione; cùm ſemper dubitare poſſint, ac etiam debeant, (niſi evidentia certitudinis Signa appareant, puta Prodigia totius Naturæ ordinem excedentia) ne Angelus tenebrarum transfiguret ſeſe in Angelum lucis; non autem Fide Divina, quæ omnimodam ſecum certitudinem affert.

Poſtremus tandem Caſus longè ſubtilior eſt, captuque difficilior; in quo non modò Fidei Divinæ falſum ſubeſt, imò etiam aſſenſus Fidei influit in aſſenſum prorſus hæreticum, illiuſque ſit cauſſa. Accidit Caſus ille in Argumentatione erronea, in qua ex duabus Propoſitionibus, quarum una hæretica ſit, altera orthodoxa, infertur Concluſio hæretica: ut dum ita Eutychianus argumentatur: *In quo eſt una Perſona, eſt quoque una Natura: at in Chriſto eſt una Perſona: igitur in Chriſto eſt una Natura.* Cum enim ex generali Dialecticæ Regula aſſenſus Præmiſſarum cauſſa ſit aſſenſus Concluſionis, aſſenſus tum præſtitus minori Propoſitioni, quæ Fidei Dogma eſt, *in Chriſto eſt una Perſona*, cauſſa eſt, ſaltem partialis, aſſenſus erronei præſtiti hæreticæ Concluſioni, *ergo in Chriſto eſt una Natura:* adeoque Habitus Fidei Divinæ, quo credimus aliquod Dogma catholicum, (ut in Chriſto unam eſſe Perſonam) poteſt, ſaltem ex accidenti, inclinare ad aſſentiendum Errori.

Miror, Theologos aliquos in ea expedienda Argutia deſudare. Mihi ſimpliciùs & expeditiùs videtur, ſi dicatur, in ſyllogiſmis demonſtrativis, ac etiam probabilibus aſſenſum Præmiſſis præſtitum cauſſam eſſe aſſenſus Concluſionis; non ita tamen in ſyllogiſmis erroneis, in quibus Præmiſſarum altera, vera atque catholica, ad falſum aliquid concludendum inſeritur. Tunc enim ſola Præmiſſa falſa influit, ratione materiæ, in falſam Concluſionem: altera autem Propoſitio vera nullo pacto influit in falſitatem Concluſionis, quamquam videatur influere ratione formæ ſyllogiſticæ, ſeu malæ connexionis Propoſitionis falſæ cum vera. Dum itaque ſic argumentatur Eutychianus: *In quo eſt una Perſona, eſt quoque una Natura: at in Chriſto eſt una Perſona: igitur in Chriſto eſt una Natura:* Propoſitio illa minor *in Chriſto eſt una Perſona*, ratione intrinſecæ veritatis, ſeu, ut Dialectici ajunt, ratione materiæ, nihil influit in hæreſim contentam in Concluſione *in Chriſto eſt una Natura:* etſi ratione formæ ſyllogiſticæ videatur influere; quatenus logicali artificio colligat cum erronea Concluſione Principium illud erroneum, *in quo eſt una Perſona, eſt quoque una Natura:* ſed colligatio duntaxat eſt ratione formæ ſyllogiſticæ, non ratione materiæ, ſeu intrinſecæ veritatis, quæ nulla eſt. Neque id mirum vi-

videri debet; cùm ſpectata ſola ſyllogiſtica forma, poſſit etiam ſequi Dogma Fidei ex duplici Propoſitione hæretica; ut ſi quis dicat: *ubi eſt una Natura, eſt quoque una Perſona: ſed in Chriſto eſt una Natura: ergo & in illo eſt una Perſona*. Nihil itaque dubitandum, quin aſſenſus Fidei veritati præſtitus numquam inclinet intellectum ad aſſentiendum falſitati, atque ita Fidei, quæ Theologica & Catholica Virtus eſt, nunquam, ac ne quidem ex accidenti, poſſit ſubeſſe falſum.

Atque hæc peculiaris eſt Fidei prærogativa, qua cæteras Virtutes Theologicas vincit. Poteſt enim & Charitati, & Spei ſubeſſe falſum. Poteſt E. G. quis ex vera Charitate impertiri eleemoſynam pauperi reputato; qui tamen re ipſa pauper non ſit: Poteſt & quis vera Virtute ſperare, quæ numquam illi bona obvenient: non poteſt tamen quis Fide Divina credere, niſi quod conſtat eſſe veriſſimum. Quorſum id? Diſcrimen aſſignat Doctor Angelicus 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 3. Quòd Fides Virtus intellectualis ſit, ſeu perficiens Intellectum in ordine ad verum, & quidem Divino Teſtimonio agnitum, probatumque: Charitas, & Spes non item. Non enim iſtæ verſantur circa verum, ut verum; ſed circa bonum per ſe, & formaliter, ut Schola loquitur. Quare iſtis Virtutibus ſatis eſt, ſi ſuos actus exerceant circa bonum æſtimatum, & judicatum ut bonum, etſi fortè ita verè non ſit.

Eccur ergo, inquies, non poterit perinde Fidei actus exerceri circa verum, æſtimatum tantùm, ut verum; quemadmodum exerceri poteſt Charitatis actus circa bonum æſtimatum tantùm, ut bonum? Reſponſio in promptu eſt: quia ad Virtutem intellectualem, qualis eſt Fides, pertinet iſta diſcernere; illudque non apprehendere, uti verum, quod re ipſa verum non ſit: non item id pertinet ad Charitatem, quæ Intellectum per ſe ſe non perficit, ſed Voluntatem.

Sed eſt, inquies fortè, etiam Prudentia Virtus intellectualis; quam tamen ſæpè falli, nec probè dijudicare, millies comperimus. Ita ſanè; ſed non perinde, ut Fides, infallibili Medio Prudentia nititur: Quare nihil mirum, ſi & ipſa plerumque fallatur.

Iis jam enodatis, quæ ad Fidei certitudinem explicandam neceſſaria videbantur, reliquum eſt, ut de iis quoque dicamus, quæ ad ejuſdem obſcuritatem exponendam pertinent. Erit id ſequentis Exercitationis Argumentum.

PRÆLECTIO VI.

Obſcuritatem ita Fidei Divinæ eſſentialem eſſe, ut de eodem Objecto, etſi per diverſa Media, nulla ratione cum Scientia, quæ evidentiam adfert; imò nec cum evidentia Revelationis de Myſterio aliquo, ſi fortè haberetur, ſtare poſſit, defenditur.

DE Fidei certitudine, qualis quantaque ſit, in antehabitis Prælectionibus ſatis diximus; de illius obſcuritate, quæ altera eſt Divinæ Fidei Prærogativa impræſentiarum dicendum. Certè nihil tam tritum, & familiare in Sacris Literis reperitùr, & SS. Patribus, quàm eſſe Fidem Chriſtianorum obſcuram, ac de rebus nobis prorſus obſcuris. Eſt autem, (inquit Apoſtolus *ad Hebræos cap.* 11.) *Fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium:* Petrus *in ſua Epiſt.* 2. *cap.* 1. *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem: cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco:* quod de Fide dictum eſſe, quæ fundata eſt *ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*, nemo ambigit: Auguſtinus *Tract.* 40. *in Joan. quid eſt enim Fides, niſi credere, quod non vides?* Quod & alii communiter profitentur. Quo ſenſu tamen, & quare Fides dicatur obſcura, non perinde ab omnibus intelligitur. Ego quidem, ſi quid in his valeo, ita puto intelligendum, ut Fides obſcura dicatur, non quòd ipſamet, ſeu Divinum Teſtimonium, cui Fides innititur creet ejuſmodi obſcuritatem in mentibus noſtris: abſit: ſed obſcura dicitur propterea quòd obſcuritatem, quæ in mentibus noſtris eſt de Divinis Myſteriis, non depellat. Divinum enim Teſtimonium veritatem aliquam nobis atteſtans, E. G. Deum eſſe in Perſona trinum, non efficit, ut nobis obſcurum ſit Trinitatis Myſterium; ſed cùm nobis in anteceſſum ſit obſcurum, & incertum, Divinum Teſtimonium ſuperveniens obſcuritatem illam ab Intellectu non depellit, quamquam depellat incertitudinem. Quare Myſterium Trinitatis nobis quidem certum evadit vi Teſtimonii Divini, illius veritatem conteſtantis; ſed manet adhuc nobis obſcurum; quia Dei Teſtimonium nullam illius evidentem ſpeciem nobis ingerit. En quid propriè ſit obſcuritas Fidei Divinæ.

Hujus autem obſcuritatis occaſione illud ſolet a Theologis diſputari: poſſit ne Fides, obſcura cùm ſit, ſtare ſimul cum Scientia de una, eademque veritate; E. G. de Divina Exiſtentia, de Providentia, de Dei Æternitate, Omnipotentia, aliiſque Attributis,

Digitized by Google

tis, quæ uti Fide tenentur, ita poſſunt ratione naturali demonſtrari. Tota porro ex obſcuritate, quam Fidei propriam diximus, & evidentia, quæ Scientiæ congenita eſt, oritur difficultas; num videlicet poſſint una ſimul eodem in animo de una eademque veritate cohærere, per diſtincta ſaltem, diverſaque Media. Affirmant Theologi primæ notæ, ac pervetuſti, Alexander Alenſis *Quæſt. 68. de Fide Formata art. 3. in Reſolutione*; Albertus Magnus *in 3. Sent. Diſt. 24. art. 9.* D. Bonaventura *in eandem Diſt. 24. art. 2. quæſt. 3.* Durandus *in eandem Diſtinct. quæſt. 1.* Gabriel *ibidem Concl. 2.* & alii benè multi, quibus ſubſcribere ſolent Molinianæ Scholæ Profeſſores. Negat tamen Doctor Angelicus 2. 2. *quæſt. 1. art. 4. & 5.* cujus Sententia SS. Patribus, & rationi Theologicæ magis utique videtur congruere.

Patres enim non modò conſtanter affirmant, Fidem eſſe de rebus obſcuris, non viſis, non apparentibus; verùm etiam addunt, hujuſmodi res obſcuras, non viſas, non apparentes, quæ per Fidem attinguntur, non poſſe ſimul apparere, & videri per Scientiam, aliudve quodcumque Medium. In his maximè ſunt D. Auguſtinus *in cap. 1. Epiſt. Joan. ad Parthos Tract. 1. n. 3.* & D. Gregorius Magnus *in Evangel. Lib. 2. Hom. 26. n. 8.* ubi occaſione verborum Chriſti Domini ad Thomam Apoſtolum, *quia vidiſti me Thoma, credidiſti*, ſtudioſè inquirunt, quî fieri potuerit, ut Thomas Fide crediderit, quod viderat, cùm de iis rebus ſit Fides, quæ non videntur; ſolvuntque Difficultatem reponendo, Thomam non idem credidiſſe, quod viderat, ſed aliud vidiſſe, aliud credidiſſe: *Quia tetigit Hominem*, inquit Auguſtinus, *confeſſus eſt Deum. Sed aliud vidit*, ait Gregorius, *aliud credidit . . . . Hominem ergo vidit, & Deum confeſſus eſt*. Porro, inquio ego, ſi fieri poſſe exiſtimaſſent Patres illi, ut quod Fide creditur, alio ſimul Habitu, aliove Medio videretur, non erat profectò, cur ad illud Reſponſum confugerent, Thomam non idem vidiſſe, & credidiſſe; eumque aliud vidiſſe, aliud credidiſſe; ſed cum priſcis illis Theologis facilè repoſuiſſent, idem vidiſſe Thomam, & credidiſſe diverſo Medio: vidiſſe, inquam, Senſibus corporis, & credidiſſe per Fidem: quia diverſis Mediis, & Habitibus poteſt idem videri ſimul, & credi.

Suadet hoc idem ratio manifeſta, ex Philoſophiæ Principiis ducta. Formæ habentes effectus formales privativè, vel contradictoriè oppoſitos, ſimul eodem in ſubjecto ſtare non poſſunt: contradictoria enim de uno eodemque ſimul dici non poſſunt: Fides autem, & Scientia ſic ſe habent; cùm illa obſcuritatem, iſta evidentiam præſeferant: ſimul igitur eadem de re ſtare non poſſunt.

Haud me fugit, reponere ſolitos eſſe Theologos illos, nihil obeſ-

obeſſe, quominus Formæ illæ, quæ effectus formales inter ſeſe oppoſitos habent, ſint ſimul per diverſa Media, etſi non poſſint eſſe per idem. Verum nec ita quidem vim Difficultatis effugiunt. Primò quidem, quia diverſitas Mediorum, quibus formæ illæ in ſubjectum induci dicuntur, non tollit oppoſitionem, quam habent illæ inter ſeſe: Fides autem, & Scientia hujuſmodi oppoſitionem ſecum afferunt neceſſariò, cum illa obſcuritatem, evidentiam iſta ex ſui natura perpetuò ferant: ſimul igitur ea de re ſtare non poſſunt. Secundò, quia ſola diverſitas cauſſarum efficientium non tollit oppoſitionem effectuum inter ſeſe contrariorum: frigus E. G. & calor, lux & tenebræ, Fides & Hæreſis, quanquam a diverſis cauſſis efficientibus prodeant, inter ſeſe nihiloſecius opponuntur: diverſitas itaque Mediorum, ſeu cauſſarum præſtare nequit, ut Fides, & Scientia de eodem prorſus Objecto ſimul invicem copulentur.

Sunt qui aliam effugiendi viam aperuere, ut eam repugnantiam declinarent, quæ illos nimiùm male torquet. Reponunt itaque, obſcuritatem non eſſe Fidei eſſentialem, ſed accidentalem duntaxat; aut, ut quidam illorum barbarè loquuntur, Fidem eſſe quidem obſcuram *permiſſivè*, non *exigitivè*; ſeu obſcuritatem quidem admittere, non tamen exigere. At ii profectò recedunt ab Apoſtoli, Patrumque Doctrina; qui Fidem ex eſſentialibus definientes, obſcuritatem uti defectum illius individuum, & indivulſum agnoſcunt: non quòd eam creet; efficiatque obſcuritatem, ſed quòd eam minimè depellat. Quid quòd differentiæ ſpecificæ quarumcumque rerum eſſentiales eſſe, non accidentales ex Metaphiſica ſatis compertum eſt; adeoque non permittuntur, ſeu admittuntur tantùm, ſed neceſſariò exiguntur.

Videamus tamen, quid priſcos illos Theologos deluſerit, ut Fidem cum Scientia ſtare poſſe contenderent. Divinæ Scripturæ, inquiunt illi, Concilia, Patres, Sacra Symbola, quoties narrant, quæ Fidelibus univerſis Fide credenda ſunt, ea quoque percenſent, quæ Viri docti per Scientiam tenent, uti Deum exiſtere, ſummum eſſe Proviſorem, Unicum, Æternum, Omnipotentem, Omniſcium, Immutabilem: nec tamen a Fide iis Veritatibus adhibenda Viros doctos liberos faciunt: id ergo pro certo ſupponunt, quæ Scientia tenentur, Fide etiam credi poſſe. Hoc maximè momentum urget Franciſcus Suarez. *Diſp.* 1. *de Fide quæſt.* 1. *punc.* 4.

Una Doctor Angelicus ſpongia delet quæcumque a Suareſio congeruntur, 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 5. *ad* 3. *Quæ demonſtrativè probari poſſunt, inter credenda numerantur, non quia de ipſis ſimpliciter ſit Fides apud omnes, ſed quia præexiguntur ad ea quæ ſunt Fidei*,

dei, & oportet ea ſaltem per fidem præſupponi ab iis, qui eorum demonſtrationem non habent.

Neque obeſt, quòd Apoſtolus *ad Hebreos cap.* 11. diſtinctè notet, Fide eſſe credendum, Deum exiſtere, & ſummum eſſe Remuneratorem: *Credere enim*, inquit, *oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit:* quaſi neceſſitatem, & obligationem univerſis imponat ea ipſa credendi per Fidem. Repono enim primò, verbùm *credere*, quod illic uſurpat Apoſtolus, æquivocum eſſe, idemque fortè ſonare, ac *rem certò tenere*, quovis tandem modo teneatur, ſeu Fide, ſeu Scientia. Secundò, de Deo Authore ſupernaturali, & Remuneratore per Beatitudinem ſupernaturalem loqui eo loco Apoſtolum, cujus certè Scientiam non habemus. Tertiò, teneri quemcumque ad illa duo, quæ notat Apoſtolus, Fide credenda, ſi aliunde demonſtratione minimè probentur.

Inquis tamen mihi, ſi ita ſit, Theologus deterioris eſt conditionis Viro illitterato: tum quòd privetur Fidei merito, quo Vir illitteratus inſignitur; tum quòd de iis Veritatibus minùs ſit certus, quàm vel Idiota quicumque; cùm Fides, quam ille dicitur non habere, quacumque demonſtratione ſit certior.

Sed & id quocumque ex Capite frivolum eſt. Ex primo quidem; quia cùm Theologus ita ſit animo comparatus, pièque affectus, ut Veritates illas Fide Divina crederet, ſi illarum demonſtratione careret, nullo privatur Fidei merito, quod totum in ea animi præparatione, & affectione poſitum eſt. Ex altero vero Capite; quia licet in Theologo Habitus Fidei non extendatur per ſeſe ad eas Veritates, quas per Scientiam novit; nec proinde certitudinem per ſeſe in eas influat; indirectè tamen, & per accidens ad eas extenditur; quatenus Veritates illæ, per Scientiam notæ, continentur in aliis principalibus, quæ nonniſi Fide tenentur a Theologis: E. G. *Deus eſt* continetur in ea *Deus eſt trinus*: quanta ergo certitudine tenet Theologus, Deum eſſe trinum, tanta quoque tenet, eſſe Illum & unum.

Addiderim, Theologum Fidem de aliquo Divino Attributo non habentem, de quo ſcilicet Scientiam habet, habere tamen de illo omnem Fidei certitudinem: quia præterquamquòd illi aſſentitur per demonſtrationem, aſſentitur inſuper propter teſtimonium Dei: iſque ſecundus aſſenſus non eſt aſſenſus Fidei, quia non eſt cum obſcuritate conjunctus, ſed eſt actus veluti ſecundarius Scientiæ. Eo planè modo, quo cognitio per Medium probabile, dum eſt conjuncta cum actu demonſtrativo, non eſt actus Opinionis; quia non eſt cum formidine partis oppoſitæ, ſed actus eſt ſecundarius Scientiæ, ut ex Logicis, ſi benè memini, didici aliquando.

Scio

Scio Nonnullos reponere, actum Scientiæ, quo Theologus novit, Deum eſſe, cùm ſit naturalis, nunquam poſſe, etiam ſecundariò ad Veritatem aliquam ferri propter Teſtimonium Divinum, quod ſupernaturali Ordini ſubeſt; adeòque perperam aſſeri, Theologum ob Dei Teſtimonium aſſentiri etiam Veritati illi; qui tamen aſſenſus actus ſit ſecundarius Scientiæ ipſius.

Verùm ſcrupulus evaneſcet omnis, ſi conſideremus, actum naturalem, etſi ſolitariè acceptum, ſupernaturalis Ordinis Veritatem attingere omnino non poſſe, poſſe tamen, ut eſt conjunctus cum Fidei Habitu in Theologo. Planum id fit Exemplo Virtutum Moralium, quæ, ſi ſolitariæ, & ſecundùm ſe conſiderentur, meritorios actus elicere nequeunt, quod tamen abundè præſtant cum Habitu Charitatis conjunctæ.

Ex iis Principiis enervatur Argutia altera Eorum, qui ita argumentantur: Dum Deus revelat Veritatem aliquam, ratione naturali aliunde notam, Theologus non diſſentit hujuſmodi Revelationi, quæ tamen ſimul cum Scientia manet. Enervata, inquam, eſt hæc Argutia. Non enim aſſenſus ille, aſſenſus eſt Fidei uti fingitur, ſed actus eſt Scientiæ ſecundarius: quia, ut obſervat Capreolus, aſſenſus cauſatus ex Authoritate Divina tunc tantùm cenſetur aſſenſus Fidei, dum Authoritas Divina eſt tota cauſſa, & præciſa ratio aſſentiendi.

Unum ſupereſt, quod ab adverſæ partis Defenſoribus ſolet objici: poſſe ſcilicet Fidem ſtare cum Lumine Gloriæ, atque adeo cum Scientia: quod Pauli ad tertium Cœlum rapti Exemplo ſuadere videntur.

Huic expediendæ Difficultati duplex ſuppetit via: Prima, ſi negetur, Paulo ad tertium Cœlum rapto fuiſſe Lumen Gloriæ communicatum; uti ſanè plerique Theologi negant: Altera, ſi dicamus, Paulum amiſiſſe tunc Fidem, dum Deum videre cœpit ad faciem; quemadmodum & Beati: nec propterea infidelem evaſiſſe, ut quidam objiciunt; quia Fidem non amiſit diſcredendo, ut ita dicam, & diſſentiendo, ſed videndo: uti profectò nec Beati, infideles dicuntur. Nec obeſt ſi fortè dixeris: ſi Paulus ſemel in raptu Divinam Eſſentiam vidit, atque ita cum Illa Myſteria omnia; Fidemque momento illo amiſit; nunquam ergo deinceps, etiam ceſſante raptu, Fidem Myſteriorum habuit. Sicuti Petrus E. G. viſa ſemel Roma, tranſacto viſionis actu, non ultra fidem illius habet, ſed Scientiam ſemper tenet. Negatur etenim paritas: quia ſpecies Romam repræſentans manet ſemper Menti illius impreſſa, etiam ceſſante viſione; non ita tamen ſpecies Divinam Eſſentiam Paulo repræſentans illius Menti manſit impreſſa Viſione tranſacta: quia prior ſpecies eſt naturalis, iſta gratuita.

Non

Non omiſerim inſolutam Argutiam a Viro de Schola ſubtili aliquando mihi in hunc modum objectam: Eccleſia ſimul a nobis creditur, & videtur: creditur, inquam, quia eam nos credere profitemur in Symbolo: *Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam:* videtur etiam a nobis: quandoquidem profitemur contra Lutheranos, & Calviniſtas Eccleſiam eſſe viſibilem: itaque de Eccleſia ſimul habetur Fides, & viſio. Imò, quod urget multò magis, Fide credimus Eccleſiam nos videre: quandoquidem Fidei Caput eſt adverſus Lutheranos, & Calviniſtas definitum, Eccleſiam nobis eſſe viſibilem: igitur multò magis ſtat Fides cum viſione, ſi de ipſa viſione Fides habetur, ipſaque viſio Fide creditur.

Reſpondeo, eo in Caſu Fidem, & viſionem de uno eodemque objecto non eſse, ſed de diverſis. Viſio enim eſt de exteriori Gubernatione Eccleſiæ, de externa illius Hierarchia, de Sacramentorum Adminiſtratione, de externa Fidelium inter ſeſe Communione: Fides verò eſt de ipſius Eccleſiæ veritate, deque interiori inſpiratione Spiritus Sancti, quæ facit, eam veram eſse Eccleſiam. Uno verbo credimus, eam eſse veram Eccleſiam, cujus externum apparatum videmus: Cùm contra Lutherani, & Calviniſtæ Eccleſiæ veritatem conſtituant in interiori vinculo charitatis, qua Fideles inter ſeſe uniuntur, Chriſtoque adhærent: quod tamen interius vinculum non videtur.

Difficiliùs fortaſse fuerit illud alterum definire; poſſit ne Fides ſtare cum evidentia Divinæ Revelationis? Quod ut intelligat ſtudioſa Juventus, illud obſervet oportet, in Fide nobis non modò obſcurum eſse quod creditur Myſterium, verùm etiam obſcuram nobis eſſe Divinam Revelationem, quæ nobis de Myſterio facta eſt: E. G. non modò nobis obſcura eſt Divinarum Trinitas Perſonarum, verùm etiam Divina Revelatio, quæ de Trinitate nobis eſt facta, perinde obſcura eſt. Non quòd Scripturæ verba, quibus nobis revelata eſt Trinitas, per ſe ſatis aperta non ſint; ſed quòd nobis obſcurum ſit, an hæc ipſa Dei Optimi Maximi verba ſint Sacris Scriptoribus inſpirata, atque dictata. Illud itaque quæritur in præſentia: num ſi fortè evidens nobis eſset, Deum Myſterium hujuſmodi revelaſse, & quidem verbis proprio ſenſu intelligendis, adhuc tamen Fides de hoc ipſo Myſterio ſtare poſset?

Mirum, quantum ea de re digladientur inter ſe Thomiſtæ Noſtrates. Ego negantibus aſsentior, certaque mihi mens eſt, Fidem cum Divinæ Revelationis evidentia ſtare non poſse. Eaque maximè ratione moveor, quòd cui eſſet evidens Myſterii Revelatio, Myſterium ex conſequenti fieret evidens: Sic enim argumentari ille poſſet: Evidens eſt, illud eſſe verum, quod Deus revelavit: quandoquidem Deum mentiri non poſſe, evidentiſſimum eſt: ſed mihi evi-

dens eſt Deum revelaſſe, ſe eſſe trinum: igitur evidens mihi eſt, Deum eſſe trinum: atque ita ea in hypotheſi, de Trinitate, utpote jam evidenti, Fides ultra non eſſet, ſed Scientia dumtaxat. Et quidem qui novit evidenter Medium probationis, cognoſcit evidenter Concluſionem inde neceſſariò deductam: porro Divina Revelatio, de aliquo Myſterio facta, probationis Medium eſt cum Myſterii veritate neceſſariò conjunctum; cùm Deus falſum revelare non poſſit: cognita itaque evidenter Revelatione de Myſterio aliquo facta, Myſterium quoque evidenter agnoſceretur.

Neque verò Difficultatem elidunt, qui reponunt, debere Medium probationis eſſe intrinſecum, ac etiam proprium, ut ex eo evidenter cognito Concluſio quoque evidenter cognita cenſeatur: Revelationem autem eſſe extrinſecam Myſterio revelato, ac veluti quid generale, atque commune.

Nugæ profectò nugæ. Ut enim Concluſio cenſeatur evidenter in Medio cognita, ſatis eſt, ſi Medium, quo Concluſio probatur, *virtualiter*, ut Schola loquitur, *intrinſecum* illi ſit; propter neceſſariam connexionem illius cum iſta; etſi *formaliter extrinſecum* illi ſit. Uti profectò dum Deum exiſtere per Creaturas probamus, ac demonſtramus, Creaturæ ipſæ Deo non ſunt *formaliter*, ſed *virtualiter* tantùm intrinſecæ; quòd iſtæ ab Illo neceſſariò pendeant. Quamquam etiam Revelatio communis & generalis medium proprium non ſit, utique tamen Revelatio peculiaris, ſingularis, & individua, quæ de hoc, vel illo Myſterio ſpecialiter facta eſt. Quapropter cum jam in ſuperioribus probaverimus, Fidem ſtare non poſse cum evidentia Myſterii, conſequens eſt, ut dicamus, ſtare quoque non poſse cum evidentia Revelationis: quandoquidem & hæc ipſa Revelationis evidentia ſecum affert Myſterii revelati evidentiam.

Id ad rem noſtram modò pertinet, ut ad ea reponamus Exempla, quibus Fides cum Divinæ Revelationis evidentia ſtetiſse videri poteſt. Primum eſt Deiparæ Virginis; cui evidens Myſteriorum plurimorum, maximè verò Dominicæ Incarnationis Revelatio facta eſt in ipſa Salutatione Angelica. Alterum eſt Apoſtolorum, quibus Chriſtus abſque figuris, & ambagibus ſecreta cœleſtia quamplurima reſeravit. Poſtremum Prophetarum nonnullorum, quos Deus per ſeſe, non per Angelos internuncios edocuit, inſpiravit, afflavit; quin idcirco Fide de revelatis ſibi Myſteriis eos caruiſse, aſeri poſſit.

Ad primum repono, Virginem Deiparam eorum Myſteriorum Fidem nequaquam habuiſse, quorum evidentem habuit Revelationem, aut ſenſibile quoddam experimentum; ut E. G. ſe Chriſtum Dominum fuiſse enixam, Virginitatemque ſuam poſt partum ad obi-

obitum uſque ſervaſse. Neque verò ex hoc inferas, Fidei meritum in Deipara minus fuiſse, quàm in cæteris, qui ejuſmodi Myſteria Fide Divina credunt, & profitentur: non, inquam, hoc inferas: Fidei namque meritum non pendet a numero Myſteriorum, quæ Fide tenentur; aliàs Theologi, atque Philoſophi Chriſtiani, qui de pluribus, ad quæ Fide tantùm Ruſticus fertur, evidentiam habent, minori merito cumularentur; adeoque deterior eſset Illorum, quàm Ignorantium conditio: quod quis aſserat? Sed Fidei meritum augetur, vel minuitur ex majori vel minori credentis affectu, atque diſpoſitione, nec non aſsenſus firmitate, animique adhæſione iis, quæ proponuntur credenda; prout videlicet in uno Fidei Habitus intenſior eſt, vel remiſſior, quàm in alio. Contingere enim poteſt, ut Homo aliquis ſimpliciſſimus, qui de duobus duntaxat Myſteriis, quæ a quoquam credi neceſsariò debent, notitiam haberet, plus meriti in iis credendis ob majorem aſsenſus firmitatem, animique adhæſionem ſibimet compareret, quàm Vir litteratus, ac de omnibus Fidei Articulis plenè inſtructus, qui de iis minori fortè Intellectus adhæſione, firmitate, atque conſtantia Fidem haberet. Quare cùm B. Virgo in cæteris Fidei Myſteriis, quorum evidentia carebat, omnium Hominum Fidem longè iis conditionibus ſuperaret, conſequens profectò eſt, omnium etiam meritum in credendo Eam longiſſimè exceſſiſse.

Ad alterum allatum Exemplum repono, Apoſtolos non propterea cenſendos eſſe Divinæ Revelationis evidentiam habuiſſe, quòd Chriſtum ea ſibi Myſteria referantem pluries audierint: quia Deum illum eſſe non noverant evidenter, ſed Fide tantùm tenebant. Si verò quorumdam Myſteriorum ſenſibile documentum, aut etiam experimentum habuere, E. G. inſtitutionis Euchariſtiæ, Mortis a Chriſto Domino toleratæ, Reſurrectionis ejuſdem, atque in Cœlum Aſcenſus, quorum omnium oculati teſtes extiterant, Fidem illorum nonniſi in animi præparatione poſſederunt.

Idipſum ad tertium de Prophetis reſpondeo, quos Deus per ſeſe, non per Angelos internuntios, afflavit; Si tamen nec per Figuras enygmaticas, nec per Symbola, vel alias obſcuras inſtruendi rationes Illos edocuit, ſed facie, ut ita dicam, ad faciem; quemadmodum de Moyſe ſcriptum legimus *Exodi cap.* 33.

Illud fortè difficilius expediendum eſt, quod ex Doctore Angelico objici ſolet; quaſi evidentiam Divinæ Revelationis ſtare cum Fide poſſe Is docuiſſet 2. 2. *quæſt.* 5. *art.* 2. *Si aliquis Propheta,* inquit, *prænuntiaret in Sermone Domini aliquid futurum, & adhiberet Signum, mortuum ſuſcitando; ex hoc ipſo convinceretur Intellectus videntis, ut cognoſceret manifeſtè, hoc dici a Deo, quia non mentitur: licet illud futurum, quod prædicitur, in re evi-*

d ns non eſſet: unde per hoc ratio Fidei non tolleretur. Quibus ſinè verbis ſignificare videtur Angelicus, Fidem ſtare perinde poſſe cum evidentia Divinæ Revelationis.

Hoc tamen Angelici Præceptoris Teſtimonium perperam nobis opponitur; ubi Ille de evidentia ipſiuſmet Revelationis non agit, ſed de illius certitudine, per Signum, ſeu Miraculum in ejus confirmationem patratum. Hæc porro potius eſt evidentia credibilitatis, quam quidem omnes ultro citroque concedunt, conjungi poſſe cum Fide, quàm evidentia Revelationis. Dum enim videt quis ſenſibiliter Miraculum aliquod in confirmationem Divinæ Revelationis patratum, cùm Miraculum in falſitatis confirmationem fieri, impoſſibile ſit, ipſam tunc Revelationem ſenſibiliter non ſentit; adeoque nullo pacto habet illius evidentiam. Unde nil mirum, ſi ſtet adhuc Fides de Myſterio hoc ratione enuntiato, & per Miraculum confirmato. At hoc non eſt id, quod quæritur in præſentia. De evidentia etenim, non de certitudine Revelationis Controverſia ſuboritur. Stat ergo inconcuſſum, quod demonſtrandum propoſuimus, videlicet obſcuritatem ita Fidei eſſentialem eſſe, ut de eodem Objecto, etſi per diverſa Media Fides & Evidentia ſtare omnino non poſſint, etiam ſi de evidentia Revelationis ſermo fiat.

Expenſis itaque, bonoque in lumine poſitis binis Divinæ Fidei Characteribus, Certitudine, atque Obſcuritate, reliquum eſt, ut de Illius neceſſitate ſermonem inſtituamus: quod Divino opitulante Auxilio in ſequentibus pro viribus noſtris præſtabimus.

PRÆ-

PRÆLECTIO VII.

Fidem in re abſolutè ad Salutem neceſſariam eſſe, defenditur.

NAturam, ac Dignitatem Fidei noſſe, ejuſdem verò Neceſſitatem ignorare, novum inſulſitatis genus arbitror. Ad id enim collineare debet Virtutum omnium notitia, ut quanta nobis illarum neceſſitas ſit, potiſſimum dignoſcamus. Cùm itaque de Fidei Natura, dignitateque dixerimus hactenus, ejuſdem Obſcuritatem, & Certitudinem quales, quantæque ſint exponendo; ad illius nunc Neceſſitatem explicandam ſtudia noſtra curasque convertimus.

Qua in re illud mihi ſtatim accidit permoleſtum, quod Fidei Neceſſitatem adverſus Theologos aliquos defendere cogar, quos Fidei Doctores, atque Magiſtros, non impugnatores, ac depreſſores audire maluiſſem. Inventi ſunt enim hac ferme ætate noſtra nonnulli, qui Fidei neceſſitatem ad Salutem totis viribus impugnarunt. Horum chorum ducit Andreas Vega, qui ſcribere non eſt veritus *Lib. 6. in Tridentinum Concilium cap.* 17. *&* 20. tantam non eſſe Fidei Neceſſitatem ad Salutem, quin poſſit aliquis abſolutè ſine Fide ſalvari: ſatiſque eſſe, ſi illam quis habeat duntaxat in voto, & deſiderio: qualis fortaſſis eſſet ille, qui nutritus in Silvis nullum unquam Prædicatorem Evangelicum audiviſſet. Hunc non longo ſecuti ſunt intervallo Franciſcus Suarez, Tamburinus, Meratius Platerius, Comptonus, Darellus; quorum alii unius Dei notitiam ſolo Creaturarum teſtimonio habitam (quæ certe quàm longiſſimè diſtat a Fide) ad Juſtificationem, atque ita ad Salutem ſufficere docuerunt: alii Fidem actualem Incarnationis, & Trinitatis ad ſalutem minimè deſiderari commenti ſunt.

Horum primum (non eſſe ſcilicet Fidem ad Salutem abſolutè neceſſariam) Doctrinæ monſtrum non dubitaverim appellare, ſacris in Litteris prædamnatum, a Conciliis, Patribuſque proſcriptum; adhuc etiam rectæ Rationi palam, apertèque repugnans. Apoſtolus enim *ad Hebræos cap.* 11. de hac ipſa Fide, quam *ſubſtantiam rerum ſperandarum* definit, *argumentum non apparentium*, ſubjungit e veſtigio: *Sine Fide autem impoſſibile eſt placere Deo*. Quomodo ergo ſalvari poterit, qui Deo minimè placuerit? *Ad Galatas cap.* 3. *Juſtus ex Fide vivit*. Nemo itaque ſine Fide juſtus, multò minùs ſine Fide ſalvus eſſe poteſt. Joannis *cap.* 3. *Qui autem*

tem

tem non credit, jam judicatus eſt: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Ad quid porro judicatur, niſi ad damnationem? *Ad Epheſ.* 2. *Gratia enim eſtis ſalvati per Fidem*. Nemo itaque ſine Fide ſalvus, uti nec ſine Gratia. Marci *cap.* 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*.

Quibus Scripturarum Oraculis edocti Eccleſiæ Patres Fidem miris elogiis celebrarunt, quibus ejus ad Salutem abſoluta neceſſitas commendatur. Hanc D. Auguſtinus Ædificii ſpiritualis fundamentum appellat *Sermone* 27. *Domus Dei*, inquiens, *credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur*. Hanc D. Cyrillus Alexandrinus *Lib.* 4. *in Joannem, Januam, & viam vitæ* nuncupat. Hanc Clemens Alexandrinus *Lib.* 7. *Stromatum; primam ad Salutem inclinationem* vocat. Hanc D. Hieronymus *in Cap.* 3. *Epiſtolæ ad Galatas, principium, & originem fiduciæ, & acceſſus ad Deum* appellat. (*a*)

Jam quid ad hæc Andreas Vega Scripturarum Oracula? Reponit Ille, ea quidem Fidei neceſſitatem in voto perbellè probare, non ita tamen in re ipſa. Quod Ille reſponſum confirmat paribus loquendi formulis de Baptiſmate, & Euchariſtia. Joannis *cap.* 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei: & cap.* 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: quæ nonniſi de Baptiſmate, & Euchariſtia in voto ſuſceptis intelliguntur.

At futile Suffugium illud eſſe multa demonſtrant. Imprimis enim ideo votum ſuſcipiendorum hujuſmodi Sacramentorum, abſque actuali eorundem ſuſceptione ſufficit ad Salutem, quia actualis ſuſceptio pendet ab externo alterius Hominis miniſterio, quod in promptu quandoque non eſt, nec eſt in poteſtate noſtra, ut habeatur: & quia ad actualem illorum Sacramentorum ſuſceptionem ſupponitur in Homine Fides, in qua fundetur hujuſmodi votum, & deſiderium: at Fidei actus, quem ad Salutem dicimus neceſſarium, interior eſt, a nullo externo Miniſtro pendens; nec Fidem ſupponit, in qua fundetur Fidei votum, & deſiderium: non itaque illorum omnium par eſt ratio; ut quia ſufficiunt ad Salutem Baptiſmus, & Euchariſtia in voto, ita quoque Fides in voto ſufficiat. Ad hæc etiam: Homo nutritus in ſilvis, qui nihil unquam de Fide audivit; quem tamen Andreas Vega per Fidem in voto ſalvari poſſe contendit, Fidei votum concipere omnino non poteſt; cùm nullam Fidei notitiam habeat, nullam illius ad Salutem neceſſitatis cognitionem. Quis enim optat, quis deſiderat, quod prorſus ignorat? Ut ſileam, repugnare omnino, haberi Fidem in vo-

to.

(*a*) Vide Natal. Alex. tertiæ Venetæ Editionis anni 1725.

Digitized by Google

to, niſi habeatur in re: cùm hoc ipſum votum concipi ſine Fide non poſſit. Qui enim E. G. Fidem Myſterii Trinitatis habere deſiderat, credit jam Trinitatem eſſe, quàm credere debeat. Stat ergo ſarta tecta Sententia noſtra, qua Fidem ad Salutem omnino neceſſariam eſſe tuemur.

Alia quid proferam Theologiæ Momenta, quibus eadem illa Andreæ Vegæ abſurda Sententia refellitur multò diſertiùs, & rationibus, ut Schola loquitur, a fortiori? Non poteſt quis ſine Charitate ſalvari: *Qui non diligit*, inquit dilectus Apoſtolus *Epiſt.* 1. *cap.* 3. *manet in morte*. Eſt enim hoc primum, & maximum Mandatum, ſine cujus obſervantia ad vitam ingredi nemo poteſt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. *Matth. cap.* 22. Multò minùs ergo ſine Fide ſalvari quis poterit, cùm Charitas Fidem ſupponat neceſſariò.

Non poteſt quis ſine Spe ſalvari: *Spe enim ſalvi facti ſumus*, inquit Apoſtolus ad *Romanos cap.* 8. Multò minùs itaque ſine Fide, quæ Spei fundamentum eſt, juxta eumdem Apoſtolum *ad Hebræos cap.* 11. *Eſt autem Fides ſperandarum ſubſtantia rerum*.

Non poteſt quis ſine Juſtitia ſalvari: *Domine*, inquit Regius Vates *Pſalm.* 14. *quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam*. Multò minùs itaque ſine Fide, ſine qua vera juſtitia non eſt: *Et juſtitiæ, quæ per Fidem eſt, hæres eſt inſtitutus*, inquit Apoſtolus, loquendo de fideli Noe, *ad Hebræos cap.* 11.

Non poteſt quis ſine Chriſti Domini a Patre miſſi cognitione Vitam æternam conſequi, atque ita ſalvari: *Hæc eſt autem Vita æterna, Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*, *Joann. cap.* 17. Non poteſt itaque ſine Fide ſalvari; qua ſola Chriſtus Dominus, Hominibus ab ipſomet revelatur; juxta quod *Matthæi cap.* 11. dicitur: *Nemo novit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare*; nempe per Fidem.

Salus Hominis in Beatitudine ſupernaturali poſita eſt: eam itaque obtinere non poteſt Homo, niſi per Media ſupernaturalia: quandoquidem debent Fini Media reſpondere. Porro Dei ut Authoris Naturæ nuda cognitio ſine Fide, Medium duntaxat naturale eſt: ſine Fide igitur Salus obtineri non poteſt.

Quibus & alia multa ad juris abundantiam addi poſſent; quæ tamen, ut ſunt ab aliis Theologis occupata, conſultiùs omittuntur.

Præſidium fruſtra petit Andreas Vega ex Doctore Angelico, ſæpius affirmante, Hominem nutritum in Silvis, aut inter barbaras Nationes educatum, qui nihil unquam de Fide audiiſſet, Salutem æternam conſequi poſſe, modò ductum Rationis naturalis in proſecu-

cutione boni, & fuga mali ſequeretur. Fruſtra, inquam, & inconſultò. Si enim, quibus adminiculis Effatum illud ſuum temperat Doctor Angelicus, obſervetur, perſpicuum fiet, Eum Fidei neceſſitatem ad Salutem in eo etiam agnoviſſe, qui aut nutritus eſset in ſilvis, aut inter barbaras Nationes educatus: ait enim *Quæſt.* 14. *de veritate art.* 11. *ad* 1. *Dicendum, quod non ſequitur inconveniens, poſito, quod quilibet teneatur aliquid explicitè credere, ſi in ſilvis, vel inter bruta Animalia nutriatur: hoc enim ad Divinam Providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de neceſſariis ad Salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis Rationis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certiſſimè eſt tenendum, quod ei Deus vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem Fidei Prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium, Actorum cap.* 10. Per Fidem igitur miraculosè ſibi nuntiatam Salutem æternam aſsequeretur ille, qui ſic eſset nutritus, & educatus.

Præſidium nihilo validiùs accerſit a Statu Legis Naturæ; in quo multi Salutem æternam leguntur aſsecuti, etſi nullum eo in Statu fuiſse putetur ſupernaturale Præceptum ſeu Fidei, ſeu alterius Virtutis Theologicæ; ne perperam Status Legis Naturæ diceretur. Purum enim, putumque commentum illud eſt. Fuerunt quippe & illo in Statu inſpirata ſecreto Bonorum omnium cordibus Fidei, & Spei, & Charitatis ſupernaturalia Præcepta; quæ ſecutis inde temporibus ſunt publicè denuntiata: uti docet Doctor Angelicus 3. *part. quæſt.* 7. *art.* 2. *ad* 2. Status igitur ille, Legis Naturæ Status vulgò dictus eſt, non quatenus Natura opponitur Gratiæ, ſed ut opponitur Legi ſcriptæ. Id ni dicamus, purum putumque Pelagianiſmum, imò quid Pelagianiſmo deterius eo in Statu admittemus; in quo tot fuere Juſti, æternamque Salutem aſsecuti; ſi nulla ſupernaturali Gratia præventi, adjuti, dotati, informati fuiſsent.

Hinc ſolutum habes decantatiſſimum Argumentum ex Apoſtoli Oraculo delibatum *ad Rom. cap.* 2. *Cum enim Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ Legis ſunt, faciunt: ejuſmodi Legem non habentes, ipſi ſibi ſunt Lex: qui oſtendunt opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Quo Legem univerſam impleri ſine Gratia poſse, imò & re ipſa fuiſse a multis Gentilibus impletam Pelagiani colligebant: quo & abutitur Andreas Vega, ut ſine Fide ſalvatos eſse benè multos oſtendat. Brevi quippe Auguſtini Reſponſo ſolvitur, *Lib. de Spiritu; & Littera cap.* 27. *Fiunt quæ Legis ſunt naturaliter: non quod per Naturam negata ſit Gratia, ſed potius per Gratiam reparata natura. Et Lib.* 4. *contra Julianum cap.* 3. *Propterea naturaliter, quia ut crederent, ipſa in eis eſt per Dei Gratiam correcta Natu-*

tura. Quidni & illud addamus : non de omnibus Legis Præceptis Apoſtolum loqui, dum ea *naturaliter* a Gentibus dixit impleta ; ſed de aliquibus tantùm , & quidem facilioribus ; quorum certè obſervantia ad Salutem æternam obtinendam minimè ſufficit.

Quæ cùm ita ſint omnia, ſi qui fortè Eccleſiæ Patres Philoſophos quoſdam ethnicos Salutem conſecutos dixere ; quod ſcripſit & præcipuè de Socrate D. Juſtinus Martyr *in Oratione ad Antoninum Apologia 2. pro Chriſtianis*, non aliter id factum æſtimare par eſt , quàm quòd Deus eum tandem aliquando Fidei ſuæ luce perſuaderit , ſecretiori quadam inſpiratione : dum ſcilicet ab Athenienſibus morti traditus eſt, quòd Deum unum eſſe, non plures, in Scholis publicè docuiſſet : Quamquam eo in Capite aberaſſe Sanctum Juſtinum Martyrem , nonnulli autument , eumque ob idipſum reprehendere non vereantur. Similiter, dum Philoſophos, qui cum *recta Ratione* vixerunt, *Chriſtianos* idem Juſtinus appellat, Chriſtiani nomen laxiùs ſumit , ut Virum honeſtum , ac benè moratum ſonat : quo ſenſu Animam *naturaliter Chriſtianam* appellat etiam Tertullianus.

Sed quid tandem de magno illo Sinenſium Philoſopho Confucio dicemus ; quem Ethnicum licet , & a vera Chriſti Fide penitus alienum, purioris tamen, ſanctiorisque doctrinæ Magiſtrum fuiſſe, ſcripſere nuper Inſtituti, neſcio cujus, Profeſſores , Ludovicus de Comitibus, Joannes Bouvet, Franciſcus le Gobien : nec modò purioris doctrinæ Magiſtrum, ſed & *Hominem a Deo afflatum*, *omni Virtutum genere ornatiſſimum ; Pietate* , *Religione*, *Charitate ferventem*, *Deo charum*, *ac denique Sanctum commendarunt*, & quidem ſine Fide? Certè ſi ſic eſt, ut ſcripſere boni Viri, nihil illis reliquum eſt, niſi ut Confucium, ethnicum licet, & idololatram, cùm aliis Sanctis in publicis Litaniis in vota vocent , dicantque *Sancte Confuci ora pro nobis*. Nos verò, quia totum id, quòd de Confucio ſcripſere boni illi Hiſtorici, falſiſſimum eſſe , Pontificio Clementis XI. Oraculo declaratum certò ſcimus, haſque omnes in miſerum Confucium congeſtas laudes damnatas fuiſſe ab Academia Pariſienſi lato Decreto die 19. Octobris 1700. *tanquam falſas*, *temerarias*, *ſcandaloſas*, *impias* , *Verbo Dei contrarias* , *hæreticas*, *Chriſtianæ Fidei*, *& Religionis everſivas* , *Virtutem Paſſionis Chriſti* , *& Crucis Ejus evacuantes ;* idcirco illud veriùs de Confucio Philoſopho ethnico infideli pronunciamus ex Evangelio, *Qui non credit*, *jam judicatus eſt ; quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei*. *Joannis cap*. 3. Niſi enim nos fallat Apoſtolus , vel ipſe fallatur, *ad Hebr. cap*. 11. *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo* , quomodo de Confucio , quem certè Fide Divina ornatum effutire Illos non putaverim , citra blaſphemiam pronuntiare au-

audent, charum eum Deo fuiſſe? Sed de his ſatis. Fidei Neceſſitatem, ut quis ad ſalutem perveniat, veluti in communi, ac generatim loquendo, hodierna luce propugnavimus: ſupereſt modò, ut ſpeciatim de eadem agamus, inquiramuſque, quorum Myſteriorum Fides explicita neceſſaria ſit ad ſalutem. Non enim omnia Omnibus credenda Myſteria proponuntur, nec æqua in Omnibus quoad ejus amplitudinem explicita Fides deſideratur; amplior in Theologis; in illiteratis contractior ſufficit. In ſequenti itaque, quorum Articulorum Fides ſit Omnibus neceſſaria, & quidem explicita, ut ſalutem conſequi poſſint, expendemus.

PRÆLECTIO VIII.

Fidem explicitam de binis Trinitatis, & Incarnationis Myſteriis non Omnibus ante Chriſti Adventum ad Salutem fuiſſe neceſſariam; eo tamen ſequuto, factaque ſufficienti Evangelii promulgatione, neceſſariam Singulis omnino eſſe, propugnatur.

TAmetſi Fidem ad ſalutem omnino neceſſariam in anteacta Prælectione probaverimus adverſus quorumdam Theologorum hallucinationem; necdum tamen diſtinctè perpendimus, qualis Fides illa eſſe debeat, ac de quibus Myſteriis ſit habenda. Duplicem enimvero Fidem diſtingunt Theologi, uti & duplicis generis Myſteria in Chriſtiana Religione ſecernunt: Fidem alterami mplicitam dicunt; alteram explicitam: illam quidem, qua res confusè, ac velut involutè creduntur; iſtam qua res diſtinctè, & explicatè tenentur. Myſteria viciſſim alia fundamentalia vocitant Theologi, ut Trinitatem, & Incarnationem; quibus veluti fundamentis ſtat Chriſtiana Religio; alia conſectaria nuncupant; quæ vel ex fundamentalibus fluunt, vel reliqua Religionis Chriſtianæ Capita complectuntur. Ac de Fide quidem implicita Myſteriorum fundamentalium ſatis in ſuperioribus Prælectionibus demonſtravimus, eſſe illam ad ſalutem abſolutè, ac ſimpliciter neceſſariam. Quapropter de Fide horum Myſteriorum explicita, atque diſtincta tota modo vertitur Quæſtio; ſit ne & ipſa ad ſalutem abſolutè, & ſimpliciter neceſſaria.

Quam quidem Quæſtionem ut bono in lumine ponam, varia tempora diſtinguere neceſſe eſt. Ante Chriſti Adventum, imò & ante Evangelii ſufficientem prædicationem, totoque tempore Legis Naturæ, atque Moſaicæ Fides explicita, atque diſtincta Myſteriorum Trinitatis, & Incarnationis ad ſalutem Omnibus neceſſaria non erat; ſatiſque fuit aliquibus, ſi Fide crederent, Deum Homines aliquando a peccatis liberaturum peculiari quodam Providentiæ ſuæ modo. Ita conceptiſſimis verbis pronunciat frequentiſſimè Doctor Angelicus, probatque ratione diſerta: quia ſine Revelatione Divina expreſſa, atque diſtincta, Fides expreſſa, atque diſtincta eſse non poteſt: at Multis ante Evangelii promulgationem facta non erat Myſteriorum illorum expreſsa, atque diſtincta Revelatio: Multis igitur impoſſibilis erat diſtincta, atque expreſſa Myſteriorum illorum Fides. Porro, ſi impoſſibilis, non igitur

obligabat, cùm ad impoſſibile nemo teneatur. Poterant igitur tunc aliqui abſque explicita illa Fide ſalvari.

Suffragantur & Patres: *S.* Joannes Chryſoſtomus *Homilia* 37. *in Matthæum*; *S.* Clemens Alexandrinus *Lib.* 5. *&* 6. *Stromatum*; *S.* Irenæus *Lib.* 2. *contra Hæreſes*; *S.* Auguſtinus *Lib.* 19. *contra Fauſtum*; Euſebius *Lib.* 1. *Præparat. Evangel. cap.* 3. communiter affirmantes, nonnullos ex Gentibus, uti Jobum, Melchiſedech, Reginam Sabam ſine expreſſa, diſtinctaque in Chriſtum Fide fuiſse ſalvatos.

Neque his repugnare putandus eſt Auguſtinus *Lib.* 2. *de peccato Originali cap.* 24. dum ait: *Sine fide ergo Incarnationis, & Mortis, & Reſurrectionis Chriſti nec antiquos juſtos, ut juſti eſſent, à peccatis potuiſſe mundari, & Dei Gratia juſtificari, veritas Chriſtiana non dubitat.* Fidem enim Incarnationis intelligit Sanctiſſimus Doctor, factæ Revelationi proportionatam, ac reſpondentem; adeo ut ii, quibus ex peculiari Dei Gratia expreſsa, diſtinctaque Revelatio Incarnationis facta erat (quales nonnulli erant Patriarchæ, atque Prophetæ) ſine illius Myſterii Fide explicita, atque diſtincta juſti facti non ſint, nec a peccato mundati: quibus verò Revelatio duntaxat implicita Redemptoris facta fuerat, ſola Redemptoris Fide implicita juſti, ſalvique evaſerint.

Cæterùm poſt Chriſti Adventum, factamque ſufficientem Evangelii promulgationem, Fides Trinitatis, & Incarnationis explicita, atque diſtincta ita eſt Unicuique neceſsaria, ut nemo ſine ea juſtificari poſſit, atque ſalvari. Ita ſacræ Litteræ, ita Patres.

Sacræ, inquam, Litteræ: Marci quippe *cap. ultimo* mittens Chriſtus Dominus Apoſtolos ſuos in Mundum univerſum, ſic illos eſt allocutus: *Prædicate Evangelium omni Creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quibus verbis aperte ſignificavit, damnandos eſse illos omnes, qui prædicato ſibi Evangelio non crediderint: Evangelium autem Incarnationis, & Trinitatis Myſteria apertè diſtinctèque nuntiat; diſtinctè itaque explicitèque credenda illa ſunt ab iis omnibus, quibus prædicatum eſt Evangelium: quod quicumque non fecerint, damnabuntur.

Joannis etiam *Cap.* 3. Fideles univerſos alloquens Chriſtus Dominus, *Sicut Moyſes*, inquit, *exaltavit Serpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium Hominis: ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat; ſed habeat vitam æternam...... qui credit in eum, non judicatur: Qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Ut ergo Quis Vitam æternam obtineat, judiciumque damnationis evadat, credere debet in Chriſtum, ut exaltatum in Cruce, utque unigenitum Filium Dei; qualem profectò credere nemo poteſt, niſi Incar-

carnationis, & Trinitatis Myſterium diſtinctè, atque explicitè credat.

Joannis demum *Cap.* 17. Patrem alloquens Chriſtus Dominus; *Hæc eſt autem*, inquit, *Vita æterna; Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Nemo itaque Vitam æternam conſequi poteſt, niſi & Patrem cognoverit, & Filium a Patre miſſum. Quibus duobus Capitibus ſtat Fides explicita Incarnationis, & Trinitatis.

Patres verò multò diſertiùs: in quibus princeps eſt D. Auguſtinus *Lib. de Correptione, & Gratia cap. 7. Si enim, ſicut Veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione, quæ facta eſt per Adam, niſi per Fidem Jeſu Chriſti; & tamen ab hac damnatione non ſe liberabunt qui poterunt dicere, non ſe audiſſe Evangelium Chriſti . . . . . Quicumque ergo ab illa originali damnatione iſta Divinæ Gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium, quod & procuratur eis audiendum Evangelium; & cum audiunt, credunt. Et Lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap.* 7. de Cornelio Centurione ſic loquitur: *Sed ſi poſſet ſine Fide Chriſti eſſe ſalvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apoſtolus Petrus*. Quod de Fide explicita dubio procul eſt dictum, quam Petro prædicante concepit Centurio.

Divus Hieronymus *in Caput* 1. *Epiſtolæ ad Epheſios: Non ante filii eſſe poſſumus, niſi Filii ejus Jeſu Chriſti Fidem, & intelligentiam recipiamus*. Et in *Caput* 3. *ejuſdem Epiſt. Cujus fiduciæ, atque acceſſus principium, & origo Fides in Chriſto eſt*.

S. Irenæus *Lib.* 3. *adverſus Hæreſes cap.* 21. a regno Cœlorum excludit, qui Chriſtum non noverint Redemptorem: *Ignorantes eum, qui ex Virgine eſt, Emmanuel, privantur munere ejus, quod eſt Vita æterna*.

Euſebius Cæſarienſis in Origenis Apologia, quam una cum Pamphilo adornavit, hanc ejus in ore Sententiam ponit, quam ſuo etiam calculo confirmat: *Illud tamen ſcire oportet, quoniam Sancti Apoſtoli fidem Chriſti prædicantes de quibuſdam quidem quæcumque neceſſaria crediderunt, omnibus credentibus, etiam his, qui pigriores erga inquiſitionem Divinæ Scientiæ videbantur, maniſeſtiſſimè tradiderunt . . . . . Species verò eorum, quæ per prædicationem Apoſtolicam maniſeſtè traduntur; iſtæ ſunt. Primò quòd unus eſt Deus qui omnia creavit, atque compoſuit . . . . . quòd hic Deus in noviſſimis diebus ſicut per Prophetas ſuos ante promiſerat, miſit Dominum Jeſum Chriſtum . . . . Tum deinde, quòd Jeſus Chriſtus ipſe qui venit ante omnem creaturam, natus ex Patre eſt. Qui cum in omnium conditione Patri miniſtraſ-*

ſet

ſit, per ipſum namque omnia facta ſunt, noviſſimis temporibus ſe ipſum exinaniens homo factus eſt, incarnatus eſt cum Deus eſſet, & Homo factus manſit quod Deus erat. Origene itaque Judice hæc omnia ad Salutem oportet neceſſariò ab Omnibus credi: quæ certe nonniſi expreſſa, diſtinctaque Incarnationis, & Trinitatis Fide credi poſſunt.

Hinc quatuor illas recentium quorundam Theologorum Propoſitiones lato decreto damnavit Innocentius XI. die 2. Martii anni 1679. *Nonniſi Fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris . . . . . . Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilive motivo ad juſtificationem ſufficit . . . . . Abſolutionis capax eſt Homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti . . . . . . Sufficit, illa Myſteria ſemel credidiſſe.* Quas etiam Clerus Gallicanus proſcripſit in genaralibus Comitiis anni 1700. His porro Innocentii XI. & Cleri Gallicani judiciis facem prætulit Sacra Synodus Tridentina *Seſſione 6. de Juſtificatione cap. 6.* dum Fidei actum in Chriſtum Dominum Redemptorem, diſpoſitionem ad juſtificationem neceſſariam definivit. Non poteſt enim ad Salutem obtinendam neceſſarium non eſſe, quod eſt ad Juſtificationem neceſſarium: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati Divina Gratia, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitùs revelata, & promiſſa ſunt.*

Ex quibus omnibus huc uſque probatis minimè colligas, arctatam nunc eſſe Salutis viam; quòd nova nunc majoraque ad Salutem obtinendam Media neceſſaria dicantur, quàm eſſent ante Salvatoris Adventum, publicatumque Evangelium. Quandoquidem, uti nova nunc majoraque Media neceſſaria dicuntur, ita novus majorque Gratiæ cumulus novi Teſtamenti Hæredibus adpromiſſus eſt. Quo fit, ut Chriſti jugum, novis licet Mandatis impoſitis auctum, ſuavius leniuſque nobis evaſerit: quod enim Carni videtur grave, Spiritui ſuaviſſimum eſt, majori Divinæ Gratiæ operante Virtute.

Videndum nunc, quid iis reponamus laxioris morum Diſciplinæ Magiſtris, qui implicitam tantùm Incarnationis, ac Trinitatis Fidem ad Salutem in præſenti neceſſariam arbitrantur, non item explicitam. Decretorium illis videtur, eſſe Dictum Apoſtoli *ad Hebræos cap.* 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe, Remunerator ſit.* Quaſi nihil aliud deſideret Apoſtolus, ut quis Salutem æternam obti-

neat,

neat, quàm quod Deum eſſe credat, & bona opera noſtra munerari.

Jactant & illi Cornelii Centurionis Exemplum; qui, judicio Doctoris Angelici 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 4. *ad* 3. *Fidem implicitam tantùm habens*, *religioſus ac timens Deum* eſt appellatus; atque adeo juſtus eſt habitus, manifeſtata jam Mundo Evangelii veritate; dignuſque fuit, ut ad eum Petrus mitteretur, qui illum in Fide pleniùs inſtrueret; ut habetur *Actorum cap.* 10.

Perperam tamen, atque injuria utrumque jactatur. Primùm quidem; quia tametſi exiſtentiæ Dei, illiuſque Providentiæ Fidem neceſſariam dicat Apoſtolus, ut quis accedat ad Deum, non tamen ſufficientem pronunciat. Nec enim ait: *accedentem ad Deum ſufficit credere*, *quia eſt*; ſed *oportet credere quia eſt*, & *inquirentibus ſe Remunerator ſit*. Præterquamquod de quonam ad Deum *acceſſu* loquatur Apoſtolus, minus liquet: de primo ne, quo ad Deum accedit Homo, ut illuminetur ab eo Fidei lumine juxta illud *Pſalmi* 33. *accedite ad Deum*, & *illuminamini*; & *facies veſtræ non confundentur*; an autem de ſecundo, quo ad Deum accedimus, ut illum æternum poſſideamus.

Alterum Cornelii Centurionis Exemplum futiliùs multò jactatur. Quod enim ait Doctor Angelicus Cornelium Chriſti Fidem duntaxat implicitam habuiſſe, dum & religioſus, & timens Deum eſt dictus, Fidem implicitam intellexit de circunſtantiis Incarnationis (num ſcilicet jam tunc re ipſa peracta fuiſſet) non de ſubſtantia ejuſdem; quam vel ex fama publica, vel ex Judæorum Religioſorum converſatione didicerat. Quare non ad eum miſſus eſt Petrus, ut Incarnationis ſubſtantiam doceret, ſed circunſtantias tantum, impletum ſcilicet tempus, & modum. Addiderim, non liquere omnino, an talem, tantamque tunc temporis Fidem haberet Cornelius, quanta erat illi neceſſaria, ut juſtus fieret, & Salutem æternam poſſet obtinere, etſi talem, tantamque haberet, ut & religioſus, & timens Deum dici poſſet. Non enim idem ſonat religioſus, ac timens Deum, ac juſtus, atque fidelis. Quare quocumque res cadat, nil inde contra nos colligi poteſt, qui de Fide ad juſtificationem, atque Salutem æternam obtinendam neceſſaria diſputamus.

Nec meliori titulo exempla nobis objiciunt Catechumenorum, qui de rebus Fidei quadam ſucceſſione edocentur; & Puerorum, qui ad primum inſtans Rationis uſus perveniunt. Catechumenus, inquiunt illi, Chriſtianam Religionem paulatim edoctus, ac veluti per gradus, & intervalla, cum primum ab Inſtitutore ſuo inaudit, Deum quemdam ſupra Naturam omnem exiſtere, ſummum-

que

que in ordine ſupernaturali & Remuneratorem, & Proviſorem eſſe, Fidei, ac etiam Charitatis actum elicit, quo juſtificatur; quanquam nullam adhuc habeat Incarnationis, & Trinitatis, de quibus nihil audivit, explicitam Fidem. Si autem juſtificatur, Salutem igitur æternam, ſi tunc fortè moriatur, aſſequitur; cùm damnari Juſtum, impoſſibile ſit. Pari modo, ſubjungunt Illi, Puer ad primum Rationis uſus inſtans perveniens, ſi ſe ad Deum, uti Naturæ Auctorem converterit, eumque ſibi finem præſtituerit, juſtificabitur, ex mente Doctoris Angelici 1. 2. *quæſt. 89. art. 6.* Non poteſt autem primo illo Rationis uſus inſtanti de Myſteriis Incarnationis, & Trinitatis edoceri; cùm ad id aliquod temporis intervallum deſideretur: poteſt igitur quis ſine explicita Myſteriorum illorum Fide juſtificari, atque ita ſalvari.

At ludunt Illi operam ſuam, binis illis productis Exemplis. Unde enim habent, (Deus bone!) Catechumenum illum ſuum in Fidei, & Charitatis actus, quibus juſtificetur, ſtatim erumpere, ubi Deum Proviſorem, & Remuneratorem ſupernaturalem audivit? Quinimo qui ab eo tunc elicitur actus (ſi tamen elicitur; de quo dubium eſt mihi) non niſi ſimplex eſt complacentia de Deo Proviſore, ac Remuneratore; quæ tametſi ſupernaturalis dici poſſit; ad Juſtificationem tamen minimè ſufficit: ad Deum enim ita diligendum, ut Juſtificationis Gratia conferatur, fides in Redemptorem eſt neceſſaria, qua nondum tunc habere ſupponitur Catechumenus.

Unde etiam habent, Puerum illum, ad primum Rationis uſus inſtans pervenientem, de Myſteriis Incarnationis, & Trinitatis edoceri non poſſe? Cùm non ſit illud inſtans phyſicum, ſed morale, quod aliquam temporis moram importet, quanta ſcilicet bonæ Inſtitutioni capiendæ ſufficiat.

Unum ſupereſt hac in parte, quod negotium faceſſere ſolet: quod nempe nonnulli in ipſo etiam Eccleſiæ ſinu ſint omnino ſtupidi, hebetes, bardi, ac planè plumbei, qui media vix Animæ parte utuntur; imò quibus Anima pro ſale data videtur, ne putreſcant, non ut intelligant. Ii verò qui, quæſo, Trinitatis Myſterium explicitè credent, qui ne illius quidem ideam animo fingere, menteque concipere valent? De his ita nos pronunciamus: vel ſtuporem illum, barditatemque propria iniquitate, vitioque ſibi concinnarunt; & tunc certè, quòd Trinitatis Myſterium explicitè credere nequeant, damnabuntur: aut ab ipſa Natura traxerunt, ſtudioque vincere, atque ſuperare nequiverunt, & ſic quidem Puerorum, Stultorumque loco habendi ſunt; qui abſque ullo Fidei actu ſalvantur, ſacri Baptiſmatis efficacia, atque virtute naturalem defectum ſupplente; cum Nemo ad impoſſibile teneatur.

Ha-

Hactenus de interno Fidei actu diſſeruimus, dum Fidei explicitæ Myſteriorum Trinitatis, atque Incarnationis neceſſitatem poſt Salvatoris Adventum, ſufficientemque Evangelii promulgationem, ut quis æternam Salutem adipiſcatur, propugnavimus. Reliquum modo eſt, ut de externo ipſius Fidei actu, ſeu de publica ejus Profeſſione diſputemus. Qua de re nobis in ſequentibus ſermo erit.

Digitized by Google

PRÆLECTIO IX.

Quandonam, & quibus in occaſionibus teneatur Fidelis publicam Fidei profeſſionem emittere, variis Regulis aſſignatis, expenditur: Fidem autem ore negare, licere nunquam, aſſeritur, propugnatur.

MEdia duntaxat Officii parte defuncti ſumus, dum de interno Fidei actu, deque ejus ad Salutem Neceſſitate diſputavimus: reſtat altera pars multò gravior, ac difficilior expedienda; quæ in actu exteriori Fidei explicando tota verſatur. Duplicem enim Fidei actum diſtinguit Apoſtolus *ad Roman. cap.* 10. internum unum, quo Fidem Mente concipimus, externum alterum, quo Fidem Mente conceptam publicè profitemur: *Corde enim*, inquit, *creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Quare uti de primo actu jam diximus, ita de altero in præſenti dicendum.

De externo itaque Fidei actu, ſeu de externa Fidei Profeſſione facienda geminum in Evangelio præceptum legimus; *Matthæi cap.* 10. affirmans unum, quo jubemur Chriſtum coram Hominibus confiteri; negans alterum, quo vetamur Chriſtum aliquando negare. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt, qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt*. Quia verò id diſcriminis intercedit inter præcepta affirmantia, & negantia; quod illa certis tantùm in caſibus, iſta in omnibus obligent; idcirco primò definire neceſſe eſt, quinam caſus illi ſint, quibus præceptum affirmans implere, Fidemque exteriùs profiteri tenemur ſub pœna peccati mortalis. Qua in re binas has generales Regulas pono: Prima Regula hæc eſto: quoties quis publica authoritate de Fide, ac Religione interrogatus eſt, ita eam publicè profiteri tenetur, ut ſi taceat, graviter peccet: quia tunc Chriſti Honor vertitur, confeſſioniſque omiſſio injuriam Illius cedit: Qui tunc non confitetur, cenſetur Chriſtum erubeſcere, cujus in Evangelio vox illa eſt *Lucæ cap. 9. Qui me erubuerit, & meos ſermones; hunc Filius Hominis erubeſcet cùm venerit in majeſtate ſua, & Patris, & Sanctorum Angelorum*. Hinc illa a Sanctiſſimo Pontifice Innocentio XI. damnata quorumdam Theologorum Propoſitio, anno 1679. 2. Martii. *Si a poteſtate publica Quis interrogetur: Fidem ingenuè profite-*

fite-

Digitized by Google

fiteri, ut Deo & Fidei glorioſum, conſulo; tacere, ut peccamino-ſum per ſe non damno. Cui Propoſitioni Hæreſeos etiam notam affricuit Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus anni 1700. *Hæc Propoſitio ſcandaloſa eſt, præceptis Evangelicis, & Apoſtolicis contraria, hæretica.*

Secunda Regula eſto: Dum Proximorum Fides in diſcrimen vocatur ob Hæreticorum artes, atque inſidias, nec alio poteſt modo occurri tanto periculo, niſi aperta publicaque ejuſdem Fidei Profeſſione, tunc certè facienda eſt. Tunc enim ex præcepto Charitatis, quo *unicuique mandavit Deus de Proximo ſuo*, publicæ Fidei Profeſſionis obligatio incumbit. Ita decernit D. Auguſtinus *lib. de Fide & Symbolo cap. 1. Salvi fieri non poſſumus, niſi & nos ad ſalutem Proximorum nitentes etiam ore profiteamur Fidem, quam corde geſtamus.*

Cæterùm iis ſublatis occaſionibus, ſi aliæ fortaſſis occurrant, in quibus Dei, Chriſtique Honor non vertitur, nec Proximi Salus ob Hæreticorum artes in diſcrimen adducitur; tantum abeſt, ut ex Divino præcepto Fidem cum vitæ periculo publicè profiteri tunc teneamur, ut potius prudenti ſilentio tegere debeamus. Hinc antiquis Eccleſiæ Canonibus cautum eſt, ne ii Martyrum titulo ornarentur, qui a Gentilibus occiſi fuerint, illorum Idola frangentes, ab illis licet minimè provocati, ſed ut ſe Chriſtianos oſtentarent: *Si quis Idola fregerit, & ibidem fuerit occiſus, quatenus in Evangelio ſcriptum non eſt, neque invenitur ſub Apoſtolis unquam factum, placuit in numero eum non recipi Martyrum; can. 60. Concilii Eliberitani.* Refert quoque D. Auguſtinus *in Breviculo cap.* 13. Menſurium Carthaginenſem Epiſcopum, ſæviente Diocletiana perſecutione, Decretum edidiſſe, ne Martyrum honore afficerentur illi, qui nec citati, nec interrogati a Magiſtratibus, iis ſponte occurrebant declarantes, ſe Sacros ſervare Libros, nunquam a ſe tradendos: quo ſanè modo publicam Fidei ſuæ Profeſſionem imprudenter edebant.

Difficultatem tamen adverſus binas a nobis ſtatutas Regulas de Fide certis in occaſionibus, publicè profitenda, non levem ingerit ſolemnis Eccleſiæ Doctrina, de licita fuga in perſecutione. Quonam tandem modo conciliari iſta poſſunt; impoſita ſcilicet nobis Fidei in perſecutione publicè profitendæ obligatio, & data ſimul fugiendi licentia. Certè licitam eſſe fugam in perſecutione Chriſtus ipſe, & Apoſtoli ejus tum dicto, tum facto docuere. Chriſtus enim recens natus Herodianam perſecutionem effugit, dato cælitus Joſepho Mandato, *Matth. cap. 2. Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum; & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim, ut*

ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum. Fugit & grandior factus perſecutionem Judæorum, *Joan. cap.* 8. *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum. Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de Templo*. Imò fugiendi præceptum Apoſtolis ſuis dedit, *Matth. cap.* 10. *Cùm autem perſequentur vos in Civitate iſta; fugite in aliam*. Fugiſſe ſe quoque ſcribit Apoſtolus 2. *ad Corinth. cap.* 11. *Damaſci Præpoſitus Gentis Aretæ Regis cuſtodiebat Civitatem Damaſcenorum, ut me comprehenderet: & per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus ejus*. Hoc idem Exemplo ſuo docuere Præſules Sanctiſſimi, qui excitata in ipſos perſecutione auſugerunt, ſuamque fugam omnino licitam ſcriptis doctiſſimis comprobarunt, S. Cyprianus, S. Athanaſius, S. Petrus Alexandrinus, S. Baſilius, S. Cæſarius, aliique non pauci. Ex hac ergo Doctrina de fuga in perſecutione licita, tot Exemplis comprobata, & confirmata, objiciet fortaſſe nobis aliquis contra binas ſtatutas antea Regulas, de facienda in perſecutione publica Fidei Profeſſione: Qui oborta ſævienteque perſecutione fugit Fidem negligit profiteri: ſed licet auſugere: non tenemur itaque profiteri publicè Fidem.

Minimè verò, repono ego; imò, ſi rem ipſam ſeriò perpendimus, hæc ipſa fuga, quædam Fidei Profeſſio eſt; non verbo quidem expreſſa, ſed facto. Quiſquis enim, excitata perſecutione, auſugit, hac ipſa ſua fuga ſignificat, eſſe ſe illius Religionis, ac Fidei Profeſſorem, contra quam excitata eſt perſecutio; alioquin nulla illi auſugiendi neceſſitas eſſet. Stant igitur iſta duo, optimèque cohærent; obligatio Fidei profitendæ, & licentia fugiendi in perſecutione: imò fuga tunc arrepta, exiliumque ſibi ipſi indictum, martyrii genus eſt libera Voluntate ſuſceptum.

Quia tamen ſi minùs Infidelitatis, at ſaltem Ignaviæ, abjectique Animi argumentum fuga in perſecutione arrepta videri poteſt, penſandæ circumſtantiæ ſunt, quæ fugam in perſecutione licitam, aut illicitam reddant; certæque pariter Regulæ præfigendæ, ne quorundam ignaviam excuſare videamur. Primò ergo, ſi quis in perſecutione fugam arripiat, ut ſe melioribus temporibus ſervet, vitamque pro aliorum ſalute procuranda interim, & ad tempus tueatur, prudentiæ actus eſt. Sic Chriſtus, ſic Petrus, ſic Paulus, ſic Cyprianus, ſic Athanaſius, ſic & alii tam multi, de quibus antea diximus, auſugerunt, ut ſe melioribus ſervarent rebus: unde & Chriſtus, qui primus fugiendi dedit Exemplum, dicebat *Joan. cap.* 7. *Tempus meum nondum advenit*. Et eodem capite dilectus Diſcipulus de Illo inquit: *Et nemo miſit in Illum manus, quia nondum venerat hora ejus*. Secundò; ſi quis in perſecutione fugam arripiat fragilitatis ſuæ conſcius, quòd ſatis in ſe vi-

Digitized by Google

virium non experiatur, ut durum illud Martyrii certamen ferre valeat, rem licitam facit. Sic enim hac ipſa ſua fuga Fidei, & Eccleſiæ Honori prudenter conſulit, quem aliàs in ſummum diſcrimen adduceret. Tertiò; ſi fuga in Chriſti contumeliam non vergat, & pro Fidei negatione non æſtimetur, tunc quoque licet aufugere: aliter ſacrilega fuga eſt; qualis Apoſtolorum fuga fuit tempore Paſſionis Chriſti Domini, dum *relicto eo fugerunt*, *Matth. cap.* 26. Quartò; ſi nondum de fideli Homine ſupplicium ſumi cæptum eſt, licet adhuc illi aufugere: aſt ubi tragica illa Actio cæpta eſt, ſeceſſio & fuga negationis loco reputantur: quia qui teſtimonium Fidei dari cæptum deſerit, cauſſam Fidei prodit, tanquam Deſertor: uti fecit quadraginta illorum Martyrum unus, qui e ſtagno gelido, in quo una cum ſociis conjectus erat, deſilit, aufugit, Confeſſionemque deſeruit: *Martyr comprehenſus debet tenere conſtantiam*, *non comprehenſus debet fugere perſequentem*, inquit S. Petrus Chryſologus *Serm.* 151. Quintò; ſi talis conditionis Perſona ſit, quòd illius præſentia non ſit aliis Fidelibus neceſſaria, ut & ipſi in Fide teneantur, & confirmentur, licita fuga eſt: verùm, ſi talis conditionis Perſona ſit, quòd illius præſentia ſit Fidelibus neceſſaria, ut & ipſi contineantur in Fide, (quales profectò Epiſcopi ſunt) prohibentur aufugere, *Joan. cap.* 10. *Bonus Paſtor Animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Mercenarius autem*, *&* *qui non eſt Paſtor*, *cujus non ſunt oves propriæ*, *videt lupum venientem*, *&* *dimittit oves*, *&* *fugit*: *&* *lupus rapit*, *&* *diſpergit oves*. Quare hæc pro Epiſcopis peculiaris eſt Regula alta mente defigenda, alboque ſignanda lapillo: ſi in ſolum Epiſcopum, non item in Gregem ſæviat perſecutio, ſervatis jam notatis Regulis, poteſt Epiſcopus aufugere: verùm, ſi ſævit etiam in Gregem, aufugere Epiſcopo nefas eſt: quia ejus præſentia ad Gregis ſui cuſtodiam, ut & ipſe contineatur in Fide, eſt ſummopere neceſſaria: quod & Cyprianus, & Athanaſius, & Baſilius, & Petrus Alexandrinus exemplo ſuo firmarunt. In eos enim duntaxat, non in Gregem perſecutio ſervebat, dum aufugerant: atque hæc de Præcepto affirmante publicæ Fidei Profeſſionis; quo nempe jubemur ſub mortali peccato Fidem exteriùs, ac publicè profiteri.

Sequitur modò Præceptum negans, quo nempe vetamur, ne Fidem aliquando negemus. Quod quidem Præceptum pro conditione Præceptorum negantium & ſemper obligat, & ad ſemper; ut planè nunquam liceat Fidem exteriùs abnegare, quantumvis etiam corde teneatur. Eo in Capite Helſeceitarum, & Priſcillianiſtarum Errorem, jam dudum ab Eccleſia proſcriptum, poſuere Euſebius Cæſarienſis *Lib.* 6. *Hiſtoriarum cap.* 28. & S. Auguſtinus *Lib. de Hereſi-*

teſibus cap. 70. quibus illud erat familiare proloquium: *Jura, perjura, ſecretum prodere noli: licet ore negare Fidem, modò teneatur in corde:* Chriſto Domino ex oppoſito pronunciante, *Matth. cap.* 10. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt;* Et Apoſtolo 2. *ad Timoth. cap.* 2. *Si negaverimus, & Ille negabit nos.*

Neque huic Præcepto neganti ſatisfit, ſi, Chriſto exteriùs abnegato, ejuſdem Fides teneatur interiùs: *Fides* ut loquitur Auguſtinus *Lib. de Fide, & Symbolo cap.* 1. *officium à nobis exigit, & cordis, & linguæ.* Cujus triplex ratio eſt prorſus invicta. Prima; quia Præceptum negans, de Fide ſcilicet numquam abneganda imponitur ad evitandum mendacium in re gravi, imò longè graviſſima: porro perinde mendacium eſt, ſi, quod rei eſt, neges exteriùs, quantumvis, quid re ipſa ſit, interiùs teneas. Imò in eo maximè mendacium eſt poſitum, ut negemus ore quod mente tenemus. Secunda; quia Præceptum de Fide nunquam abneganda, imponitur, ut Dei, ejuſque Eccleſiæ ſervetur Honor. Porro vel hoc ipſo læſus eſt Dei Honor, ejuſque Eccleſiæ, dum Fidem negas exteriùs, etſi fortè ſerves interiùs. Tertia; quia Præceptum hoc imponitur, ne ex Fidei negatione Proximus ſcandalum patiatur. At tantumdem ſcandalum Proximus patitur, ſi quam Fidem negas exteriùs, interiùs teneas: de ſola enim externa negatione judicat Proximus: quod autem corde teneas, prorſus ignorat: hæcque ſola externa negatio ruinæ illi occaſio eſt.

Certè Petrus Fidem interiùs tenuit, quam negavit exteriùs, dum Chriſtum neſcire ſe dixit: *Neſcio Hominem iſtum, Marci cap.* 4. cùm pro illo Chriſtus oraſſet, ne deficeret Fides ejus; & tamen ſuam illam negationem externam, tanquam grave delictum pœnitentia luit. Illud itaque certum, illud indubitatum, Præceptum negans, de Fide ſcilicet nunquam abneganda, ab iis etiam violari, qui quam Fidem profitentur interiùs, exteriùs negant, ac ſolis, ut ita loquar, extremis labris ejurant.

Verùm altera hic, multòque gravior ſe ſe nobis aperit Quæſtio: ii ne perinde Præceptum negativum violent de Fide nunquam abneganda, qui, tametſi perfractè, apertèque, ac rotundo, ut ajunt, ore non negent, fingunt tamen exteriùs, ſimulantque negare, prophanæ Religionis, ac Sectæ Ritus forinſecus, & ad ſpeciem ſaltem, & fucum exercendo? Numve ſacrilegam illam in Cauſſa Fidei ſimulationem, gravis periculi metus excuſet, occultaque mentis, ut vocant, directio cohoneſtet? Quod erit alterius Exercitationis Argumentum.

PRÆ-

PRÆLECTIO X.

Fidei ſimulationem illicitam omnino eſſe; nec ulla unquam poſſe ſecreta mentis intentione cohoneſtari, probatur.

QUæſtionem agitandam aggredior priſcis Scholæ Theologis ignoratam; ſed ab iis nuper in Scholas invectam, qui, ut ſummi politicæ Scientiæ Magiſtri dicuntur eſſe, ita politica machinamenta dolos, & artes in ipſam Religionem intulerunt. Quæſtio ſic habet: Num in Cauſſa Religionis & Fidei ſimulare, ac fingere liceat, prophanæ Religionis Ritus, ad ſpeciem ſaltem, & fucum, exteriùs exercendo? Numve incurrendi gravioris periculi metus ſimulationem illam excuſet, occultaque Mentis intentio cohoneſtet? Quid Quæſtionis hujus agitandæ occaſionem dederit, non eſt meum hìc recenſere. Imò nec poſſum, nec debeo in hanc Provinciam excurrere. A nobis enim valde remota eſt. Id unum tamen citra culpam dicere poſſum; Controverſiam iſtam non longo abhinc tempore agitari cæpiſſe; eamque non nudam Theologorum curioſitatem, ſed Factum ipſum pro ſui fundamento habuiſſe. Factum, inquam, quo, gravioris periculi metu, vel majoris ſpe commodi (utique ſpiritualis, ut puto) exterior Fidei ſimulatio exercebatur, ut licita; quin & ut neceſſaria probabatur. Tandem ſub Innocentii X. Pontificatu ab Sancta Univerſali Inquiſitione pronunciatum eſt, ac definitum die 12. Septembris anni 1645. *Non licere Idolum exteriùs, & fictè venerari prætextu intentionis ad Chriſti Crucem occultam directæ*. Quinam lethale conſilium illud deluſis quibuſdam Neophytis dediſſent, non inquiro; uti nec ſcire Theologum intereſt. Verùm quod olim Factum in remotiſſimis Regionibus S. Sedes reprobavit, idem noſtris temporibus ſatis proximè in Ottomanico nimirum Imperio frequentari dolemus; ubi Chriſti Fideles nonnulli (quibus Doctoribus, atque Magiſtris neſcio) Chriſtianam Religionem occultè quidem tenent; Mahumeticam tamen Sectam ſacrilega ſimulatione publicè profitentur; ut expreſsè habetur in Actis noviſſimi Concilii Nationalis in Albania *Par.* 1. *capp.* 2. *&* 3. Editionis Romæ curatæ anno 1706. Idcirco facturos nos operæ pretium exiſtimavimus, ſi quantum Theologici muneris eſt, palam hodie faceremus, quàm vetita, quàm impia, quàm ſacrilega illa ſit in Cauſſa Religionis, & Fidei ſimulatio; quæ nulla omnino poteſt ſecreta Mentis

tis

tis intentione cohoneſtari: donec qui poteſtate, atque authoritate valent, tantùm a Fidelibus malum avertant.

Catholicum ea in re Dogma in aperto ponit, omneſque Cavillationes occupat Chriſti Sententia *Matthæi cap.* 10. ubi cùm eos non eſſe timendos dixiſſet, *Qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere;* ſed contra timendum eſſe illum, *qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam*, conſecutionem inde intulit: *Omnis ergo qui confitebitur me coram Hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis eſt: qui autem negaverit me coram Hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in Cœlis eſt.* Quibus ſignificavit, ne ipſo quidem metu mortis ab Hominibus inferendæ abſtinendum eſſe a publica coram Hominibus Chriſti Domini Confeſſione; eodemque mortis metu non eſſe Chriſtum coram Hominibus denegandum. Porro qui retenta in corde recta Fide falſam Religionem, Hæreſimque profitentur exteriùs, imò & idololatriam exteriùs exercent, Chriſtum certè coram Hominibus negant: de hoc enim quod exteriùs geritur judicant Homines, non de eo, quod latet intus in corde: nec ſecretam illam Mentis directionem, qua cultus Idolo præſtitus fertur ad Chriſtum, norunt Homines, atque percipiunt.

Addit & aliud Chriſtus Dominus *apud Lucam cap.* 9. quo Suffugia omnia feliciùs occupantur: *Qui me erubuerit, & ſermones meos; hunc Filius Hominis erubeſcet, cùm venerit in Majeſtate ſua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.* Unde verò, per fidem veſtram, externa illa pravæ Religionis Profeſſio, in Hominum oculis facta? Unde Idololatria illa in omnium conſpectu exercita? Niſi quòd Chriſtum erubeſcant, quem ſi non erubeſcerent, confiterentur apertè.

Certè quocumque ſe vertant ſimulationis hujus ſacrilegæ Suaſores, & Conſiliarii, illud ſaltem concedere compelluntur, iis Chriſti Oraculis, aliiſque longè multis ex Evangelio proferendis, vetitam eſſe Fidei negationem ſacrilego mendacio expreſſam: at non minùs mendacii genus eſt, quo quis factis forinſecus negat, quod corde tenet, quàm quo quis verbis ipſis id præſtat. Si itaque falſam Religionem verbo mentiri non licet, quantumvis vera teneatur in corde, nec falſam Religionem ſimulare licebit, ac fingere, vera licet in corde retenta. Imò cum Animi noſtri ſenſus Facto veriùs exprimantur, quàm verbo, is profectò Fidem diſertiùs, & apertiùs negat, qui ſeſe Idololatram prodit publico Idololatriæ exercitio, quàm ſi nudo, ſimplicique verbo ſeſe Idololatram diceret.

Quid plura? Uſus amphibologiarum, & æquivocationum diſtinctè damnatus eſt ab Innocentio XI. die 4. Martii anno *1679.* Propo-

poſitionem hanc inter alias tam multas proſcribente: *Cauſſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa*. Porro ſimulatio in materia Religionis, & Fidei practicæ, ut ita dicam, amphibologiæ & æquivocationis genus eſt, eo periculoſius, quod infirmis, atque puſillis externi cultus Idolo delati Spectatoribus urgentiorem præbeat ruinæ occaſionem, qua & ipſi ad Idola colenda non excitantur modò, ſed pertrahuntur.

Nec eſt, quod quis nobis bonam Simulantium illorum intentionem occentet, quæ ſacrilegam ſimulationem cohoneſtet. Bona enim illa, quæ jactatur, intentio, ſeu relatio externi cultus Idolo delati ad Chriſtum Dominum, cùm occulta, ſecretaque omnino ſit, actum externum per ſe malum minimè cohoneſtat; multòque minùs ſcandalum removet, cùm ab Adſtantibus infirmis in Fide, atque puſillis minimè deprehendatur; dum tamen delatus Idolo cultus deprehenditur.

Sed ad rem propiùs accedamus, & a communibus juris Regulis ad Facta ipſa, & Exempla veniamus, quæ ſimulationem hujuſmodi ſacrilegam eſſe, multo luculentiùs evincunt.

Egregium hac in ſpecie Exemplum nobis exhibet *Liber 2. Machab. cap. 6.* in Perſona Eleazari, Viri ætate grandævi, inter Synagogæ Primores: qui a Rege Antiocho carnes porcinas manducare juſſus contra Præſcripta Moſaicæ Legis, ſimulationem omnem execratus eſt, qua facillimè comminatæ ſibi mortis periculum devitaſſet. Factum ſic ſe habet: „ Eleazarus unus de Primoribus „ Scribarum, Vir ætate provectus, & vultu decorus, aperto ore „ hians compellebatur carnem porcinam manducare. At Ille glo„ rioſiſſimam mortem magis, quàm odibilem vitam complectens, „ voluntariè præibat ad ſupplicium. Intuens autem, quemadmo„ dum oporteret accedere, patienter ſuſtinens, deſtinavit non ad„ mittere illicita propter vitæ amorem. Hi autem, qui aſtabant, „ iniqua miſeratione commoti, propter antiquam Viri amicitiam, „ tollentes Eum ſecretò rogabant afferri carnes, quibus veſci ei „ licebat, ut ſimularetur manducaſſe, ſicut Rex imperaverat, de „ ſacrificii carnibus, ut hoc Facto a morte liberaretur: & propter „ veterem Viri amicitiam, hanc in eo faciebant humanitatem. „ At Ille cogitare cæpit ætatis, ac ſenectutis ſuæ eminentiam di„ gnam, & ingenitæ nobilitati canitiem, atque a puero optimæ „ converſationis actus: & ſecundum ſanctæ, & a Deo conditæ Le„ gis Conſtituta, reſpondit citò, dicens præmitti ſe velle in in„ fernum. Non enim ætati noſtræ dignum eſt, inquit, fingere: ut

„ ut multi Adoleſcentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta anno-
„ rum tranſiiſſe ad vitam Alienigenarum: & ipſi propter meam
„ ſimulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus de-
„ cipiantur, & per hoc maculam, atque execrationem meæ ſene-
„ ctuti conquiram. Nam, etſi in præſenti tempore ſuppliciis ho-
„ minum eripiar, ſed manum Omnipotentis nec vivus, nec de-
„ functus effugiam. Quam ob rem fortiter vita excedendo, ſene-
„ ctute quidem dignus apparebo: adoleſcentibus autem exemplum
„ fortè relinquam, ſi prompto animo, ac fortiter pro graviſſimis,
„ ac ſanctiſſimis Legibus honeſta morte perfungar. His dictis,
„ confeſtim ad ſupplicium trahebatur. Ex quo profectò ſanctiſſimi
Senis ſermone, ac multò magis oppetitæ mortis exemplo perſpe-
ctum eſt, illicitam prorſus eſſe in Cauſſa Religionis, & Fidei ſi-
mulationem, obtentu etiam extremi ſupplicii devitandi.

Nec eſt quod nobis reponat aliquis, fuiſſe illud Eleazari faci-
nus heroicæ Virtutis actum, gratuitum prorſus, ac voluntarium;
ad quem ſummo jure non teneretur; quemque propterea non te-
neamur imitari. Imò Opus fuiſſe ſtricti juris, quod ni feciſſet,
peccaſſet haud dubiè, liquet apertè ex quatuor citatæ Narrationis
Adjunctis. Primò enim inquit Textus ſacer: *Deſtinavit* (Eleaza-
rus) *non admittere illicita propter vitæ amorem*. Illicitam itaque
rem feciſſet, ſi devitandæ mortis intuitu carnes porcinas mandu-
care ſimulaſſet, carnes communes edendo. Secundò ſubjungit Tex-
tus ſacer, Amicos Eleazari *iniqua miſeratione fuiſſe commotos*,
dum Eum ſecretò tollentes rogabant, carnes afferri, quibus veſci
Ei licebat, ut ſimularet manducaſſe, ſicut Rex imperaverat, de
ſacrificii carnibus. Iniqua igitur erat hujuſmodi comeſtionis ſimu-
latio. Tertiò notat Textus ille, Eleazarum exclamaſſe, *ſe ma-
culam & execrationem ſenectuti ſuæ conquiſiturum*, ſi quod Ami-
ci ſuggerebant, feciſſet. Pudendum igitur, & execrandum erat,
quod illi faciundum ſuadebant; pudenda, & execranda comeſtæ
carnis ſuillæ ſimulatio. Notat ultimò ſacer Textus, Eleazarum
tandem ultimò profeſſum eſſe, *ſe manum omnipotentis Dei nec
vivum, nec defunctum effugere poſſe*, ſi carnes ſuillas, ut Amici
ſuadebant, fingeret manducare: Divina itaque ultione digna erat
ſimulata comeſtio, quæ ab Amicis ſuadebatur. Stricti ergo juris fuit
Eleazari facinus; quod ni feciſſet, certò peccaſſet; quodque Fide-
les omnes, ſimili in diſcrimine poſiti, debeant imitari: & qui-
dem ſub pœna peccati gravis, ob Dei Honorem in re graviſſima
violatum.

Alterum in eadem Facti ſpecie ſuppetit Exemplum in Perſona
Cephæ, ſeu Petri, ab Apoſtolo Paulo graviter aſperèque coram
omnibus objurgati, ac reprehenſi ob ſimulationem longè leviorem,
quàm

Digitized by Google

quàm quæ modo vocatur in controverſiam. Factum ſic ſe habet, narraturque *cap. 2. Epiſt. ad Galat. Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Prius enim quàm venirent quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat: cum autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex Circumciſione erant. Et ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. Sed cùm vidiſſem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cùm Judæus ſis, gentiliter vivis, & non Judaicè: quomodo Gentes cogis judaizare?* Jam verò quis non videat, leviorem longè fuiſſe ſimulationem Cephæ, ſeu Petri, ob quam a Paulo increpitus, & reprehenſus eſt; quàm quæ modo de Conſilio Laxiorum a Fidelibus nonnullis ſtolidiſſimè exercetur? In hac enim Legalia jam antiquata ſervare ſe ſimulabat Petrus, quæ re ipſa repudiabat, & ad Salutem inutilia cenſebat: in iſta Fideles idiotæ, ac malè conſulti adorare ſe fingunt, quæ re ipſa abominantur, Idola. Quare Petri in materia Diſciplinæ ſimulatio fuit, Fidelium idiotarum, ac malè conſultorum in materia Fidei.

Succedit ordine tertium Libellaticorum Exemplum, qui cum ſatis ſibi virium non eſſe experirentur, ut contemptis Imperatorum Edictis, quibus ad cultum Idolorum adigebantur, vincula, carceres, flagella, ac etiam mortem generosè perferrent, Libellos a Præfectis Provinciarum numerata pecunia impetrabant, qui illos Imperatorum Juſſis obſecutos, thura Idolis dediſſe, falsò, ac mendaciter teſtabantur: unde & Libellatici ſunt appellati. Qua de re legi poteſt integer Divi Cypriani Liber de *Lapſis*. Ii porro Libellatici, ſedata tandem perſecutione, tanquam graviſſimi criminis Rei, publicæ pœnitentiæ ſubjecti ſunt. Ecquod verò illud erat Libellaticorum crimen graviſſimum, niſi deſertæ, ac violatæ Religionis, ac Fidei ſimulatio? Hanc enim Illos deſeruiſſe, ac violaſſe extorti pecunia Libelli teſtabantur, quam re ipſa nec deſeruerant, nec violaverant. Simulationem igitur in cauſſa Religionis, & Fidei pro graviſſimo ſcelere habuit Eccleſia Africana, quanquam devitandi extremi ſupplicii ratione fieret.

Iis documentis bene informati religioſiſſimi Martyres, hanc ſibi illicitam ſimulationem agnoverunt, vitandamque ſuo ipſorum Exemplo docuere. Sic Sanctus Saba, cujus Martyrii Acta extant apud Metaphraſtem, ad ſimulachrum Martis ductus cum aliis multis, ut carnes eidem immolatas, in cultus, & adorationis argumentum ederent publicè, cùm obſervaſſet, Lictores ipſos ſolito humaniores, loco carnium Idolis immolatarum, alias vulgares, ac

minimè immolatas obtrudere, ut, illis ſaltem comeſtis, Imperatoris Edicto ſatisfeciſſe viderentur, publicè exclamaſſe fertur: *Qui hos cibos comederit, Chriſtianus eſſe non poteſt*. Eccur ita? Cùm Martis Idolo re ipſa immolati non eſſent cibi illi. Nempe, quia immolati fingebantur. Sic Sanctus Anaſtaſius apud Bolandum, ad diem 22. Januarii, rogatus per Domeſticum Barzabanæ, quem tranſmiſit ad eum in carcerem, ut verbo ſolo diceret, ſe non eſſe Chriſtianum, quòd ſtatim dimitteretur. Reſpondit: *Ne fiat mihi negare me Chriſtum*. Sic Sanctus Euſtratius apud eundem Surium, ad diem 13. Decembris, mori maluit, quam Præſidem audire, iniqua miſeratione hortantem, ut ſibi pareret, verborum ambiguorum tectorio Idololatriam ſimulando. Uno verbo, D. Juſtini Martyris *in Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem* Sententia eſt, *Chriſtianos emori malle, quam aut mentiri, aut Inquiſitores Fidei fallere doloſo, ſimulatoque Reſponſo*. Quod profectò, ſi licuiſſet aliquando, paucos, ac fermè nullos Martyres habuiſſet Eccleſia. Quare ingentes Deo referendæ ſunt gratiæ, quòd nefariæ hujus, ac ſubdolæ artis Doctores, atque Magiſtri Scholas nondum aperuiſſent ſuas, quo tempore Martyrum Sanguine irriganda Fides erat; ne publico illo teſtimonio fraudaretur Eccleſia.

Nefariam illam, ac ſubdolam artem ſimulandi in Cauſſa Religionis, & Fidei in Philoſophis Ethnicis execrati ſunt Eccleſiæ Patres numero multi: D. Auguſtinus *Lib. 6. de Civitate Dei cap.* 10. cum multis oſtendiſſet, Senecam Idola forinſecùs, &釈 externè colentem, nunquam tamen ex animo, atque ſincerè eadem illa coluiſſe, ſubjungit: Seneca colebat in oculis omnium, *quod reprehendebat, agebat, quod arguebat, quod culpabat adorabat .... Eo damnabiliùs, quo illa quæ mendaciter agebat, ſic ageret, ut eum Populus veraciter agere exiſtimaret*. En tibi, ſi benè conjicio, quæ in Ottomanico Imperio, & alibi etiam longiùs a nobis luditur fabula de Conſilio laxorum moralis Evangelicæ Corruptorum.

Origenes *Lib. 7. contra Celſum*, non longè a fine ſcribit in hæc verba: *Non igitur fieri id poterit, ut & Deum quis noverit, & ſimulacbris ut ſupplicet: nec ſolum ſtatuis ſupplicare veſanius eſt, ſed quod plerique uſurpant, vel hoc ipſum diſſimulare: quod utique Peripatetici faciunt, & Epicurei, & qui Democriti decreta ſuſcipiunt*.

Eandem ſimulandi artem execrati ſunt in Arianis; Sanctus Hieronymus *Epiſt. 61*. in Priſcillianiſtis; Divus Auguſtinus *Lib. contra Mendacium cap.* 2. in Manichæis, Appollinariſtis, Pelagianis; Sanctus Gregorius Nazianzenus *Oratione* 42. Sanctus Cyril-

lus

lus Alexandrinus *Epiſt.* 2. Photius in Bibliotheca *Cod.* 179. Sanctus Auguſtinus *Lib. de geſtis Pelagii*: Quod nimirum æquivocis, ac ſubdolis artibus Concilia, Patres, Pontifices ludere, iiſdemque fucum facere niterentur. Ut hinc noverint quos primos Doctrinæ ſuæ duces habeant, qui in Cauſsa Religionis, & Fidei ſimulandi artem in Eccleſiam invehere moliuntur. Sed motos præſtat componere fluctus. Die altera quid Ipſi in ſui defenſionem proferant, expendemus, ac refutabimus.

Digitized by Google

PRÆLECTIO XI.

Momenta adverſus Aſſertionem in ſuperiori poſitam refutantur.

IN aciem tandem veniunt Moralis Evangelicæ Corruptores, ut quam hactenus vetitam diximus in Cauſſa Religionis, & Fidei ſimulationem, atque fictionem, eandem nobis licitam, & honeſtam oſtendant. Authoritate, & ratione deſtituti Exempla nonnulla miserè corradunt, quibus id piè, ac religiosè fieri poſſe contendunt, quod a piis religioſiſque Viris factum eſt aliquando. Quibus omnibus exſufflandis, ac diluendis Exemplis una ſatis eſſet D. Auguſtini Sententia *Lib. contra mendacium cap. 9. Hæc quando in Scripturis ſanctis legimus, non ideo quia facta credimus etiam facienda credamus; ne violemus præcepta, dum paſſim ſectamur exempla.* Nec enim Sancti in omnibus, quæ geſſere, ſancti fuerunt, ſed ſuos quandoque paſſi ſunt manes. Ne tamen Exemplorum illorum, quæ nobis objiciuntur, gravitate deterriti dare terga videamur, ea diſtinctè, ac ſingulatim expediemus; nihilque hujuſmodi a Viris religioſis, ac piis factitatum, ad oculum demonſtrabimus.

Primus itaque omnium in hanc ſcenam inducitur Naaman Syrus, Princeps Militiæ Regis Syriæ, qui ab Eliſæo Propheta poſtulavit, licitum ſibi fieri Dei nomine, adorare una cum Hero ſuo Rege Syriæ idolum Remmon extrinſecùs tantùm, ut credere par eſt, & in ſpeciem; quod ultro cum bona pace Eliſæus indulſit *Lib. 4. Regum cap. 5. Hoc autem ſolum eſt*, inquit Naaman Eliſæo, *de quo depreceris Dominum pro ſervo tuo: quando ingredietur Dominus meus Templum Remmon, ut adoret: & illo innitente ſuper manum meam, ſi adoravero in Templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo, pro hac re. Qui dixit ei: Vade in pace.* Quo reſponſo ſin minùs exercendæ, at ſaltem ſimulandæ, fingendæquæ idololatriæ licentiam indulſiſſe videtur Propheta Sanctiſſimus.

Non eſt tamen ita, ut prima fronte videtur, non eſt ita: ſed ex ſiniſtra vocis hujus *adorare* intelligentia natus eſt error; quæ perinde corporis inclinationem, & delatum cultum latreuticum ſonat. Non enim Idoli adorandi, cultuque latreutico proſequendi licentiam ab Eliſæo petierat Naaman Syrus, ſed inclinandi in Templo Remmon corporis veniam poſtulaverat, ut ſolitum hero

ſuo

Digitized by Google

ſuo Regi, ad colendum Idolum profundè inclinato, atque incurvato, miniſterium, obſequiumque præſtaret. Cùm enim ſolerent Syriæ Reges nonniſi e Spatariis ſuis brachiis inixi in publicum procedere, non poterant certè ad latreuticum Remmoni cultum deferendum incurvari, niſi ipſe etiam Spatarius (quo tunc munere Naamanus defungebatur) inclinaretur: hocque unum eſt, quod uſurpato adorationis vocabulo, licitum ſibi fieri, ab Eliſæo petierat Naamanus: quaſi diceret: *Ignoſcat mihi Dominus, ſi inclinante ſe Rege Syriæ ad cultum Remmoni exhibendum, inclinem & ego, ad meum illi miniſterium, atque obſequium præſtandum:* hocque illi Eliſæus ultro conceſſit his verbis, *vade in pace*; quòd nullum inde ſcandalum in adſtantes Aulicos oriturum certò ſciret, quibus Naamanus plus nimio notus erat, uti Dei Iſraelis religioſiſſimus cultor, & a cujuſcumque Idoli cultu alieniſſimus; qui non ad Remmonis venerationem, ſed ad Regis obſequium incurvabatur. Eoque pacto ſcrupulum, quo piiſſimus Neophytus angebatur, id ne ſibi liceret, exemit, avulſit, extirpavit Propheta.

Ergone, inquies, ex licentia Naamani Syro, facta ab Eliſæo, licitum erit Famulis miniſteria præſtare Heris ſuis peccantibus? E. G. Hero ſuo ad Amaſiam furtim, ac per feneſtram introeunti ſcalam deferre, muroque admovere? Certè non defuere Moralis Evangelicæ Depravatores, qui id licitum dixerint, qui & idcirco ab Innocentio XI. eo in capite damnati fuere anno 1679. hac Ipſorum Propoſitione num. 51. proſcripta: *Famulus qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat Herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam Virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti; puta, ne a Domino malè tractetur, ne torvis occulis aſpiciatur, ne domo expellatur*. Quare, ut hæc Difficultas expediatur, varii generis miniſteria ſunt diſtinguenda: alia communia, & generalia Dominis ſui præſtari ſolita, ad quotidianum, & neceſſarium obſequium: alia peculiaria, ſingularia, & propria peccantibus, quæ ad peccatum patrandum aliqualiter influunt. Prioris generis miniſteria Heris ſuis fortè peccantibus præſtare Famuli poſſunt, tuta conſcientia; non item alterius. Sed id obiter: neque enim ad Inſtitutum noſtrum hæc attinent.

Secundo loco profertur Exemplum Jehu Regis Iſraelis, qui idololatriam exercere, & Baali Sacrificium offerre ſe velle ſimulavit ac finxit, ut ea arte perderet, deleretque Cultores Baal; quod & feliciter geſſit; ut habetur *Lib.* 4. *Regum cap.* 10. *Congregavit ergo Jehu omnem Populum, & dixit ad eos: Achab coluit Baal*

parum,

parum, ego autem colam eum amplius. Nunc igitur omnes Prophetas Baal, & univerſos Servos ejus, & cunctos Sacerdotes ipſius vocate ad me; nullus ſit, qui non veniat; ſacrificium enim grande eſt mihi Baal; quicumque defuerit, non vivet. Porrò Jehu faciebat hoc inſidiosè, ut diſperderet Cultores Baal....... Factum eſt autem, cùm completum eſſet holocauſtum, præcepit Jehu Militibus, & Ducibus ſuis; Ingredimini, & percutite eos, nullus evadat. Percuſſeruntque eos in ore gladii; & projecerunt Milites, & Duces; & ierunt in Civitatem templi Baal, & protulerunt Statuam de fano Baal, & combuſſerunt, & comminuerunt eam. Deſtruxerunt quoque ædem Baal, & fecerunt pro ea latrinas uſque in diem hanc. Delevit itaque Jehu Baal de Iſrael. Quo certè nihil videtur eſſe diſertiùs.

Quominus tamen ex eo Jehu facto aliquid colligant Adverſarii, ad ſimulationem in cauſſa Religionis, & Fidei cohoneſtandam, obſtant tria obſervatione dignisſima. Primum, quod Jehu piis, ac religioſis Iſraelis Regibus non adnumeretur, quorum geſta nobis ſunt ad exemplum propoſita: unde illico additur laudato Libri Regum loco: *Veruntamen a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Iſrael, non receſſit, nec dereliquit Vitulos aureos, qui erant in Bethel, & in Dan ..... Porro Jehu non cuſtodivit, ut ambularet in Lege Domini Dei Iſrael in toto corde ſuo; non enim receſſit a peccatis Jeroboam, qui peccare fecerat Iſrael.* Secundò, quod factum illud referatur duntaxat Sacris in Litteris, non laudetur, vel approbetur: cujuſmodi alia tam multa, nec laudata, nec approbata in Scriptura narrantur. Tertiò, quod ſi fortè laudaretur, ob finem optimum laudaretur, deſtruendi nimirum Cultores Baal, non ob Medium ad finem illum obtinendum aſſumptum: Nec enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona: *Et non (ſicut blaſphemamur, & ſicut ajunt quidam, nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona: quorum damnatio juſta eſt:* ajebat Apoſtolus *ad Rom. cap.* 3.

Tertiò profertur Apoſtolorum Exemplum; qui poſt aboletam, & antiquatam Moſaicam Legem, nonnullos illius Ritus & obſervabant Ipſi, & a Fidelibus Chriſtianis obſervari lubenter permittebant: quod certè nonniſi ſimulatione, atque fictione factum intelligi poteſt. Unde & Apoſtolus de ſe ipſo ajebat: *Factus ſum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer: iis, qui ſub Lege erant, quaſi ſub Lege eſſem (cùm ipſe ſub Lege non eſſem) ut eos, qui ſub Lege erant, lucrifacerem. Iis, qui ſine Lege erant, tanquam ſine Lege eſſem (cùm ſine Lege Dei non eſſem: ſed in Lege eſſem Chriſti) ut lucrifacerem eos qui ſine Lege erant. Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus*

omnia

omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos. Omnia autem facio propter Evangelium: ut particeps ejus efficiar. Undè eruunt perſpicaciſsimi ſimulatores, licitam eſſe Fidei ſimulationem ob bonum finem, ſpitituale videlicet Proximorum commodum, majoremque Dei gloriam, & Chriſtianæ Religionis incrementum.

Perperam tamen, & inconſultò hæc eruunt falſi Apoſtolici dicti, & Apoſtolicæ conſuetudinis Interpretes. Imò, inquio ego, non animo ficto, ac ſimulato, ſed ſincero prorſus, Legalia brevi illo temporis interſtitio ſervabant Apoſtoli: non quidem, ut in eis ſpem ſalutis reponerent; ſed ut qualemcumque illis venerationem exhiberent, & extinctam jam, atque *Emortuam Synagogam cum honore ad tumulum ducerent;* ut loquitur Auguſtinus. Quòd autem de ſe ait Apoſtolus: *Factus ſum Judæis tanquam Judæus*, *&c cæt.* non ob ſimulationem Rituum Judaicorum eſt dictum, ſed ob commiſerationem, indulgentiam, officioſamque charitatem, qua illos proſequebatur. Quemadmodum & Gentilibus Gentilis eſt factus; quorum tamen Ritus nunquam vel ſimulavit, vel exercuit; ſed perpetuò eſt execratus.

Eccur ergo, inquies, non perinde licebit Ottomanicis, cæteriſque longè remotioribus, ad Fidem recens converſis, Ritus ſuos vel ſuperſtitioſos, vel idololatricos ad tempus ſaltem ſervare, ac prudenti quadam œconomia celebrari, donec Catholica Fides iis in partibus plena, & integra pace fruatur?

Proh quàm diverſa, quàm diſsimilis Judaicorum, & aliorum Rituum conditio! Illi Deo jubente, ad veri Dei cultum primitùs inſtituti, ſe ipſis Sancti, pii, religioſique fuere: Iſti, inſtigante Diabolo, ad falſorum Numinum cultum excogitati, ſe ipſis impii, ſacrilegi, prophani fuere ſemper, ſuntque etiam in præſens. Quare Iſti nec ad momentum ſervari, aut tolerari a Fidelibus poſſunt; quanquam alii prudenti quadam OEconomia, juſtiſque de cauſſis, certo quodam temporis interſtitio, ab Apoſtolis, primiſque Fidelibus ſervari potuerint. Qua de re legendus eſt Liber eruditiſſimus a Doctiſſimo Viro Ludovico Maria Lucino Ord. Præd. ac Generalis Romanæ Inquiſitionis Commiſſario Benedicto XIII. conſecratus, cui Titulus *Eſame*, *e Difeſa del Decreto pubblicato in Pudiſcerì da Monſig. Carlo Tommaſo di Tournon*, *&c.* Editus Venetiis anno 1729.

Jactatur præterea S. Auxibii Epiſcopi Solienſis Exemplum, qui a S. Joanne Marco Chriſti Diſcipulo Solium miſſus ad Chriſtianam illic Religionem fundandam, hoc ab illo conſilium cæperat ad Idololatrarum animos ſibi conciliandos, atque ad Chriſtianam Fidem ſuaviter traducendos: *Nullus modò Chriſtianum eſſe te noverit; ſed ipſorum te ſuperſtitionem ſectari ſimula;* ut habetur

in Actis, ab Authore, teſteque oculato conſcriptis, & a Bollando productis ad diem 19. Februarii.

Nec minus perperam hæc quoque jactantur; cùm ſint Acta illa omnino ſpuria, & apocrypha, ab inepto ſcribillatore longè poſt quintum Eccleſiæ Sæculum conſarcinata, neniis ac fabellis infarta, putidiſque anachroniſmis inquinata; ut palam oſtendit Clariſſimus Tillemontius *nota 5. in Hiſtoriam Joannis Marci*. Cui & id addere juvat, inſulſam prorſus & impiam rationem iis in Actis afferri, cur S. Auxibius, de conſilio Joannis Marci, Idololatram ſe ſimulaverit, ut Solienſes Idololatras ad Fidem traduceret: *Si enim Diabolus transfigurat ſe in Angelum lucis, ut eos qui ipſi credunt ad ſe pertrahat, & orationis blanditiis, copiaque verborum a luce ad tenebras transferat, ut & ipſius miniſtri factitant; quanto magis debemus nos ipſi transfigurare in homines iiſdem obnoxios affectibus, ut eos a poteſtate tenebrarum, & diaboli abducamus, & in admirabile lumen agnitionis Domini noſtri Jeſu Chriſti filii Dei transferamus*. Quis, quæſo, Joannem Marcum, Chriſti Diſcipulum, Divi Barnabæ in prædicatione Evangelica ſocium individuum, ita ratiocinatum ſibi fingat?

Iis prioris ætatis Exemplis additur alterum ſæculo quarto celeberrimum, S. Euſebii Vercellenſis Epiſcopi; qui hæreticis Arianis Arianum ſe eſſe ſimulavit, ut de Hæreſi Filium ſuum, quem Illi iniqua fraude deluſerant, liberaret. Factum narrat S. Ambroſius *Sermone* 15. nunc eſt *69*. inter Ambroſianos habito in die natali S. Euſebii Vercellenſis, ac etiam approbat, & laudibus effert: *Illud autem tacendum omnino non arbitror, quòd cùm Arianorum deteſtanda perfidia totam cum Univerſo Mundo Italiam perturbaſſet, atque ejuſdem peſtilentiæ Sacerdotes ſimplicitatem Sancti Dioniſii captivaſſent, ita ut ſubſcriptionis ejus vinculum retinerent, qua illum e manibus eorum ſapientia liberavit? Sicut enim ait S. Paulus;* factus ſum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem: *ita Euſebius Hæreticis ſe eſſe hæreticum mentitus eſt, ut de Hæreſi Filium liberaret. Dixit enim, eorum ſe conſentire perfidiæ, hoc ſibi placere, quod illis: ſed quòd ſibi filium Dionyſium in ſubſcribendo præponerent, graviter ſe moveri: Vos enim, inquit, qui dicitis Filium Dei Patri Deo æqualem eſſe non poſſe, cur mihi Filium prætuliſtis? Qua Illi ratione permoti, ſtatim S. Dionyſii chirographum deleverunt, priorem locum ſubſcribendi Beato Euſebio deferentes. Quos ille increpans, & irridens ait: Neque ego me veſtris ſceleribus polluo, neque Filium meum vobiſcum participare permitto*. Quo quidem ad ſimulationem cohoneſtandam, atque excuſandam efficacius afferri poteſt?

Aſt Divi Ambroſii Sermonem illum non eſſe, omnis modò fatetur

tetur eruditorum Natio, a cujus ſtilo, & ætate prorſus abhorret. Quanquam, ſi illius re ipſa foret, (aut etiam S. Maximi Taurinenſis, cui illum Gennadius Maſsilienſis adjudicavit) nihil inde ſimulationis in Cauſſa Religionis, & Fidei Approbatores, ac Defenſores in ſuæ Sententiæ præſidium extundere poſſent. Factum enim ſimulatum, ac fictum duplicis generis eſſe nemo neſcit: aliud quidem conſtans, ac permanens, quo violatur ſinceritas, ingenuitas, ſermonis candor, atque ſimplicitas: alterum, quod momento ipſo explicatur, corrigitur, denudatur. Primum illicitum eſt, alterum licitum; imo quandoque laudabile; eſtque potius ironica deriſio erroris, quàm externa illius approbatio. Hujuſmodi fuit Factum Matris ſeptem Filiorum Machabæorum; quæ ſuaſuram ſe Filio ſuo, ut Regis Antiochi Mandato obſequeretur, adpromiſit; cui potius contrarium confeſtim ſuaſit, imò perſuaſit; dum inclinata ad Filium, irridens crudelem Tyrannum patria voce dixit ei *Lib. 2. Machab. cap. 7. Peto nate*, *ut aſpicias ad Cœlum*, *& Terram* . . . . . . *Ita fiet*, *ut non timeas Carnificem iſtum*; *ſed dignus Fratribus tuis effectus particeps ſuſcipe mortem*: quibus verbis eum ad martyrium fortiter ſubeundum induxit. Ita planè Euſebius Vercellenſis, ſi Arianos iis verbis eſt allocutus, quæ ejus in ore poſuit laudati ſermonis quiſquis eſt Author: *Fidei veſtræ conſentio* . . . . . *Idem placet mihi*, *quod vobis*; ironicè, ac deriſoriè locutus eſt: cùm ſtatim, eodemque temporis veſtigio palam illis fecerit, non idem ſibi placere, quod illis, illorumque perfidiæ minimè conſentire imò Facto, ac re ipſa damnarit.

Idem reponere juvat ad alia nonnulla ſimulationis Exempla, in Cauſſa Religionis & Fidei a moralis Evangelicæ Inquinatoribus objici ſolita. Primum eſt Sancti Ephrem Syri, qui finxit, velle ſe profiteri Sectam Hæreticorum, ut ab iis Librum acciperet Erroris Ipſorum capita continentem: quem cùm ab Illis obtinuiſſet, totum fædè conſpurcavit, ac laceravit. Alterum eſt S. Juliani Martyris, qui, uti legitur apud Bollandum ad diem 9. Januarii, a Præſide invitatus, ut cum Sociis ſuis veniret in Templum, ſolemni pompa ornatum, ad Sacrificium illic Gentium Diis offerendum, reſpondit: *Quia cognoſco verum tempus*, *ut & nos ſalutem conſequamur*, *& Numina à vobis honorentur*, *fac omnes Sacerdotes Deorum intus adeſſe*, *ut cognoſcant quale ſacrificium illis offeremus*, *& adjecit B. Julianus: Benè vales optime Præſes*, *qui tam acceptabile tempus nobis laudem*, *& gloriam accepturis perſuades*, *& omnibus in uno commanentibus Diis veſtris præcipis immolari*, *quod non piget*. *Nam ideo diſtulimus*, *ut in iſto Templo mirabili*, *quod habetis*, *magnum ſacrificium omnibus immolaremus*. Cùm autem Gentiles, ac Sacerdotes innumeros

Templum ſubjiſſe animadvertiſſet Julianus, fuſa ad Deum prece Templum dejecit in terram, proſtravitque, omneſque intus occluſos ejuſdem ruinis oppreſſit. Tertium eſt Sanctarum illarum Virginum, quæ uti extat *in Actis S. Baſilii, apud Surium ex Metaphraſte die* 3. *Februarii*, a Præſide invitatæ, ut ad Sacrificium Diis offerendum accederent, reſponderunt: *Si vis ut Diis tuis ſacrificemus, eamus prope Lacum; nos autem cùm ablùerimus vultus noſtros ad Lacum, accedemus, & Diis ſacrificabimus.* Quò cùm Illæ veniſſent, Idola omnia illuc allata in Lacum projecerunt.

Certè iis in Caſibus, cùm ſtatim, ac ipſo momento ſignificarint Martyres, quid re ipſa in animo gererent, dum velle ſe, aut Sectam hæreticam profiteri, aut Diis Sacrificium offerre dixerunt, ironicè planè, ac deriſoriè locuti perhibentur; atque ita ſine mendacio, ſine ſimulatione ſacrilega, ſine ſcandalo Hæreticos, & Idololatras jocum ludumque fecerunt.

Opponi denique ſolet a nonnullis ſimulationis in Cauſſa Religionis, & Fidei Defenſoribus; quòd per ſacros etiam Canones liceat Fidelibus apud Infideles degentibus, aut contra eoſdem Terra Marique pugnantibus, illorum veſtes geſtare palam, ac publicè, Signaque Illorum militaria deferre; ut vel hoc pacto ſuæ conſulant incolumitati, hoſteſque decipiant.

Hac tamen in ſpecie indumenta, & ſigna militaria diſtinguenda veniunt; & quæ ſunt diſtinctiva Nationum, & quæ ſunt diſtinctiva Sectarum, ac Religionum: priora Fidelibus licita faciunt ſacri Canones, poſteriora non item. Quocirca Tertullianus ſeverioris, ſtrictiorisque Diſciplinæ Doctor *Lib. de Idololatria cap.* 18. obſervat, Joſeph in Ægypto, & Daniel in Babylone inculpatè prorſus, & integerrimè Indumenta geſtaſſe, & Inſignia Dignitatum, quibus a Regibus ornati fuerant; modò nil cum Ægyptiorum, & Babyloniorum Idololatria commune haberent. *Proprius habitus*, inquit, *uniuſcujuſque eſt, tam ad uſum quotidianum, quàm ad Honorem, & Dignitatem. Igitur Purpura illa, & aurum, cervicis ornamentum, eodem more apud Ægyptios, & Babylonios Inſignia erant Dignitatis..... non ut ſuggeſtus ille Sacerdotiis quoque, aut aliquibus Idolorum Officiis adſtringeretur.* Unde & colligit, poſſe etiam Chriſtianos, ubicumque degentes, deferre, ſi neceſſe fuerit, Inſignia Nativitatis, & Ordinis; non ſuperſtitionis; ut in quibuſdam remotis Regionibus Chriſtianæ Doctrinæ Magiſtri aliqui, veriùs Pſeudomagiſtri, licitum faciunt, nec quidem ignoranter, ſed ſcienter, poſt lata etiam Apoſtolicæ Sedis, vel ejus Legatorum Decreta, ejuſmodi ſuperſtitioſa ſigna prorſus improbantia, atque prohibentia. Cujus quidem Diſciplinæ rationem dederat paulò ante Tertullianus *cap.* 14. inquiens: *Licet convi-*

vivere cum Ethnicis: commori non licet. Convivamus cum omnibus: collætemur ex communione Naturæ; non ſuperſtitionis. Pares Animâ ſumus, non Diſciplinâ: Compoſſeſſores Mundi; non Erroris.

Cætera nil moror hìc ſimulationis exempla, quæ a Viris quandoque piiſſimis data ſunt, extra caſum tamen Religionis, & Fidei; de quibus nihil eſt, quod hìc ſtatuam, atque pronuntiem; cùm de Fide duntaxat ex Inſtituto diſputem, non de mendacio in univerſum.

Fatendum tamen bona Fide, non pauca proferri hujuſmodi Simulationum Exempla, quæ licet, ſpectato, quo factæ ſunt, fine, laudem approbationemque mereantur; ipſo tamen per ſeſe ſpectato Facto, excuſari a Mendacio omnino non poſſunt. Sic S. Ambroſius electus Mediolanenſis Epiſcopus crudelem ſe ſimulavit, Reis præter morem duriora tormenta jubens adhiberi: imò & impudicum ſe finxit, Meretrices ad ſe ingredi curans; ut, illis viſis; Populi ipſum Epiſcopum poſtulantis intentio revocaretur: ut refert Paulinus *in ejus Vita*. Sic Sanctus Apollinaris Patriarcha Alexandrinus Eccleſiam ſuam Homini cuidam multarum librarum auri debitricem ſimulavit, falſo contractu ſuppoſito, ut Filio ejus, Patre orbato, boniſque omnibus deſtituto, ſubveniret: ut ſcribit Joannes Moſchus *in Prato ſpirituali cap.* 193. Sic S. Ephrem Syrus, cùm electus eſſet Epiſcopus, Eumque comprehendere conarentur, qui Decretum Electionis attulerant, tanquam Illum ad Ordinationem adducturi, ſtatim in Forum cucurrit, & indecorè incedens, ac veſtem trahens, & in publico comedens, ſe pro inſano ſpectandum exhibuit; ubi verò Illi, qui Eum comprehenſuri venerant, hominem mente captum arbitrantes, appetere Illum ulteriùs, ac perſequi deſtiterunt, Is opportunitatem nactus aufugit; & eo uſque delituit, donec alius fuiſſet ordinatus: ut refert Sozomenus *Lib.* 3. *hiſt. cap.* 15. Sic quidam Palæſtinæ Monachi ſanctitate celebres in ſæculum ex Eremo prodibant, & in media Hominum multitudine inſanos ſe ſimulabant, inanemque gloriam conculcabant: ut refert Evagrius *Lib.* 1. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 21. Sic S. Flavianus Antiochenus Epiſcopus Meſſalianorum Hæreticorum arcana detexit, ficta ſimulataque in unum ex illis Delirum Senem officioſa ſalutatione, urbanitate, atque humanitate; ut ſcribit Theodoretus *Lib.* 4. *hiſt. cap.* 10. Sic Conſtantius Imperator, Pater Conſtantini Magni, ut veri Dei Cultores ab Infidelibus ſecerneret, finxit velle ſe illos ad publica Curiæ ſuæ Miniſteria ſeligere, ut ea ſpe illecti palam prodirent: quos Is ſubinde retectos, & cognitos e Curia procul exegit: ut eſt apud Euſebium *Lib.* 1. *de Vita Conſtantini cap.* 11.

Ea-

Earum ſimulationum Exemplis, quæ, meo quidem judicio, ex toto excuſationem non habent, adjungerem non illibenter illam quoque Davidis *Lib.* 1. *Regum cap.* 21. memoratam; dum, ut perſonam ſuam occultaret Achis Regi Geth, os ſuum coram Illo immutavit, inter manus ſervorum ejus collabebatur, impingebat in oſtio portæ, ſalivamque ſuam in barbam defluere ſinebat; ut vel ſic ſpeciem inſani hominis exhiberet. Nec enim eximia Davidis Sanctitas obeſt, quominus Illum aliquid humani paſſum certis in Caſibus exiſtimemus, qui plus nimio ſuos aliquando paſſus eſt manes. At repugnat D. Auguſtinus *Enarratione* 1. *in Pſalmum* 33. qui Factum illud Davidis propheticum fuiſſe docet, & Spiritu Sancto movente peractum; ut Chriſti incarnati humilitatem, & myſticam Vultus ejus in novo Corporis, & Sanguinis ejus ſacrificio immutationem ſignificaret.

Abſoluta jam Tractatione de Fideì neceſſitate, dicendum modò venit de numero, & ordine credendorum; ſeu de Symbolis, queis credendi Articuli continentur. De his itaque in ſequentibus, quæ neceſſaria ſunt, delibabimus.

DI-

Digitized by Google

DISPUTATIO SECUNDA.

DE SYMBOLIS.

PRÆLECTIO I.

De Symbolis quibus articuli fidei continentur, ac primum de Symbolo Apoſtolorum.

QUod in omni benè conſtituta Republica obſervari ſolitum eſt, ut quæ communi lege profiteri debeant univerſi, in certas tabulas referantur, ne quis forte ad excuſationem ignorantiam obtendat; id omnì retro ætate in Eccleſia vidimus obſervatum, ut quæ ex fide, qua Chriſtiani ſumus, credere debeamus, in certas formulas ad publicam fidelium informationem congerentur. Formulas illas *Symbola* de more dicimus, quibus articuli Fidei omnium primi, quique ab omnibus diſtinctè, atque expreſsè credendi ſunt, recta ſerie continentur.

Græcæ originis nomen eſt *Symbolum:* quo plurium in unum *collectio* ſignificatur: ſignum etiam, ſeu teſſera, notaque publica, qua alii ab aliis diſcerni poſſunt. Tractumque id nomen eſt ab Eccleſia ad ſolemnes fidei formulas exprimendas: quia in iis varia fidei capita colliguntur, quarum publica profeſſione, fideles ab Infidelibus diſtinguntur.

Triplex vulgo diſtinguitur *Symbolum* publico & ſolenni Eccleſiæ uſu conſecratum: Apoſtolicum, Nicænum, quod & Conſtantinopolitanum eſt dictum, & Athanaſianum: quibus Trinitatis & Incarnationis Myſteria recenſentur, & in certos articulos rediguntur. Primum Symbolum nonniſi ſubmiſſa voce in Eccleſia recitatur: quia perſecutionis tempore, ac nondum publicata fide ab Apoſtolis editum eſt. Alterum ſolemniter in Eccleſia, ac inter media Sacra decantatur; quia ſedatis perſecutionibus, fideque jam publicè denunciata, a Nicænis Patribus editum fuit. Tertium Dominicis tantum diebus, non tamen omnibus, ad primam horam recitari ſolitum eſt, jubenturque Clerici omnes memoriæ mandare ex decreto Concilii Auguſtodunenſis anni 670. De ſolo Symbolo Apoſtolico hiſtoricè dicam hodie, de cæteris in ſequentibus.

Id

Digitized by Google

Id ut debitè pertractem, utraque manu *Aodis* in morem, pugnandum mihi eſt: In Proteſtantes ſcilicet benè multos, qui de eo Symbolo Apoſtolico minus altè ac dignè ſentiunt; & in nonnullos Catholicarum partium Profeſſores, qui imprudenti zelo omnia in immenſum, ac ſupra modum exaggerant.

Calvinus ſiquidem *lib.* 2. *Inſt. cap.* 16. Eraſmus *in præfatione ad Lectorem*, *paraphraſis* 5. *Matthæi*; Gerardus Voſſius *lib. de Tribus Symbolis Diſſert.* 1. (*a*) aliique numero multi Proteſtantes, Symbolum Apoſtolicum, eo nomine dictum putant, quod Apoſtolicæ Doctrinæ Summam complectatur, non quod ab Apoſtolis ipſis ullo modo ſit editum. Ex adverſo, Catholici nonnulli in extremum abeuntes, ita Symbolum illud ab Apoſtolis in unum collectis editum putant, ut ſingulos illius articulos, ſeorſim atque diſtincte protulerint Apoſtoli ſinguli: Petro inchoante, *Credo in Deum Patrem omnipotentem:* Joanne ſubjungente, *Creatorem Cœli & terræ;* atque ita de reliquis, ad Matthiam uſque Apoſtolorum ultimum, articulum ultimum pronunciantem, *Vitam æternam. Amen*. Nonnulli demum Catholicorum Symbolum hoc non modò ab Apoſtolis editum volunt, verùm etiam ab iis ipſis ſcripto mandatum, & conſignatum. Nos aliam longè viam ingreſſi, quid rei fuerit ex Sanctorum Patrum auctoritate, atque ſententia ſtatuemus.

Ac primò quidem contra Proteſtantes, Symbolum Apoſtolicum re ipſa ab Apoſtolis editum dico, tanquam communem prædicandæ fidei formulam, quam omnes per varias Orbis regiones ad prædicationem Evangelicam diſpergendi tenerent, ac ſequerentur. Illud enim *ab Apoſtolis traditum* teſtantur S. Irenæus *lib.* 1. *adverſus hæreſes cap.* 2. Tertullianus *lib. de Præſcrip. cap.* 37. Lucifer Calaritanus *lib.* 2. *adverſus Conſtantium Imperatorem*; Cæleſtinus I. R. P. *Epiſt. ad Neſtorium*, Concilium Epheſinum *in Relatione ad Theodoſium*, & S. Maximus, *Homilia de Traditione Symboli*. Non poteſt autem congruenter *ab Apoſtolis traditum* dici, niſi illud reipſa ediderint. Sed & illud reipſa ab illis *editum*, *collectumque* conceptiſſimis verbis atteſtantur S. Iſidorus Hiſpalenſis *lib.* 2. *de Eccleſ. officiis cap.* 22. S. Leo Magnus *epiſt.* 13. *ad Pulcheriam Auguſtam*, Caſſianus *lib.* 6. *de Incarn. cap.* 3. & 4. adeo ut ea de re dubium moveri vix poſſe putem. (*b*)

Neque obeſt, quod Calvinus ejuſque gregales opponunt, Apoſtolos in ſuis Epiſtolis, & Lucam in actibus Apoſtolicis, hujus a ſe editi ſymboli mentionem facturos fuiſſe, ſi illud re ipſa edidiſſent. Non inquam id obeſt: Apoſtoli enim non omnium, quæ geſſerunt edideruntque, meminere in ſuis Epiſtolis, ſed multa ſilentio præ-

(*a*) Vide Natal. Alex. Tomo 3. Hiſtor. Eccleſ. Pariſiis editæ anno 1730.
(*b*) Vide Natal. Alex. Tomo 3. Hiſt. Eccleſ. Pariſiis anno 1730.

prætermiſere ac potiſſimum Lucas, actuum Apoſtolicorum Scriptor; qui, ut obſervat S. Hieronymus, *multa hiſtoriographi licentia prætermiſit*. Nec quidquam ex eo ſilentio, argumentoque negativo colligi poteſt adverſus tam diſerta, quæ modo ſubindicavi, Patrum teſtimonia.

Multò minus obeſt Gerardi Voſſii obſervatio, qua putat invictè probari, non potuiſſe Apoſtolos hujuſmodi ſymbolum edere, antequam ad prædicandum Evangelium in Mundum univerſum diſpergerentur: quia ſcilicet Eccleſia verbis conceptiſſimis Catholica dicitur; *Credo in Spiritum Sanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam*.

Stat ergo certum indubitatumque, ſymbolum Apoſtolicum ab Apoſtolis re ipſa editum eſſe, quidquid in contrarium deblaterent Proteſtantes.

Jam ad Catholicos Scriptores aliquos in extremum oppoſitum abeuntes ſermonem convertamus. Contra quos ſit iſta Concluſio: Apoſtoli non ita ſymbolum edidere, ut ſuum unuſquiſque illorum articulum ſeorſim atque diſtinctè ediderit, ac protulerit. Sed omnes in commune contulerunt, & in eandem cujuſque articuli ſententiam conſpirarunt.

Qui enim ſingulos Symboli articulos, a ſingulis Apoſtolis diſtinctè probatos atque editos effutiunt, ut pro duodenario Apoſtolorum numero, duodecim articuli diſtinguantur, labuntur errore putidiſſimo. Jacobum enim fratrem Joannis, ſuum quoque articulum diſtinctè proferentem exhibent numero 3. *Et in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum Dominum noſtrum:* Cum tamen Jacobus ille, antequam Apoſtoli ad condendum ſymbolum animum applicarent, martyrio ſublatus fuerit, *Act.* 12.

Certè qui ita fabulantur, ac ſentiunt, ſingulos ſcilicet Apoſtolos ſingulos articulos ſeorſim edidiſſe ac pronunciaſſe, nonniſi ſpuriis & apocryphis inſtrumentis innituntur. In primis quidem nituntur Epiſtola S. Clementis ad Jacobum fratrem Domini: ubi dicitur, Apoſtolos Symbolum condidiſſe, & unumquemque quod *ſenſit dixiſſe*. Quæ tamen Epiſtola Clementis re ipſa non eſt, ut conſentiunt criticæ ſcientiæ periti: nec eſſe germana profectò poteſt, ſi ad Jacobum fratrem Domini, ut præfertur, ſcripta eſt: Cum in ea D. Petri obitus mentio fiat, qui nonniſi octennio poſt Jacobum illum Martyrio ſublatus eſt. Quamquam & ea laudata Epiſtolæ verba, unuſquiſque Apoſtolorum quod ſenſit dixit, non id innuunt, ſingulas Apoſtolos ſingulos ſententias, ſeu articulos diviſim ac ſeparatim protuliſſe, ſed unumquemque ſuffragium tuliſſe ſuum, in eandem tamen omnium articulorum ſententiam conſpirando.

Nituntur perinde *Serm.* 115. D. Auguſtini *de Tempore*, ubi ſin-

guli Apoſtoli ſingulas ſententias proferentes referuntur. At nemo eſt, qui ignoret, ſermonem illum Auguſtini non eſſe: imo eumdem illum, cujuſcumque tandem authoris ſit, vitiatum & interpolatum fuiſſe. Quod multis oſtendit Natalis Alexander *Diſſ.* 11. *ſæculi* 1.

Nituntur demum ſuffragio S. Leonis Magni: at perperam intellecto, & in contrarium ſenſum miſerè detorto. Dum enim ait *Epiſt.* 13. *ad Pulcheriam Auguſtam* Symboli confeſſionem duodecim Apoſtolorum, totidem eſſe ſignatam ſententiis: hoc ſibi vult unum, tot in ſymbolo ſententias eſſe, ſeu articulos, quot erant Apoſtoli: non autem ſingulos ſeorſim, ſingulas ſententias pronunciaſſe. Præterquamquod non advertit Leo Magnus, non fuiſſe tunc duodecim Apoſtolos, dum eſt conditum ſymbolum; inſtante ſcilicet illorum profectione in varias Mundi regiones ad prædicandum Evangelium. Jacobus enim frater Joannis Martyrio ſublatus erat, ut diximus: Paulus autem, qui tunc duodenarium in collegio Apoſtolico implebat numerum, Jeroſolymis procul aberat, dum profectionem pararent alii. Appage itaque nugas atque fabellas.

Accedit quod de duodenario articulorum Symboli numero non conveniant Patres univerſi, ut ſuus cuique Apoſtolo peculiaris articulus tribui poſſit. Nonnulli enim Patres ſymbolum illud Apoſtolicum ſuis in opuſculis recitantes, articulum primum *de Patre omnipotente*, compingunt, cum ſecundo *de Creatore Cœli & terræ;* alii dividunt. Nonnulli articulum *de Conceptione Chriſti de Spiritu Sancto*. Compingunt cum articulo, de ejuſdem Nativitate *ex Maria Virgine:* dividunt alii. Nonnulli articulum *de Carnis reſurrectione*, compingunt cum articulo de *Vita æterna*, alii dividunt: adeo ut alii Patres 9. alii 10. alii 11. alii demum 12. articulos numerent. Quod utique minimè contigiſſet, ſi ſingulas ſinguli Apoſtoli ſententias protuliſſent ſeorſim, ac diſtinxiſſent.

Tertiam demum in Scriptores illos exorbitantes concluſionem pono, Symbolum Apoſtolicum ita eſt ab Apoſtolis in eamdem ſententiam conſpirantibus editum, ut tamen non ſit ab eis ſcripto mandatum, ſed fidelibus traditum, illorum memoriæ commendandum.

Id Eccleſiæ Patres diſertiſſimè conteſtantur: S. Hieronymus *Epiſt.* 61. *ad Pammachium*: *Symbolum fidei, & ſpei noſtræ, quod ab Apoſtolis traditum, non ſcribitur in charta, aut atramento; ſed in tabulis Cordis Carnalibus*. S. Petrus Chryſologus *ſerm.* 62. *Symbolum fidei ſola fide firmatur: non litteræ, ſed Spiritui creditur; & mandatur cordi, non chartæ*. Rufinus *in Expoſitione Symboli*, *Sym-*

Symbolum non ſcribi chartulis atque membranis, ſed retineri cordibus tradiderunt. (*a*)

Ad hæc, ſi fuiſſet ab Apoſtolis ipſis ſcripto mandatum, non video, quare inter Canonicas Scripturas relatum ab Eccleſia non fuiſſet. Si enim vel minutiſſima ſingularis alicujus Apoſtoli ſcripta, quæ vix aliud quidquam continent, præter commendatitias, officioſaſque ſalutationes in Domino, (quales ſunt Pauli ad Philemonem, & tertia Joannis, Epiſtolæ) in Sacrarum Scripturarum Canonem ſunt relata; quod ad mores informandos utcumque valeant: quantò magis eum in canonem fuiſſet relatum ſcriptum, ab omnibus ſimul Apoſtolis exaratum, quo Catholicæ fidei ſumma capita continentur, certoque ordine diſtinguntur? Rurſus: Si fuiſſet ab iis ſcripto traditum Symbolum, immutatum profectò, invariatum, nullaque ſui parte mutilatum, ſemper in Eccleſia manſiſſet. Verba enim ſcripto mandata, non ita facile mutilantur, ac quæ memoriæ traduntur: Porro tametſi in variis Eccleſiis catholicis, numquam ita fuerit mutilatum Symbolum Apoſtolicum, ut mutata illius ſubſtantia dici poſſet; liquet tamen, verborum mutationes, additiones, variationes, jam a primis Eccleſiæ temporibus factas eſſe.

In primo enim articulo: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, Eccleſia Orientalis ſemper addidit *Unum*.

Secundus articulus, *Creatorem Cæli & terræ*, omittebatur in Eccleſia Aquilejenſi, & loco illius habebatur, *Inviſibilem & impaſſibilem*.

In tertio articulo, *qui conceptus eſt de Spiritu Sancto: Natus ex Maria Virgine*. Eccleſia Aquilejenſis habebat: *Qui natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine*. Eccleſia vero Hieroſolymitana habebat: *Incarnatus & homo factus*.

In quarto & quinto articulo, *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus, deſcendit ad inferos:* In Eccleſia Aquilejenſi To *mortuus* omittebatur: in Romana autem & Orientali, *deſcenſus ad inferos* ſilebatur.

In nono articulo, *Sanctam Eccleſiam Catholicam*, To *Catholicam* omittebatur in Eccleſia Aquilejenſi. Nec videtur uſurpata vox illa in Eccleſia Affricana; quandoquidem D. Auguſtinus *lib. de Symbolo ad Cathecumenos*, integrum Apoſtolorum Symbolum recitans, hanc vocem *Catholicam* omittit. Et S. Pacianus *Epiſt.* 1. *ad Sympronianm* ait, Apoſtolorum temporibus conſuetudinem non obtinuiſſe, ut Chriſtiani *Catholici* dicerentur, & Eccleſia *Catholica*. Quod nuſquam ille ſcripſiſſet, ſi Eccleſiam ab ipſis Apoſtolis *Catholicam* appellatam obſervaſſet in Symbolo.

Dd 2 De-

(*a*) Vide Natal. Alex. Tom. 3. Hiſt. Eccleſ. editæ Pariſiis anno 1730.

Decimum caput de *Sanctorum Communione*, non extabat in Symbolo Aquilejenſi, & Ravennatenſi.

In undecimo articulo, ubi ſimpliciter dicimus, *Carnis Reſurrectionem*, in Eccleſia Aquilejenſi addebatur *hujus carnis*.

Poſtremum caput de *vita æterna*, omittebatur in Romana perinde, & Aquilejenſi Eccleſia.

Quæ cum ita ſint omnia, quis non videat, Apoſtolos hujus Symboli conditores, hoc ipſum ſcriptis minimè conſignaſſe: quod ſi feciſſent, numquam hujuſmodi mutilationes variis in Eccleſiis accidiſſent. Scripto quippe mandata, haud ita de facili immutantur.

Sed erit fortè qui dicat: Nonne interpolationes illæ, fidei ſubſtantiam contingunt, ac etiam violant? Nonnullæ enim articulos ſymboli aliquos planè reſcindunt. Nonne etiam ex iis mutilationibus colligere licet, Apoſtolos nullo omnino pacto ſymbolum illud condidiſſe? Incredibile enim eſt, privatas Eccleſias, aliquid ex eo ſymbolo demere voluiſſe, ac vel unum apiculum immutare, quod ab Apoſtolis ipſis editum agnoviſſent: at perperam iſta.

Ad primum ergo repono, nihil fidei ſubſtantiam lædere interpolationes illas, quia reſciſſi articuli, aut mutilati, in aliis qui intacti relicti ſunt, implicitè continentur. Ita creatio Cœli & Terræ, quæ in ſecundo articulo alicubi tacetur, in articulo primo de Dei omnipotentia continetur: Cum ſit creatio maximum Divinæ omnipotentiæ argumentum. Mors Chriſti, quæ alicubi omittitur in quarto articulo, importatur in ejus ſepultura: cum non ſepeliantur niſi mortui. Deſcenſus ad inferos, qui alicubi tacebatur, in articulo de morte continetur. Cum inferi loci ſint nonniſi mortuis debiti. Communio Sanctorum, quæ ſiletur alicubi in articulo decimo, virtute continetur in eo articulo, quo profitemur Eccleſiam Catholicam. Quia unitas Spiritus, a quo Eccleſia regitur, efficit, ut quidquid in eam collatum eſt, commune ſit omnibus, ut docet Catechiſmus Concilii Tridentini. Poſtremum caput de vita æterna, quod in nonnullis omittebatur Eccleſiis, virtute continetur in articulo de carnis reſurrectione. Ad hoc enim carnis reſurrectionem ſperamus, ut vitam æternam plenè & integrè poſſideamus: ut habet Div. Thomas 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 8.

Ad ſecundum vero repono, incredibile non eſſe, privatas Eccleſias, leves illas immutationes in eo feciſſe ſymbolo, quod ab Apoſtolis traditum noverant, quia non æque perſpectum omnibus erat, quibus peculiaribus & individuis verbis ſymbolum edidiſſent; cum non fuiſſet ab ipſis ſcripto aliquo exaratum, ſed fidelium memoriæ commendatum.

Diſ-

Difficilius fortaſſe fuerit definire, quo jure, quove titulo Apoſtoli, etiam antequam in varias Orbis Regiones proficiſcerentur ad prædicandum Evangelium, Eccleſiam *Catholicam*, hoc eſt *Univerſalem*, in Symbolo vocare potuerint; quæ vix Judeæ & Galileæ fines prætergrediebatur. Quæ certe obſervatio in cauſa fuit, cur eruditi nonnulli, voculam illam ab ipſis Apoſtolis poſitam negaverint; ſed ab Eccleſia ipſa, ſecutis inde temporibus poſitam dixerint; dum eam *Univerſalitatem* adepta eſt.

Exiſtimaverim tamen ego, potuiſſe etiam Apoſtolos, certo aliquo ſenſu Eccleſiam *Catholicam* ſeu Univerſalem nuncupare tunc temporis, Univerſalem inquam, non actuali atque præſenti Univerſalitate, ſed Univerſalitate à Chriſto promiſſa, decreta, atque præcepta: cum Chriſtus Apoſtolis præcepiſſet, *Marci cap.* 15. Ut euntes in Mundum Univerſum, prædicarent Evangelium omni Creaturæ: Atque ita Eccleſiam in Univerſum Mundum extenderent: Univerſalem etiam Eccleſiam dicere potuerunt, univerſalitate dogmatum atquæ doctrinæ; quod ea omnia doceat Eccleſia, quæ ſunt ad ſalutem homini neceſſaria. Aut etiam univerſalem univerſalitate temporum: quòd ſit Eccleſia in omne ævum duratura: dicente Chriſto: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi*, *Matth.* 28. Quare meo quidem judicio nil vetat, potuiſſe Apoſtolos, edito Symbolo, Eccleſiam *Catholicam* dicere.

Quæret ex me fortaſſis aliquis, ad preſentis Controverſiæ Coronidem, quis & qualis hujus Symboli Apoſtolici uſus fuerit in Eccleſia, jam tum a primis Sæculis?

Dicam ad hæc breviter, ad annum uſque 325. quo Symbolum Nycænum adornari cæptum eſt, Symbolum Apoſtolicum, quod unicum extabat, Cathecumenis Baptizandis addiſcendum recitandumque tradebatur: atque ita in ea Fidei profeſſione, Eccleſia generatim baptizabat: at vero ut cæpit Nicænum Symbolum edi & circumferri, maxime vero poſtquam a Synodo Conſtantinopolitana nonnullis additamentis eſt auctum, non una omnium Eccleſiarum diſciplina fuit. Orientales, miſſo Symbolo Apoſtolico, Nicænum tradebant Cathecumenis addiſcendum, atque in illo ipſo, ſeu in illius profeſſione baptizabant. Imò hoc ſolum quotidiano in uſu habuiſſe Orientales, teſtis eſt S. Baſilius Seleucienſis Epiſcopus *in Epiſtola Synodica ad Leonem Auguſtum*: *Ubique*, inquit, *hoc ſolum circumfertur ac prædicatur*, nempe Nycænum. Occidentales e contrario Eccleſiæ Apoſtolicum Symbolum, etiam poſt Concilii Nicæni tempora, religioſiſſimè tenuerunt, ſuiſque Cathecumenis addiſcendum, recitandumque in Baptiſmate tradiderunt; ut ex Auguſtino, Ruffino, Petro Chryſolo-

go,

go, Maximo Taurinenſi compertum eſt. Una tamen excepta Eccleſia Hiſpanienſi, quæ Græcorum diſciplinam ea in parte ſectata eſt, ut liquet ex Decreto Concilii Toletani 3. Quia Gothi, Vandali, aliique Ariani Hiſpaniam maximè infeſtabant; atque ita Fideles maximè contra Arianam hæreſim communire neceſſe fuit, quæ eo maximè Symbolo Nicæno denudatur & oppugnatur, in quo Chriſti Divinitas diſertiùs & apertiùs declaratur. Sed de Symbolo Nicæno pleniùs in ſequenti.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO II.

De Symbolo Nicæno, quod etiam Conſtantinopolitanum eſt dictum.

DE Nicæno Fidei Symbolo, quod etiam Conſtantinopolitanum eſt dictum, hodierna luce dum diſputo, illud ſtatim animum movet, quid cauſæ eſſe potuerit, ut poſt editum ab ipſis Apoſtolis ſacrum Symbolum, triumque priorum ſæculorum uſu conſecratum, ad novum tamen edendum, Nicæni Concilii Patres animum adjecerint, quaſi vero aliquid melius & accuratius Apoſtolis ipſis, Nicæni, & Conſtantinopolitani Patres adornare potuerint? Non eſt tamen cur ita miremur. Neque enim novum Niceæ & Conſtantinopoli conditum eſt Symbolum, ut Apoſtolico melius abſolutè & accuratius haberetur; ſed ut pro varia conditione temporis & ætatis, eſſet opportunius; utque fideles contra novas obortas hæreſes munirentur. Apoſtoli enim nihil diſertum expreſſum, atque diſtinctum de Filii, & Spiritus S. Divinitate ſuo in ſymbolo delibaverant. Quare oborta ſubinde hæreſi Ariana, Chriſti Divinitatem abnegante, hoc Fidei noſtræ caput, æternamque Verbi generationem diſertè diſtinctèque profiteri neceſſe fuit, iis de Chriſto Domino adjectis verbis antiquo Symbolo, *& ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt.* Ac tum poſtea oborta hæreſi Eunomiana & Macedoniana, Spiritus S. divinitatem abnegante, Patres Concilii Conſtantinopolitani, ut Fideles contra eam hæreſim communirent, ea Symbolo Nicæno verba addiderunt, quibus maximè Spiritus S. Divinitas declaratur: *in Spiritum S. Dominum & vivificantem qui ex Patre procedit; qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur qui locutus eſt per Prophetas.* Unde effectum eſt, ut Nicænum Symbolum, Conſtantinopolitanum a pleriſque dicatur, etſi priorem appellationem frequentiùs teneat. Tum demum orto nonnullorum errore, qui Spiritum S. a ſolo Patre procedere dicerent, non item a Filio; Romani Pontificis authoritate particula *Filioque procedit*, eidem ſymbolo adjecta eſt, in quadam Occidentalis Eccleſiæ Synodo. Sicque ad ſymbolum illud conflandum, tria omnino Concilia conſpirarunt.

De prima, alteraque additione Apoſtolico ſymbolo facta, tum Ni-

Niceæ, tum Conſtantinopoli adverſus hæreſim Arianam, & Eunomianam, nihil eſt quod vocetur in Controverſiam. At duo ſunt, quæ tertiæ ſeu poſtremæ additionis occaſione diſputari maximè ſolent: Primum, qua auctoritate, quo jure poſtrema illa particula *Filioque procedit* ſymbolo Nicæno, & Conſtantinopolitano ab Ecclesia Occidentali addita ſit, ſtante maximè Concilii Epheſini interdicto; ne quid ultra ſymbolo huic a quoquam adderetur. De hoc enim Græci Schiſmatici graviter conqueruntur. Alterum, quod quæri maximè ſolet, quanam in Synodo, & quonam ſedente Pontifice, ea additio Particulæ *Filioque* facta fuerit? De quibus neceſſe eſt ut dicamus ad plenam difficultatum illarum elucidationem.

Quod primum attinet, Particulam illam *Filioque*, nonniſi per ſummum nefas a Latinis additam eſſe uſque adeo conſtare Græci Schiſmatici ajunt, ut hoc ipſum facinus attentatum ipſi quoque Romani Pontifices, re demum maturius perpenſa, vehementius improbarint. Unde id colligere ſibi putant, videamus.

Factum celeberrimum ſub Leone III. Summo Pontifice & Carolo Magno Imperatore anno octingenteſimo nono habitum vehementer extollunt; ex quo intentum illud ſuum colligere ſibi videntur. Contigit ſcilicet ea ætate temporum, ut poſt celebratam in Germania inferiori Synodum Aquiſgranenſem, in qua famoſa de Spiritus S. a Filio Proceſſione controverſia eliquata fuerat, rem eo uſque Galli perduxerint, ut Symbolum Conſtantinopolitanum, quod jam tunc in eo Regno inter media ſacra ſolitum erat decantari, cum addita etiam particula *Filioque* recitarent. Excitatis ex ea Diſciplinæ novitate tumultibus, remque minus æquè foventibus viris nonnullis longè doctiſſimis, legatio a Carolo Magno ad Leonem III. Romanum Pontificem delata eſt; ut eos tumultus pronunciato de ea Diſciplinæ innovatione judicio Pontificio, opportunè ſedaret. Quid tunc Pontifex prudentiſſimus? Duo ſanxit, ſtatuitque. Primò ſimbolum cum ea particulæ *Filioque* additione recitare vetuit. Secundò, ut illuſtri monumento, & perenniori poſteris ſignificaret ſuam de ſymbolo Conſtantinopolitano exiſtimationem, duas tabulas argenteas ad confeſſionem S. Petri affigendas curavit; in quarum una ſymbolum Conſtantinopolitanum latinè incideretur; in altera verò Græcè abſque aliquo particulæ *Filioque* additamento; ut intactum, & illibatum, quale a Nicæno, & Conſtantinopolitano Synodo editum erat, poſteris ſervaretur. Harum tabularum argentearum mentionem habet Anaſtaſius *in Vitis Pontificum*, & Baronius *in Annalibus ad annum octingenteſimum nonum*. Itaque colligunt Græci, additionem Symbolo Conſtantinopolitano antea factam malo

Digitized by Google

malo animo habuiſſe Leonem III., atque reſciſſam ſecutis temporibus voluiſſe.

Multùm hoc in argumento oſtentationis eſt, veritatis parùm. Ac primò quidem, quod inciſum laminis argenteis ſymbolum intereſt, è quo expuncta eſſet particula *Filioque*; longè alio conſilio id fecit optimus Pontifex Leo III., quàm ut Prædeceſſorum ſuorum geſta reſcinderet, additamque particulam reprobaret. Ecquis enim id credat? Cum Romani Pontifices etiam poſt Leonis III. tempora, inter quos Nicolaus I., hoc idem ſymbolum ea particula *Filioque* auctum tenuerint, atque probaverint, uti teſtis eſt Photius in Epiſtola eidem Nicolao inſcripta. Sed eas incidi laminas juſſit Leo III., ut ſacro illo impoſterum monumento conſtaret, quale primitùs ſymbolum Conſtantinopolitanum extiterit; ut ſuum etiam ſymbolo huic primigenio honor in Eccleſia ſervaretur. Actum maximè, ne Græci Latinis objicere poſſent, ab eis improbari, atque contemni, uti minùs accuratum, ac diminutum, quod novis additamentis reſarciendum, atque amplificandum judicarunt. Et verò contemni a Latinis Symbolum illud tam falſum eſt, quàm quod maximè; neque ex facta a Latinis additione particulæ *Filioque* conſectarium eſt. Nam neque ſymbolum Apoſtolorum improbatum voluere Nicæni Patres, dum ei nonnulla de Chriſti Divinitate aliquantum explicatiora addenda judicarunt; neque Nicænum Symbolum flocci faciendum exiſtimarunt Conſtantinopolitanæ Synodi Patres, dum illud novis ex novarum hæreſum occaſione additamentis amplificarunt. Novi qui nodum illum faciliùs expediunt; ſed data ſolutio mihi magis arridet. Jam quod alterum objectionis caput attinet, de negata ſcilicet Gallis venia a Leone III. Conſtantinopolitanum Symbolum decantandi cum hujuſce particulæ *Filioque* additamento, prudenter id, ac magna cautione ſumendum eſt, ne omnia promiſcuè, temerèque miſceantur. Non enim de ipſo particulæ *Filioque* additamento controverſia mota erat in Galliis, nec de illa particula retinenda, aut expungenda conſulebatur Pontifex Maximus; ſed de additamento publicè in Eccleſia Gallicana decantando; propterea quòd aliis in Eccleſiis additamentum illud, tametſi jam factum, & probatum, non tamen publicè cum reliquo Symbolo cantaretur. Unde & Legati ad Leonem III. a Carolo Magno miſſi, cum probari a Pontifice audiiſſent particulam *Filioque* Symbolo additam, & Spiritus Sancti a Filio Proceſſionem agnoſci ab illo, uti Fidei Caput, ſolùmque ab illo prohiberi, ne publicè Symbolum ea adjuncta particula decantaretur, Pontifici reſponderunt: *Si ergo ita eſt; ſi ita credere nos oportet, Spiritum Sanctum a Filio procedere,*

Digitized by Google

dere, cur non licet cantare, aut cantando docere? Cum itaque non de hujuſce dogmatis Fide, non de ipſa per ſeſe Symbolo inſerta particula *Filioque*, ſed de particula publicè decantata negotium Gallis faceſſiverit Leo III. non eſt cur ſibi de hujuſce Pontificis pronunciato judicio Græci Theologi blandiantur. Sive etenim decantetur, ſive non nihil ad Fidem intereſt, dummodo uti legitima teneatur.

Quorſum porro ea de re, quæ levis adeo momenti videtur eſſe, difficultatem Gallis creavit Pontifex ille, dicam breviter. Quia videlicet Galli hanc ſibi inducendæ novæ Diſciplinæ licentiam proprio Marte, propriaque authoritate arrogaverant. Cum enim a Leone III. veniam pridem obtinuiſſent, Nicænum Symbolum, ſive dixerimus Conſtantinopolitanum inter media ſacra publicè decantandi, ii fas ſibi eſſe exiſtimarunt, particulam *Filioque*, quam huic Symbolo ſubinde additam noverant, una cum reliquo Symbolo decantare. Pati omnino hoc noluit Sanctiſſimus Pontifex, ne ab aliarum Eccleſiarum Diſciplina Galli deflecterent: Hiſpani enim ab anno quingenteſimo octogeſimo nono Symbolum inter Myſſæ ſolemnia decantabant, minimè tamen cun adjuncta particula *Filioque*. Hæc pro argumenti propoſiti ſolutione, ni fallor, abundè ſufficient.

Unum ſupereſt, ut ad cumulatiſſimam hujuſce de Spiritu Sancto Controverſiæ tractationem, quæſtionem hiſtoricam moveamus, quam veriùs fortè Enigma ſacratiſſimum appellaverim: quo videlicet tempore, quove in Synodo ea particula *Filioque*, de qua prolixè adeo diximus, Symbolo Conſtantinopolitano addita ſit? Ea de re verbum obiter injecit Doctor Angelicus 1. *part. quæſt.* 36. *artic.* 2. *ad* 2. *Poſtea*, inquit, *inſurgente errore quorundam, in quodam Concilio in Occidentalibus partibus congregato expreſſum fuit authoritate Romani Pontificis*. Quibus verbis non tam quæſtionem enodavit, quàm enigma propoſuit eruditis exponendum, & enodandum: cum nec errorem, cujus occaſione facta additio eſt, nominarit, nec Concilium diſtinctè notarit, nec Pontificem, quo ſuadente facta res eſt, ex nomine deſignarit. Cum itaque controverſia hæc gravior ſit, quàm ut brevi temporis ſpatio reſolvi poſſit, eandem ad craſtinam prælectionem remittimus.

PRÆ-

PRÆLECTIO III.

Quandonam, & a quo Particula Filioque *Symbolo Nicæno, & Conſtantinopolitano addita ſit, declaratur.*

ENigma in re critica, & hiſtorica obſcuriſſimum ſolvendum aggredior; quandonam, & a quo particula *Filioque* Symbolo Nicæno, & Conſtantinopolitano addita ſit. Cujus nobi enigmatis ſolutionem tametſi non dederit Doctor Angelicus, & Concilium Florentinum, certæ tamen notæ definivere, adjectionem particulæ *Filioque* factam eſſe a Romano Pontifice in Synodo numeroſiſsima in partibus Occidentalibus celebrata, occaſione novi emergentis erroris de Proceſſione Spiritus Sancti, ac dum magni in Gallis orituri ſchiſmatis periculum immineret. Ad has igitur notas tamquam ad certam Cynoſuram mentem intendere neceſſe eſt ad iſtud enigma, ſi fieri poteſt, retegendum. Si certum igitur ea de re judicium ferre volumus, deque variis Theologorum opinationibus pronunciare, ſunt qui particulam illam Symbolo additam velint a Damaſo Romano Pontifice in Concilio Romæ habito anno tercenteſimo octogeſimo ſecundo; uno duntaxat anno poſt Concilium Conſtantinopolitanum; additionemque hoc pacto factam exponunt. Cum Damaſi Romani Pontificis, & Theodoſii Imperatoris authoritate Concilium Conſtantinopolitanum anno ſuperiori cæptum eſſet, litteras ad Patres Græcos Damaſus miſit, quibus eos ad Concilium Romæ habendum invitabat. Sed cum ii variis de cauſsis Romam iter arripere non poſſent, ſeque excuſatos haberi poſtularent, ſuam Fidem, ac potiſsimùm conditum a ſe Symbolum ad Concilium Romanum tranſmiſerunt; quòd Damaſus cum Concilio Romano probavit, addita ſolùm particula illa *Filioque*, majoris explicationis gratia: quam etiam Conſtantinopolitani Patres confirmarunt: Sic ut additio nedum a Concilio Romano, ſed & ab ipſo Conſtantinopolitano facta meritò dici poſsit; eo planè jure, quo viri nonnulli doctiſsimi ſcribunt, unum ex Conſtantinopolitano, & Romano Concilio conflatum eſſe Concilium Generale: cum illic ſcilicet coacti eſſent Græci; iſtic Latini, ac ſua ſecum ſtatuta, atque decreta viciſsim communicarent.

Id bellè quidem excogitatum; ſed nihil probatum invenio. Habitum tunc quidem Romæ ſub Damaſo Concilium ſcio; vocatos ad illud Patres Conſtantinopoli congregatos; excuſatos illos propter itineris difficultates, ne venirent; miſſam ab illis ad Damaſum Fidem ſuam, ac etiam Symbolum a ſe conditum ultro concedo: ſed particulam *Filioque* tunc ſubinde in eo Concilio Romano additam; rurſus in Concilio Conſtantinopolitano probatam eſſe (quod præſentis difficultatis caput eſt) omnino nego. Unde enim id habent? Quorſum verò, ſi ita res acta eſſet, in nullo veteri Conſtantinopolitanæ Synodi codice addita illa, probataque particula compareret? Quorſum in quatuor Synodis Oecumenicis poſtea tempora proximè celebratis Symbolum Conſtantinopolitanum, miſſa ſemper particula illa, recitatum eſt? Sed & figmentum illud apertè revincit, quod in Concilio Florentino geſtum eſt. Cum etenim Græci Præſules quærerent a Latinis, quorſum ipſi ad illud Concilium vocati non fuerint, in quo hujuſce particulæ additio tentata eſt: duo hæc Latini Præſules repoſuere; & neſcire ſe, an re ipſa Græci vocati non fuerint; & Pontificem ad illos vocandos nequaquam adſtringi. Porro nec id Græci quærere, nec id reponere Latini tentaſſent, ſi res ita geſta fuiſſet, ut illi conjectatores contendunt: cum exploratum omnibus eſſet, Græcos ad Concilium illud Romanum ſub Damaſo per epiſtolas fuiſſe vocatos, illoſque prorſus ſe excuſatos fuiſſe. Verùm otioſi hominis eſt, in eo confutando figmento longiùs immorari; cum nulli exploratum non ſit, additionem illam particulæ *Filioque* nonniſi longo poſt tempore, novique enati erroris occaſione factam eſſe. Fefellit viros incautos, (ſi hujuſce figmenti ortum ſcire vultis) ſpurium quoddam opus, Damaſi Symbolum appellatum, quod *Tomo* 5. *Operum Sancti Hieronymi* (nov. edit.) videre eſt, in quo ea particula *Filioque* inſerta reperitur. At nec Symbolum illud Conſtantinopolitanum Symbolum eſt, ſed aliud longè diverſum, nec author illius Damaſus eſt, ſed Scriptor longè poſterior; iſque non ſatis (ut multis viſum eſt,) ortodoxus.

Alii particulam additam volunt in Concilio Toletano III. anno quingenteſimo octuageſimo nono ſub Gelaſio II. Romano Pontifice; totumque ſuæ conjectationis præſidium petunt ex compilatione Conciliorum Hiſpaniæ a Garcia Loayza ſub initium alterius ſæculi elaborata; ubi Symbolum Conſtantinopolitanum ea particula auctum repræſentatur inter cæteras Hiſpanorum Præſulum lucubrationes, & Acta Synodalia.

At non auſpicatiùs illi conjiciunt. Tertiæ quippe Synodi Toletanæ characteres ii minimè congruunt, quibus Concilium Floren-

rentinum Synodum illam deſignavit; in qua additio facta eſt: *Maximo*, inquit Concilium Florentinum, *in Gallia, & Hiſpaniis ſchiſmate imminente, cum jam ea particula Filioque paſſim celebraretur, Romano Pontifici neceſſe fuit in multorum Occidentalium amplæ dignitatis, magnique conſilii Patrum Conventu, addito* Filioque *Symbolum magis illuſtrare*. At Synodus Toletana tantæ numeroſitatis non fuit, ut iis notis deſignari potuerit; cum ad eam ſoli Hiſpaniæ Præſules acceſſerint; nec ea ætate temporum particula *Filioque* paſſim celebrabatur; nec ullum in Galliis noſtris ea de cauſſa periculum ſchiſmatis fuit, ſed multis poſt annis. Quod compilationem Conciliorum Hiſpaniæ a Garcia Loayza adornatam attinet, dicam fortaſſe libentius, eum ſua perſpicilia feſelliſſe, duoque promiſcuè confudiſſe, profeſſionem ſcilicet Fidei ab ipſis Toletanis Patribus elaboratam, & Symbolum Nicænum, ſeu Conſtantinopolitanum Actis Synodalibus inſertum. In Fidei profeſſione appoſitam eam particulam certò ſcimus, non ipſi tamen Symbolo additam. Is verò, quam in uno vidit particulam, in altero addendam exiſtimavit.

Sunt qui demum opinentur Benedictum VIII. particulam addidiſſe anno milleſimo centeſimo duodecimo inſtante Sancto Henrico Imperatore. Hos inter primus tulit Ludovicus Maimburgus *lib.* 2. *Schiſmatis Occidentis*, qui dicti teſtem profert Bernonem Augienſem Abbatem *lib. de rebus ad Miſſam ſpectantibus cap.* 2. Verùm toto Maimburgus aberrat oſtio. Ecquis enim neſciat, multò antiquiorem eſſe additionem illam; cum ex pervetuſtis Actis Concilii II. Nicæni in Synodo Florentina productis conſtet, annis ante Benedictum VIII. centum vigintiquinque illius Concilii Patres Symbolum cum additione particulæ *Filioque* ſolemniter decantaſſe, anno nimirum ſeptingenteſimo octuageſimo ſeptimo. Berno autem Augienſis, quem teſtem figmenti ſui Maimburgus appellat, non de additione particulæ agit, ſed de ſymbolo publicè decantando: idque ſolùm habet, Sanctum Henricum Imperatorem a Benedicto VIII. obtinuiſſe, ut ſolemniter in Eccleſia Romana recitaretur. Fabulam fabulæ addit Maimburgus, dum additionem illam a Benedicto factam ait in Concilio Romano: nam nullam ſub Benedicto VIII. Synodum Romæ habitam legimus.

Laudat ille Hugonem Etherianum, quaſi hujuſce rei fidem faciat *lib.* 3. *de hæreſibus cap.* 16. At is nec Benedicti VIII. meminit, nec habitæ Synodi; ſed id unum ait; nempe antiquioris Romæ Antiſtitem hanc dictionem *Filioque* ſymbolo appoſuiſſe *Sanctorum plurium Epiſcoporum, & ſcientiſſimorum Cardi-*

dinalium conſenſu habito. Quis autem Pontifex ille fuerit, non deſignat.

His igitur omnibus opinationibus rejectis, & ablegatis, ſi meum hîc judicium interponere licet, probabiliùs exiſtimaverim ego, additionem hanc factam eſſe in Concilio Romæ celebrato ſub Agathone Romano Pontifice anno ſexcenteſimo octogeſimo. In epiſtola enim ſynodica ſcripta ab ea Synodo ad VI. Concilium OEcumenicum, quod ſequenti anno, nempe ſexcenteſimo octogeſimo primo Conſtantinopoli celebratum eſt, quæque extat in Actis ſeſſionis quartæ, ſymbolum Conſtantinopolitanum inſertum eſt cum additione particulæ *Filioque*.

Secundò, quia Græci particulam illam momentoſam *Filioque* ſecutis temporibus abraſerunt ab ea Epiſtola Synodica, qua de re vehementer quæſti ſunt Latini Præſules in Concilio Florentino. Cur porro abraſere, niſi quia noverant publicam eſſe Latinorum Fidei profeſſionem?

Tertiò, etiam congruunt circunſtantiæ omnes, & a D. Thoma, & a Concilio Florentino notatæ: quibus Synodum illam deſignare ſolent, in qua additio facta eſt. Primò namque fuit numeroſa Synodus illa Romana, nempe Epiſcoporum centum viginti quinque. Secundò in partibus Occidentalibus. Tertiò dum jam particula *Filioque* paſſim a Latinis celebraretur, & agnoſceretur, eſſetque ſchiſmatis periculum in Galliis, & Hiſpaniis, ut liquet ex Sancto Gregorio Magno, ex Concilio Aquiſgranenſi, Gentiliacenſi, & Sancto Maximo in confutatione querelarum Græcorum adverſus Latinos. Quartò, ad illam Synodum Græci non acceſſere, nec vocati fuere. Quintò, Nec eos vocare Pontifex tenebatur, cum Concilium Occidentis duntaxat eſſet. Qui omnes characteres ſunt, quibus Concilium Florentinum, & D. Thomas eam Synodum denotant, ubi additio facta eſt. Quæret quis fortaſſis, quandonam primùm cæperit inter media ſacra Symbolum decantari? Repono non uno, eodemque tempore cæpiſſe Eccleſias decantare, ſed pedetentim, ac ſucceſſione quadam. Cæperunt Græci omnium primi anno quatercenteſimo ſeptuageſimo primo. Tum Hiſpani anno quingenteſimo octogeſimo nono ex Decreto Concilii III. Toletani. Subinde Galli, atque Germani ſimul anno octingenteſimo nono mandante Carolo Magno. Romani omnium poſtremi decantarunt anno duntaxat milleſimo centeſimo decimo quarto, inſtante Henrico III. Imperatore, quòd ille nonniſi difficulter obtinuit, Romanis videlicet obtendentibus, nihil eſſe cauſſæ, cur publicam illam Fidei profeſſionem ederent, qui nulla unquam hæreſi laboraverant; ut refert Berno Augienſis *lib. de rebus ad Miſſam pertinentibus cap.* 2.

Quan-

[f] Quandonam autem cæperit publicè decantari ſymbolum cum additione particulæ *Filioque* incertum eſt. Illud tamen certum ex facto Leonis III. de quo multa in ſuperioribus diximus, privatis Eccleſiis ſymbolum Conſtantinopolitanum jam olim decantantibus licitum non fuiſſe ante decimum ſæculum particulam *Filioque* cum reliquo ſymbolo decantare. Gallos enim, quod id attentaſſent, graviter Leo III. reprehendit.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO IV.

Symbolum, quod S. Athanaſii dicitur, ejus fœtum non eſſe, validiſſimis argumentis evincitur.

DE Symbolo, quod S. Athanaſii nomine circumfertur, dum diſputo, difficultatis arcem confeſtim aggredior, fidenterque pronuncio, Symbolum, quod S. Athanaſio tribuitur, Athanaſii reipſe non eſſe, ſed Scriptoris admodum recentioris. Sic fanè viri Criticæ ſcientiæ periti, quos magno numero noſtra hæc ætas tulit, ſumma conſenſione definiunt adverſus quorundam Theologorum opinationem, qui Anteſignanos & Duces ſecuti ſuos haud ſatis in Critica arte verſatos, Symbolum iſtud Athanaſii eſſe pronunciarunt. Quàm procul a vero aberrarint ii, iſta (ni mea me fallat opinio) momenta apertè demonſtrant. Primò demonſtrationis loco eſſe poteſt Veterum Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum altum de eo ſymbolo ſilentium. Nemo quippe Athanaſio coævus, aut ſuppar ejus vel obiter meminit, ubi hujus in medium proferendi commoda ſe dabat occaſio, ac ipſa quoque neceſſitas poſtulabat: non Sanctus Gregorius *in Oratione de laudibus Athanaſii*, ubi adornatas ab eo lucubrationes diligentiſſimè memorat: nullus Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum, qui primis Eccleſiæ ſæculis Athanaſianorum operum indicem poſteris reliquerunt. Unde & effectum eſt, ut vetuſtiores Athanaſii operum Codices cùm Latini, tum Græci numero vigintiquinque, quos Galli Benedictini de re litteraria optimè meriti ad novam curandam editionem ſumma diligentia conquiſiere, ſymbolum illud minimè repræſentent. Nullum illius Græcum exemplar inventum eſt. Jam quid *S.* Cyrilli Alexandrini, & Epheſinæ Synodi adverſus Neſtorianos? Quid *S.* Ivonis, & Concilii Calcedonenſis, contra Eutychianos dimicantium, ſilentium adducam? Nemo certè eſt in hiſce quæſtionibus tantiſper edoctus, qui neſciat, quanto ſtudio, quanta diligentia Patres illi, atque Concilia veterum monumenta omnia protulerint, quibus catholicam veritatem adverſus Neſtorianam, & Eutychianam Hæreſim tuerentur. At nihil ex eo ſymbolo petierunt; tametſi clariſſima ibidem adverſus eas Hæreſes teſtimonia præſto ſint.

His omnibus addendum arbitror ſilentium Latinorum contra Græcos poſt ſchiſma Photianum uſque ad Gregori IX. tempora de Proceſſione Spiritus Sancti diſceptantium. Si enim tunc pro certo cre-

Digitized by Google

creditum fuiſſet, ſymbolum hoc Athanaſii eſſe, eo telo Latini Græcos ſine dubio petiiſſent, quòd *Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedentem* apertè aſſerat; quod profectò non leve pondus habuiſſet ob ſummam *S.* Athanaſii in utraque Eccleſia authoritatem. At primi omnium, quos eo adverſus Græcos ſymbolo uſos eſſe legimus, ſunt Apocriſarii Gregorii IX. decimo tertio Chriſtiani nominis ſæculo, cum ea controverſia jam annis penè quingentis perduraſſet: quapropter, ut hoc argumentum ultimò concludam, veriſimilius eſt, ſymbolum hoc ab aliquo Scriptore prodiiſſe ſexto Eccleſiæ ſæculo incunte poſt Neſtorii, & Eutichetis blaſphemias evulgatas, atque damnatas, poſt Theodoreti controverſiam de Spiritu Sancto, contra *S.* Cyrilli anathematiſmos excitatam: hancque idcirco Fidei formulam fuiſſe tunc temporis elucubratam, ut Fideles adverſus tot illos enatos errores ſacro veluti antidoto munirentur.

Secundò: Gravia ſunt hæc; ſed fient eorum, quæ dicturus ſum, comparatione leviſſima. Repugnat ratio temporum, quominùs ſymbolum hoc D. Athanaſio adſcribatur: hujus quippe ſymboli Author, quiſquis tandem ille ſit, Fidei profeſſionem edit, eamque diſtinctiſſimam, explicatiſſimamque adverſùs nonnullas hæreſes, de quibus nihil umquam Athanaſii ætate auditum fuerat. Quod ita paucis oſtendo. Floruit Athanaſius vertente ſæculo quarto, diemque clauſit extremum ſub Valente Imperatore anno circiter tercenteſimo ſeptuageſimo. Neſtoriana verò, & Eutychiana Hæreſes annis amplius centum poſt Athanaſii obitum in Eccleſia emerſerunt. Neſtoriani Chriſtum impiè dividebant, duas in eo Perſonas admittendo, Divinam ſcilicet, & Humanam: Eutychiani vice verſa binas Naturas ſacrilegè confundebant, unamque in alteram converſam effutiebant, Divinam ſcilicet in Humanam.

Tertiò: Suadet hoc ipſum præterea ratio prorſus invicta; ex Athanaſii ſcilicet vena ſymbolum illud minime prodiiſſe. Athanaſius enim *in Epiſt. ad Antiochenſes* ſatis apertè ſignificat, ſe a nova condenda Fidei formula procul abeſſe; & Nycenæ Synodi ſymbolum ſuis omnibus numeris abſolutiſſimum fuiſſe contendit. Cur ergo alterum ab illo editum aſſeremus? Neque verò illis temporibus licitum erat Symbolum aliquod ultra Nicænum condere. Mali id ominis erat, mali conſilii, ac turbulenti duntaxat ingenii; idque Ariani ſolùm, per ſummum nefas in ſuis pſeudo-Synodis attentabant; atque idcircò apud Nicænæ Fidei Profeſſores peſſimè audiebant. Ut quid ergo id attentaſſe Athanaſium exiſtimabimus? At, reponunt nonnulli, ſymbolum illud nec novum, nec a Nicæno diſtinctum dici poteſt, ſed ejuſdem apertior

expoſitio ; cum ejus duntaxat Fidem explicatiùs aperiat. Verùm & hoc ipſum attentare illicitum erat ea ætate temporum, ne obtentu exponendi ſymboli Nicæni ſub ſpecioſo verborum apparatu ſubtiliores errores obreperent ; idque unum erat, quod Ariani reclamantibus Nicænæ Fidei profeſſoribus attentabant; cum palam Concilio Oecumenico refragari, minus auderent. Quare qui iſtud nobis reſponſum obtrudunt, ſatis ſe eſſe ſignificant in Hiſtoria Eccleſiaſtica peregrinos prorſus, & hoſpites. Nec verò ſe minus deridendos propinant, qui ut hanc difficultatem elidant, reponunt, lucubrationem illam inſtar Symboli ab Athanaſio editam non eſſe (ne ſcilicet contra Concilii Nicæni voluntatem attentaret) ſed inſtar Fidei regulæ, aut Fidei profeſſionis; quaſi verò aliud ſit Fidei regula, atque profeſſio, aliud Symbolum? Et certè, ſi mutato nomine Fidei regulas, & profeſſiones edere tunc temporis licuiſſet ; nemo fuiſſet, qui ea ſpecioſa arte Conciliorum prohibitioni non illuſiſſet ; repoſuiſſent enim ipſimet Ariani, ſe non Symbola, ſed Fidei regulas, & profeſſiones edere ; atque interim ſtolido illo aucupio virus ſuum ſimplicibus propinaſſent ; fraudesque ſuas hac una nominum mutatione cumulaſſent. Apage nugas.

Clamat præterea primigenius ſtylus, nativuſque ſermonis contextus, quo Symbolum illud exaratum eſt, ex Athanaſii calamo minimè efluxiſſe. Nec enim Græci hominis eſt, quandoquidem non modò latinum eſt Symbolum, ſed & latinam originem redolet, adeo ut ne quidem ex Græco idiomate latinè redditum credi poſſit. Nihil quippe Græcæ phraſis aut habet, aut ſubolet ; imò idiotiſmis abundat Græcam originem refugientibus; qualis eſt E. G. accurata illa diſtinctio inter perſonam, & ſubſtantiam Græcis Patribus ignorata : *non confundentes perſonas*, *neque ſubſtantiam ſeparantes*: qualis eſt illa concinna, & accurata gradatio de Spiritu Sancto : *non factus*, *nec creatus*, *nec genitus*, *ſed procedens*; quæ Græco vix idiomate fieri poteſt.

Neque verò ad eam difficultatem elidendam reponere juvat, potuiſſe Athanaſium latinam linguam eddiſcere biennio illo, quo Treviris vixit ; atque item dum profugus Mediolani, Aquilejæ, & Romæ egit. Parum enim veriſimile eſt, S. Athanaſium provecta jam, uti erat, ætate ; & longè aliis, ac melioribus curis occupatum, hunc laborem addiſcendæ peregrinæ linguæ ſubiiſſe ; idque præſertim nulla cogente neceſſitate. Nam & Romæ, & in Italia copia virorum erat, qui Græcè ſcirent: adeo ut Athanaſio ad mutuos ſermones conferendos latina lingua non eſſet opus, dum iis in Regionibus verſaretur. Sed etſi latinè didiciſſet Athanaſius, difficilè creditu eſt, eum ita expeditè ſciviſſe, ut nullus in ſcriptione latina græciſmus excideret; uti profectò in eo, quòd ex-

expendimus, Symbolo nullus eſt. Adde, nullum aliud Athanaſii certum opus latinè ſcriptum extare. His omnibus ego ad cumulum addiderim, quod plures eruditi Viri tam magni faciunt, ut ex hoc uno rem totam confici poſſe ſibi certò ſuadeant; nimirum incredibile prorſus eſſe, Athanaſium illum, qui acerrimus ſemper fuit Nicænæ Fidei defenſor, prætermittere in ſuo Symbolo voluiſſe vocem ὁμοούσιον, ſeu conſubſtantialem, quam Nicæni Patres ad Arianam Hæreſim penitus profligandam, eorum Symbolo inſerendam exiſtimarunt.

Demum, ut rem totam paucis abſolvam, nihil adeo apud criticæ ſcientiæ peritos fabulam olet, quàm in aliqua texenda narratione Scriptorum diſſenſio, qualem in adverſæ ſententiæ defenſione deprehendimus. Et quidem, qui Symbolum illud Athanaſio tribuunt, non conveniunt inter ſeſe, quo tempore, quave occaſione illud ediderit, nec niſi fabulas narrant. Quidam eum Treviris illud ſcripſiſſe volunt; illicque puteum oſtendi dicunt, ubi ob Arianorum inſidias latitaret, ſuumque Symbolum ſcriberet: ſed illud commentum refellitur. Treviris enim honore exceptus eſt S. Athanaſius, nec ut exul, ſed uti Confeſſor. Nec mirum, cum Epiſcopus Trevirenſis tunc eſſet S. Maximinus Arianorum hoſtis acerrimus, & Nicænæ Fidei defenſor egregius. Imo potius Athanaſium illuc miſerat Conſtantinus Imperator, ut eum Arianorum furori ſubduceret: quemadmodum conſtat ex litteris Conſtantini Junioris ad Alexandrinam Eccleſiam, quas ipſemet refert *Apologia* 2. Omnes etiam Scriptores Eccleſiaſtici, Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Simeon Metaphraſtes, & Græcus alter vitæ S. Athanaſii ſcriptor Anonymus, in puteo Trevirenſi latebras alto ſilentio promunt, inſulſamque fabulam eſſe ſuo ſilentio revincunt; hæc porro de Athanaſio in puteo Trevirenſi latitante fabula inde, opinor, enata eſt, quod Ruffinus *lib.* 10. *Hiſt. cap.* 18. ſcripſerit, Athanaſium ſex annis continuis ita latuiſſe in lacu ciſternæ non habentis aquam, ut Solem numquam viderit. Sed hoc in Ægypto factum narrat Ruffinus, non Treviris; nec tempore Conſtantini Magni, ſed Conſtantino Juniore jam interempto; cum Conſtans Occidentis, Conſtantius Orientis Imperium teneret. Quin etiam latebras S. Athanaſii in ciſternæ lacu ad incertam famam Ruffinus refert, non uti rem certiſſimam prodit.

Alii Symbolum illud a S. Athanaſio Romæ editum volunt, & Julio I. Pontifici Maximo oblatum conjiciunt, dum multorum criminum ab Euſebianis accuſatus neceſſe habuit Fidei profeſſionem coram Apoſtolica Sede palam edere, ut Romanæ Eccleſiæ communione perfrui poſſet; ita Baronius, ejuſque aſſeclæ. Verùm non auſpicaciùs illi conjiciunt. Siquidem Athanaſius de doctrina

non fuit apud ſummum Pontificem accuſatus, ſed de rebus ad diſciplinam, ac mores ſpectantibus, ut quod a Synodo damnatus, nec ab ea reſtitutus ſedem ſuam contra Canones occupaſſet; quod ejus Alexandriam reditus multarum cædium cauſſa fuiſſet; quod denique Ægypti, ac Lybiæ viduis triticum Conſtantini munificentia præberi ſolitum eripuiſſet.

Cum itaque non hæreſeos, ſed aliorum criminum accuſaretur Athanaſius, cum etiam Julio Pontifici Maximo, omnibuſque Catholicis non ſolùm Fidei ejus integritas nota eſſet; non ſolùm perſpectum ejus pro Nicæni Concilii defenſione ſtudium ardens, ſed exploratum planè omnibus eſſet, ipſum è contra in odium Fidei calumniis impetitum, & exilio fuiſſe damnatum; incredibile proſus eſt, Julium Pontificem ab illo Fidei profeſſionem exegiſſe.

Sed etſi quam ab eo Fidei profeſſionem exegiſſet Pontifex Maximus, non aliam profectò exegiſſet, quàm qualem ea poſtulabat ætas, illam ſcilicet, qua tunc temporis diſſeminatos errores execrari ſignificaſſet. Quid verò præſaga, ac prophetica mente Neſtorianorum, & Eutychianorum Hæreſes nondum enatas ejurare neceſſe fuiſſet, de quibus ne per umbram tunc temporis quæſtio erat? Quid, etiamſi Fidei profeſſionem exegiſſet ab Athanaſio Julius I. quid, inquam, duriùs cum illo egiſſet, quàm cum aliis agi ſolitum erat? Qui enim ea ætate temporum in violatæ Fidei ſuſpicionem veniebant, & Fidei profeſſionem emittere tenebantur, non ad novam condendam Fidei formulam cogebantur, ſed ad Symbolum Nicænum ſine ſimulationibus amplectendum, profitendumque. Sed pudet ea in parte diutiùs immorari, horretque etiam animus cogitare, Athanaſium omnium ſui temporis Hæreticorum ſtrage clariſſimum, poſt tot illos de Arianis triumphos reportatos, poſt tot erecta trophæa, quibus toto Orbe nomen ejus inclaruit, ad Fidei profeſſionem emittendam adactum eſſe, ut præconceptam de ſe ſiniſtram ſuſpicionem extingueret: quaſi qui fingeret, Auguſtinum poſt attritam, debellatamque tot libris, tot diſputationibus, tot Conciliis Africanis Hæreſim Pelagianam, eò demum adactum eſſe, ut Fidei profeſſionem ederet, ne & ipſe Pelagianus haberetur.

Id ergo certiſſimè concludendum, Symbolum, quod S. Athanaſii nomine circumfertur, nec ejus eſſe, nec eſſe poſſe; ſed Authori alteri admodum recentiori, atque Latino tribuendum. Tempus eſſet, ut quæ in oppoſitum afferri ſolent, dilueremus. Verùm quia in noſtra aſſerenda, probandaque ſententia ultra quàm putabamus, tempus inſumpſimus, cogimurque feceſſui cavere, provinciam illam in ſequenti Exercitatione perſolvemus.

PRÆ-

PRÆLECTIO V.

Objectiones contra præcedentem aſſertionem de Symbolo S. Athanaſio perperam adjudicato diluuntur.

CUm in antehabitis multis probaverimus argumentis, Symbolum, quod Athanaſii nomine circumfertur, ipſius re ipſa non eſſe, ſed Scriptoris admodum recentioris: poſtulat nunc officii ratio, ut Theologorum aliter opinantium momenta, & argumenta diluamus.

Sunt hæc numero quidem multa, undequaque corraſa, atque congeſta. Alia quidem, quibus noſtrarum momenta probationum enervare contendunt; alia, quibus concluſionem ipſam a nobis poſitam impetunt ex directo. At nullum ex iis argumentis occurrit, quod ſpeciem aliquam difficultatis præſeferat. Rem totam vos ipſimet experimento comprobabitis, ſi allatas a nobis probationes cum eorum objectionibus conferetis.

Ac primò quidem, cum Symbolum illud Athanaſii non eſſe probaverimus, quia Patrum, veterumque Scriptorum omnino nullus illud ſub Athanaſii nomine laudavit, ii ex adverſo Patres nobis oſtentant, quos illius Symboli meminiſſe putant, tamquam a D. Athanaſio elucubrati. S. Gregorium Nazianzenum in eo Patrum numero ponunt, eumque Symboli a D. Athanaſio conditi mentionem feciſſe contendunt in Oratione de laudibus Divi Athanaſii habita; ubi eum ſummopere commendat, propterea quod veritatem de Spiritus Sancti Divinitate apertis verbis promulgaverit primus cum paucis aliis; ſcriptoque confeſſus fuerit; hancque confeſſionem Juliano Imperatori obtulerit. Ita illi contra nos argutantur.

Lepidè profectò, & egregiè? At unde habent viri boni, confeſſionem illam de Spiritus Sancti Divinitate Juliano Imperatori oblatam ab Athanaſio, illud ipſum fuiſſe Symbolum, de quo nobis eſt diſputatio? Id profectò tam falſum eſt, quàm quòd maximè. Quid ergo erat? Dicam breviter. Epiſtola Synodica erat ab Athanaſio ſcripta nomine ſuo, & Epiſcoporum Ægypti, Thebaidas, & Libyarum, quæ & Nicænum Symbolum complectebatur, & alia nonnulla ad Pneumatomachorum Hæreſim oppugnandam documenta. En Athanaſii ſcriptionem a Gregorio Nazianzeno commendatam, non Symbolum, de quo nunc diſputamus. Sed mendaces oportet eſſe memores. Symbolum enim iſtud, ſi

Digitized by Google

Theologis iſtis credimus (ut in præcedenti prælectione retulimus) exhibuit Athanaſius Julio I. Romano Pontifici, ut ſe ab Arianæ Hæreſis ſuſpicione liberaret, confeſſionem verò a Gregorio Nazianzeno memoratam obtulit Athanaſius Imperatori Juliano. Symbolum iſtud unum, alterumve verbum habet de Divinitate Spiritus Sancti; confeſſio verò a Gregorio Nazianzeno memorata, tota erat ad defenſionem Divinitatis Spiritus Sancti elaborata. Ad populum igitur phaleras iſtas.

S. Auguſtinum ſecundo loco nobis opponunt Baronius, Bellarminus, Poſſevinus, Vaſqueſius, Gregorius de Valentia, aliique non pauci; quaſi S. Doctor *in enarratione ſuper Pſalmum* 120. integram hujuſce Symboli periodum ſub Sancti Athanaſiii nomine laudaſſet, ea Pſalmiſtæ verba exponens: *per diem ſol non uret te:* Auguſtinum ita loquentem inducunt: *de hoc ſole Pater Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus ita pulchrè locutus eſt; Filius inquit a Patre ſolo eſt; non factus, nec creatus, ſed genitus:* quæ verba in hoc ſymbolo continentur.

Ita ne verò locutus eſt Auguſtinus *Enarratione in Pſalmum* 120.? Legite per me Auguſtinum, legite, ac relegite ejus in Pſalmos Commentariorum enarrationem in *Pſalmum* 120.; percurrite diligentiùs, ac diſpungite minutatim; genium veſtrum ratum habeam, ſi vel Athanaſium appellatum ex nomine, vel ea verba Auguſtino affiĉta, admotis licet acutiſſimis perſpiciliis, invenietis. En Auguſtini germana verba: *Alium ſolem fecit Deus, qui oritur ſuper bonos, & malos, iſtum quem vident & boni, & mali: alius autem eſt ille ſol, non factus, ſed genitus, per quem facta ſunt omnia.* Ubinam appellatum hic Athanaſii nomen, aut integra ex ejus Symbolo phraſis tranſcripta? Sed quid mirum, ſi ubi germana teſtimonia Patrum pro adornanda Athanaſiani Symboli aſſertione minimè ſuppetunt, ſpuria proferuntur?

Ejuſdem furfuris eſt, quod jactitant bene multi; nimirum S. Hilarium in *Fragmentis* hoc Symbolum S. Athanaſio tribuiſſe: Nihil profectò hujuſmodi eſt in *Fragmentis* Divi Hilarii; ſed omnia pro arbitrio, ſine criterio viri minus cauti miſcuerunt, ut figmenta ſua novis figmentis obducerent. Res ita ſe habet. Librum Fragmentorum edidit D. Hilarius, ita dictum, quia in eo multa fragmenta congeſſit ad Arii damnationem attinentia; momenta Fidem Nicænam exprimentia multa contulit: indeque effectum eſt, ut qui deinceps ſecutis temporibus fragmenta illa manu tranſcripſerunt, alia etiam ad idem inſtitutum facientia, & inter illa Symbolum illud, de quo agimus, ad operis Hilariani calcem addiderint. Sunt ergo hæc additamenta recentiorum, non Divi Hilarii collectanea. Unde nec in antiquis, ſed recentiori-

tioribus duntaxat codicibus continentur. Id nos monent doctiſſimi Viri Nicolaus Faber, & Benedictini Galli, qui caſtigatiores Sancti Hilarii editiones nuperrime curaverunt. Sed viri boni, qui nullo præmiſſo criterio Patrum codices non tam legere, quàm perfunctoriè lectitare ſolent, omnia hæc promiſcuè confuderunt, & Symbolum iſtud recenti manu Hilarianis Fragmentis aſſutum, veluti ab Hilario re ipſa deſcriptum opinati ſunt, nobiſque tanti viri ſuffragium, quaſi ridente Minerva, ac ſecundo favente Mercurio venditarunt.

Hoc ergo vel inviti, volenteſque fateantur Theologi illi, veterum neminem eſſe, qui Symbolum illud Divo Athanaſio tribuerit, aut illud ad aliquod Fidei dogma vindicandum uſurpaverit: quod apocryphiæ luculentiſſimum eſt argumentum.

Jam verò de prima expeditus Theologorum illorum objectione, ad ſecundam accedo; qua alteram a nobis adductam Concluſionis probationem enervare moliuntur. Cum enim Symbolum illud Athanaſii non eſſe probaverimus, propterea quòd illius author Fidei profeſſionem emittat adverſus Hæreſes Neſtorianam, & Eutychianam, quæ centum plus minus annis poſt Athanaſium emerſerunt; contra ſic illi argumentantur: nihil vetat Divum Athanaſium, ut erat apprimè doctus, & in Sacrarum Scripturarum doctrina verſatus, poſteriorum etiam ſæculorum hæreſes in anteceſſum præcaviſſe, atque anticipatò occupaſſe; & ſacra Fidei dogmata iis hæreſibus adverſa ſcripto ſignaſſe, atque firmaſſe. Quod & Patres alii bene multi fecere; qui plura anticipatò ſcriptis reliquerunt, quibus poſteriorum ſæculorum hæreſes occupantur, & oppugnantur.

Egregiè ſanè, & eruditè? Verùm repono ego: Poſſunt quidem Eccleſiæ Patres ſuperiori ævi, potuit & Athanaſius poſteriorum ſæculorum hæreſes anticipatò occupare, atque refellere quantum ad ſubſtantiam dogmatis; minimè tamen præſtare id poſſunt uſurpatis, affectatis, & ſtudioſè adhibitis verbis, ac vocibus, quæ poſterioribus duntaxat ſæculis ab Eccleſia Catholica ſunt adhibitæ, ac etiam conſecratæ ad illos ipſos damnandos errores. Potuerunt E. G. Eccleſiæ Patres Ariana Hæreſi ſuperiores, ſcriptis editis, hanc ipſam Hæreſim anticipatò occupare, refellere, impugnare, quo ad ſubſtantiam dogmatis; nempe Chriſti Divinitatem aſſerendo, ac vindicando, quam ſubinde Ariani negavere. Verùm id præſtare non potuerunt uſurpatis, affectatis, ac ſtudioſè adhibitis verbis illis, ac vocibus, quæ poſt exortam Hæreſim Arianam ab Eccleſia ſunt uſurpatæ, adinventæ, ac veluti conſecratæ ad Arianam Hæreſim proſcribendam.

Jam ad Inſtitutum accedo. Author Symboli, de quo nobis eſt diſpu-

ſputatio, Fidei profeſſionem edit adverſus Hæreſes Neſtorianam ; & Eutichyanam, eaſque anticipatò occupat, & impugnat non modò quoad ſubſtantiam dogmatum, unam ſcilicet in Chriſto Perſonam, binaſque in illo Naturas profitendo, ſed illas ipſas voces affectat, atque uſurpat, quæ nonniſi obortis Neſtorianis, & Eutychianis in uſu fuerunt.

Concilii IV. Toletani ſuffragium potenter exaggerant *cap.* 1. *Confeſſionis Fidei*, ubi Symboli hujus verba nonnulla recitantur in hunc modum: *Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum unius Deitatis atque Subſtantiæ confitemur: in Perſonarum diverſitate Trinitatem credentes, in Divinitatem unitatem prædicantes, nec Perſonas confundimus, nec ſubſtantiam ſeparamus: Patrem a nullo factum, vel genitum dicimus: Filium a Patre non factum, ſed genitum aſſerimus; Spiritum verò Sanctum nec creatum, nec genitum, ſed procedentem ex Patre, & Filio profitemur* . . . . . . Et paulò infra de Filio: *æqualis Patri ſecundum Divinitatem, minor Patre ſecundum Humanitatem.* (*a*) Quæ verba tandem in iſto Symbolo continentur. Verùm Synodus illa Toletana anno duntaxat ſexcenteſimo trigeſimotertio habita eſt, quo tempore a Scriptore latino Symbolum illud jam editum fuiſſe ultro concedimus. Idcirco nil mirum, ſi verba ejus Synodus illa mutuari potuerit, & in ſuam Fidei profeſſionem transfundere. Imo verò, ſi quis animo ita affectus, ut Symboli hujus elucubrationem ad poſteriora etiam tempora transferre vellet, & authori alicui Synodo etiam illa Toletana poſteriori adſcribenda judicaret, nihil illi Synodi hujus verba officerent. Cum enim nullum authorem indigitet Synodus illa, ex quo verba mutuata ſit; ſed eæ duntaxat phraſes in Synodo legantur, quæ in iſto Symbolo continentur; definiri certò non poteſt, an eas phraſes Synodus hæc ex ſymbolo illo mutuata ſit; an è contra eaſdem illas phraſes Symboli author potiùs ex ipſamet Synodo defloraverit.

Nihilo plus movet, quod in Synodo Auguſtodunenſi legimus: *Si quis Præſbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus, Symbolum, quod inſpirante Sancto Spiritu Apoſtoli tradiderunt, & Fidem S. Athanaſii Præſulis irreprehenſibiliter non recenſuerit, ab Epiſcopo condemnetur.* (*b*) Nam & hæc Synodus poſterior etiam eſt Toletana, utpote anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo celebrata, quo tempore Symbolum iſtud ab altero quopiam ſcriptore jam adornatum faſſi ſumus. Unde nil mirum, ſi Clericis memoriæ mandandum injunctum ſit.

Quid

(*a*) Apud Labbeum in Collectione Conciliorum Pariſiis 1671. Tom. 5.
(*b*) Apud Labbeum in Collectione Concilior. Pariſiis edita Anno 1671. Tom. 6.

Quid verò, etſi Fides Athanaſii vocitetur? Hoc etenim nomine, tituloque a recentiori authore inſtar dialogi editum eſt; propterea quòd doctrinæ ab Athanaſio adverſus Arianos præſertim vindicatæ compendium eſſet. Et quidem deridendus ille eſſet, qui ob id Symbolum hoc ab Athanaſio ſcriptum effutiret, quia Athanaſii nomen in ſuo titulo exhibet; cum hujuſce generis Scriptionibus familiare ſit, ut non Authorum ſuorum nomina præſeferant, ſed illorum, ex quorum Doctrina, atque ſententiis ſcripta ea elucubrata fuerunt. Ut ſi quis E. G. ex D. Thomæ Doctrina librum conficeret in materia morum, rectè illi titulum hunc præfigere poſſet: *Moralis D. Thomæ*: uti revera hujuſmodi liber extat; qui tamen a D. Thoma conſcriptus non eſt, nec ei propterea tanquam illius fœtus tribuitur.

Unum ſupereſt, quo tueri ſe, debilemque cauſſam juvare putant Theologi recentiores: authoritas videlicet Apocriſariorum Gregorii IX. qui decimotertio vertente ſæculo Conſtantinopolim miſſi S. Athanaſii Symbolum, velut Sanctiſſimi Viri partum, in definitione Catholicæ Fidei protulerunt; & novum Eugenii IV. ſuffragium qui decimoquarto cadente ſæculo *compendioſam illam Fidei regulam, per Beatiſſimum Athanaſium editam* Armenorum Oratoribus præbuit, ut in Decreto unionis Armenorum obſervare licet. Quibus etiam, ſi lubet, Breviarii Romani adſtipulatio jungi poteſt, ubi præfixo Athanaſii nomine, Symbolum iſtud inter divinas de more preces ſtatis diebus decantandum injungitur.

Sed ſunt hæc minus apta ſuffugia, ne cauſſa decidant Adverſarii. His enim Criticæ ſcientiæ periti minimè commoventur. Duo autem cautè, prudenterque hac in re ſecernenda veniunt: Alterum juris, alterum facti; Fidei unum, Criticæ alterum. Juris, Fideique quæſtio eſt, num Symbolum illud D. Athanaſii nomine volitans puram, germanamque Catholicæ Religionis formulam complectatur. Facti, Scientiæque criticæ controverſia eſt, num ab ipſo Athanaſio, aliove recentiori Scriptore fuerit elaboratum. Quæſtio prima facilè dirimitur authoritate Gregorii IX. & Eugenii IV. qui Symbolum illud Græcis, atque Armenis tradiderunt; nec minus authoritate univerſalis Eccleſiæ ſolvitur, quæ hoc idem Symbolum ſolemniter recitandum Clericis mandat in Breviario Romano. Ex his enim rectè colligitur, germanam, puram, & integram illam eſſe Fidei profeſſionem. Verùm quæſtio altera, quæ facti duntaxat eſt, ſit ne ab Athanaſio editum Symbolum illud, non perinde laudatorum Pontificum, Breviariique Romani authoritate reſolvitur, quamquam Athanaſii nomen Symbolo huic præfigatur; quia de ea tituli præfixione (cum hæc nec

ad Fidei dogma, nec ad Diſciplinæ regulam ullo modo pertineat) nulla Eccleſiæ cura fuit, nec eſſe debuit. Præſertim quòd nondum certò conſtet, ſed penes eruditos prorſus obſcurum ſit, quiſnam fuerit ejuſdem Symboli genuinus, ac verus Author, cujus nomen præfigere Eccleſia ritè poſſet. Titulum itaque Eccleſia reliquit, quem præfixum invenerat, eo quod non de Symboli Scriptore, ſed de Dogmatibus in eo expoſitis controverſia aliquando orta fuerat. Eccleſia enim quæſtionibus juris (in materia morum, ac Fidei) judicandis intenta majeſtatem ſuam, authoritatemque ad minutulas illas Facti Quæſtiones expendendas minimè demittit. Quare de iis Facti critici controverſiis, ſi quid obiter in publicis Inſtrumentis attingit Eccleſia, nil certi ſtatuit; ſed quod vulgò creditur, dummodo Fidelibus nocumento non ſit, tenendum ſinit ex communi potius ſententia, quàm ſua; viriſque eruditis liberum relinquit, ut hæc ipſa minutula Facta ad ſeverioris Criticæ leges, ſi lubet, expendant. Hoc ipſum confirmare poſſem quàm plurimis exemplis ex Operibus aliorum Sanctorum Patrum petitis, Dioniſii, Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii, Cryſoſtomi, Bernardi, aliorumque plurium, quibus permulta Opera, Eccleſia conſentiente, eorumque Editiones permittente, ac etiam approbante, olim tribuebantur: quæ tamen decurſu temporis vel dubia, vel ſuppoſititia reperta ſunt; & a recentibus Editionibus aut prorſus expuncta, aut Notis, & Animadverſionibus caſtigata. Perperam igitur ex Titulo, qui Athanaſii nomen præſefert, quemque præfigi ſinit Eccleſia, colligere ſibi putant adverſæ ſententiæ vindices, verè illud magni Athanaſii fœtum eſſe.

Sed inquiet fortaſſis quiſpiam: uſque adeo Græcis Theologis perſpectum fuit, Symbolum illud Athanaſii fuiſſe, ut Latinis illius authoritatem circa Spiritus Sanctus Proceſſionem objicientibus hæc duo dare reſponſa coacti ſunt, ut illius authoritatem effugerent: Primum, verſiculum illum, qui Spiritus Sancti Proceſſionem exponit a Latinis Scriptoribus huic Symbolo fuiſſe aſſutum: alterum (quod aures religioſæ vix ferunt) Athanaſium plus æquo incaluiſſe mero, dum illud ſcriberet; ſi Gennadio credimus *in Defenſ. Conc. Flor. cap.* 1. *ſect.* 5. (*a*)

Falluntur tamen, qui id objectant: nam & tertiam evaſionem invenere Græci Theologi; nimirum Symbolum hocce Athanaſio perperam affingi, ut permulti hodie etiam fatentur hujuſce Symboli Defenſores acerrimi. Imo verò (quod cauſſam meam non parum juvat) nullum Græcis, ob Symbolum iſtud Athanaſio abjudicatum, negotium a Latinis faceſſitum obſervo; tametſi ob alia

(*a*) In Bibliotheca Patrum Editionis Pariſienſis 1644. Tom. 4. Part. 1.

alia duo reſponſa, quibus vim ejus declinare nitebantur, acriter exagitati fuerunt. Quin etiam Beſſarion ille celeberrimus, qui Latinæ Eccleſiæ Fidem, Græcus licet, in Concilio Florentino ſtrenuè propugnavit, in prolixa illa, eruditiſſimaque Oratione ad Patres habita, qua veterum Græcorum Patrum teſtimonia pro Spiritus Sancti a Filio Proceſſione demonſtranda, diligenti ſtudio congeſſit, Symbolum Athanaſianum, quod cauſſam ejus mirum in modum juviſſet, alto ſilentio prætermittit: adeo verum eſt, eum lucubrationem illam nec Athanaſii, nec alterius cujuſpiam Græci Scriptoris exiſtimaſſe.

Cujus ergo, quæres fortè, Scriptoris erit Symbolum iſtud? Nova hic quæſtio inducitur. Satis mihi ſit oſtendiſſe, Athanaſii non eſſe: jam cujus ſit, non ita certò definierim. Sunt enim quædam ſcriptionum genera, quæ licet nonnullis Patribus certiſſimis argumentis abjudicentur; cujus tamen revera ſint, difficillimè demonſtratur. Virorum eruditorum judicia proferam, meaſque de iis conjecturas breviter adnectam.

Sunt, qui Symbolum illud S. Euſebio Vercellenſi tribuant. At antiquior ille eſt, quàm ut de Hæreſibus Neſtorii, & Eutychetis ſuo jam tempore nondum enatis adeo dilucidè, & explicatè pronunciare potuiſſet, ut eo in Symbolo pronunciatum legimus. Imo cum Athanaſii ætate viveret Euſebius ille, iiſdem penè momentis ſententia illa exploditur, quibus revincitur altera jam a nobis cumulatiſſimè confutata.

Alii ab anonimo Theologo Gallo editum conjiciunt, Pipini, vel Caroli Magni temporibus, occaſionem præbente controverſia de Spiritus Sancti Proceſſione, de qua in Gallicis tunc Synodis actum eſt. Ita ſanè doctiſſimus Pithæus *lib. de Proceſſione Spiritus Sancti*; & Gerardus Voſſius *in Diſſertatione de tribus Symbolis*. (*a*) Sed bona Virorum eruditiſſimorum venia, peccat ſyſtema illud errore chronologico, eoque graviſsimo. Etenim controverſiæ illæ ſub Pipino Rege, & Carolo Magno Imperatore in Galiis agitatæ de Proceſsione Spiritus Sancti, anno duntaxat ſeptingenteſimo ſexageſimo enatæ ſunt, cum è contra Symbolum illud centum circiter annis in anteceſſum a Synodo Auguſtodunenſe laudatum eſſet; ut a Clericis memoriæ ſedulò mandari juberetur.

Nonnulli a Vigilio Tapſenſi in Affrica Epiſcopo Symbolum iſtud ſcriptum exiſtimant; dum Conſtantinopoli exularet ſub quinti ſæculi finem; ubi cum audiiſſet, quantas ſtrages in Affrica ageret Hæreſis Ariana, & quo in diſcrimine verſaretur popularium ſuorum Fides, paſtoralis officii partes eſſe exiſtimavit, periclitan-

(*a*) Vide Natal. Alex. Tom. 4. Hiſt. Eccleſ. Pariſiis editæ anno 1730.

ti populo ſuo ſuppetias ferre, ſimplicioribuſque Chriſtianis eam Fidei profeſsionem ob oculos ponere: nec illos adverſus Arianæ ſectæ perfidiam duntaxat communire; ſed etiam adverſus Neſtorianam, & Eutychianam, quæ jam longè latèque graſſabantur. Ideo autem illam expoſitionem, Fidem Athanaſii nominavit, quod ſummam Athanaſianæ Fidei contineret; & ne de condita hujus Fidei formula in ſuſpicionem apud Hæreticos deveniret, ac propterea in certiſsimum vitæ diſcrimen adduceretur. Ita vir eruditus Quenellius *diſertatione* 14. *in opera S. Leonis*; (*a*) & Natalis Alexander in Synopſis quarti ſæculi *cap. 6.* qui ea ad id conjectandum ratione ducuntur, quod Vigilio huic admodum familiare eſſet, ut quæ ſcribebat Opuſcula, ſæviente Vandalorum perſecutione, ea non ſuo, ſed ſub antiquorum Patrum nomine emitteret. Unde etiam Dialogum adverſus Arianos, Sabellianos, & Photinianos ſub S. Athanaſii nomine ſcripſit, ubi Athanaſium cum Ario, Sabellio, & Photino coram judice Probo diſputantem inducit. Quare nil mirum, ſi idem in iſto edendo Symbolo obſervaſſet; & Fidem Athanaſii in titulo nuncupaſſet.

Id certè a Viris doctiſſimis prudenter excogitatum exiſtimo. Nihil enim aut in nota temporum, aut in perſonarum conditione peccatum in ea conjectura video. Sed interim conjectura eſt, nullo efficaci argumento nixa, nullo manuſcripto codice comprobata. Quamobrem de lata illa Quæſtione confidentiſſimè pronunciarim, tam certum eſſe, Athanaſii non eſſe Symbolum illud, quàm, cujus ſit, incertum.

DI-

(*a*) Apud Natal. Alex. Tom. 4. Hiſt. Eccleſ. Pariſiis editæ Anno 1730.

DISPUTATIO TERTIA.

PRÆLECTIO I.

De Regulis Fidei, ac primo de Scriptura Sacra, quæ omnium eſt regula prima.

ALteram ſuſceptæ Tractationis noſtræ de Fide partem attigimus, omnium maximam, in qua nobis eſt de Regulis Fidei prolixè admodum diſputandum. Fidei Regulas, quibus tamquam immoto & inconcuſſo fundamento nituntur quæcumque Fide divina credenda ſunt nobis, duplicis generis univerſi Theologi ponunt: alias quidem inanimatas ac mortuas; alias viventes, ſpirantes, & animatas. Mortuæ & inanimatæ Fidei Regulæ ſunt Scriptura ſacra, atque Traditio: Vivens, ſpirans, & animata Fidei Regula, Eccleſia eſt, quovis tandem modo credenda definiat: ſeu illa in Concilium coacta de Fide pronunciet, ſeu ſupremi illius Hierarchæ Romani Pontificis ore decernat. De ſingulis ergo Fidei Regulis dicendum venit ordine ſuo: ac primò quidem de Scriptura ſacra, quæ prima omnium Fidei Regula eſt; a qua etiam pendent aliæ, ſuamque quantam habent auctoritatem mutuantur, & probant.

Quia tamen immenſi moliminis eſſet, de Scriptura ſacra dicere univerſim; nec eam poſſemus tentare aleam niſi falce, ut ajunt, in alienam meſſem immiſſa: (alterius quippe Profeſſoris officium iſtud eſt) ad id nos unicè revocabimus, quod noſtri maximè muneris eſt, nec poſſemus citra piaculum, indictum relinquere. Quodnam illud? *Divina Scripturæ Sacræ Inſpiratio*; qua nimirum effectum eſt, ut Scriptura prima Fidei noſtræ Regula ſit. Nec enim alio titulo habent ſacri illi libri, ut indeficienti, ac ſuprema auctoritate fidem Catholicam firment, quam quia Deo inſpirante, atque afflante conſcripti ſunt.

De Divina itaque ſacræ Scripturæ inſpiratione dicturus, varios ea de re variè ſentientes obſervo, cum quibus futura mihi eſt diſputatio. Primi in ordine veniunt Athei atque Gentiles, qui divinam Scripturæ ſacræ utriuſque Teſtamenti inſpirationem diffitentur; eoſque omnes libros humana duntaxat

in-

Digitized by Google

induſtria, imo inſigni fraude & improbitate conſcriptos calumniantur.

Succedunt ſecundo in ordine Judæi, qui licet veteris Teſtamenti divinam inſpirationem agnoſcant, novi tamen Teſtamenti inſpirationem perfractè negant.

Sequuntur Proteſtantes bene multi, atque in iis maxime Grotius, Epiſcopius, Spinoſa: qui tametſi Scriptores ſacros utriuſque Teſtamenti a Deo afflatos agnoſcant, in rebus ſacris & ad religionem ſtabiliendam neceſſariis conſcribendis; minimè tamen in aliis ad humanam hiſtoriam, ſcientiaſque naturales attinentibus, quas ex occaſione attingunt: adeo ut in iis ſcribendis ſuo ipſorum genio relicti ſæpius aberraverint.

Iis junguntur proximè è Catholicorum cætu nonnulli, maximè vero Leonardus Leſſius, Joannes Hamelius, Cornelius a Lapide, Richardus Simonius: qui licet Scriptores ſacros nuſpiam vel in minimis etiam naturalibus enarrandis aberraſſe fateantur; illos tamen ſpecialiter afflatos & inſpiratos a Deo negant in iis ſcribendis hiſtoriis, factiſque narrandis, quæ vel per ſeſe noverant, vel probatorum teſtium narratione, & ſuffragatione didicerant.

Ordine ultimo veniunt Theologi plerique non infimæ notæ, Sixtus Senenſis, Melchior Cano, Andreas Vega, Robertus Bellarminus, Gravina, Gonetus; qui univerſa quidem ſacris in Litteris contenta, cujuſvis tandem generis illa ſint, a Deo ſingulariter inſpirata contendunt, quoad ſenſum atque ſubſtantiam, ut ajunt, narrationis; minimè tamen quoad verba diſtincta & individua, quæ ſæpius, ut ipſi quidem exiſtimant, Scriptorum ſacrorum induſtriæ relicta ſunt.

His igitur obſervatis, ut divinam ſacrarum Scripturarum inſpirationem defendam ordine debito, contra Gentiles certamen inſtituam omnium primo, qui divinam utriuſque Teſtamenti inſpirationem diffitentur. In quibus tamen impugnandis ac refellendis ſummatim, ac ſtrictim duntaxat agam: momentaque rationum duntaxat ſeptem indicabo; eaque non urgebo, non proſequar, ſed vobis potius in ſeceſſu meditanda relinquam.

Momentum itaque probationis primum contra Gentiles, iſtud eſto. Libri illi nonniſi divina inſpiratione, divinoque afflatu ſunt ſcripti, qui infinita continent futurorum contingentium, ac liberorum prænuncia vaticinia, quæ reipſa tandem impleta ſunt, ut fuerant prænunciata. Cum enim ſolus Deus ea futura prænoſſe certo poſſit, Juxta illud celebratum effatum, *Nunciatæ quæ futura ſunt nobis, & dicemus, quia Dii eſtis vos:* Eos Scriptores a Deo afflatos & inſpiratos fuiſſe neceſſe eſt, qui hujuſmodi futura, certo, ac diu antequam contingerent, prænunciarunt. Hujuſmodi ve-

verò ſunt veteris Teſtamenti libri fermè omnes, a Geneſi ad poſtremos uſque Prophetas; in quibus infinita extant vaticinia, quæ ſuum tandem exitum habuerunt.

Neque reponere juvat, potuiſſe etiam Angelos malos futura prænunciaſſe; atque ita potuiſſe Scriptores illos veteris Teſtamenti, ex illorum afflatu atque inſpiratione futura illa omnia prænunciare. Abſit. Quamquam enim poſſint Angeli mali naturali acumine ingenii, futura nonnulla prænoſſe, ex cauſſis neceſſariis oritura; non ea tamen, quæ ex cauſſis omnino liberis orientur; eaque multo minus, quæ ex uno Dei Optimi Maximi nutu atque arbitrio pendent, qualia multa ſunt in veteri Teſtamento prænunciata.

Momentum probationis alterum divinæ Inſpirationis iſtud habetote pro libris ſaltem veteris Teſtamenti. Libri veteris Teſtamenti tamquam divini, divinoque afflatu conſcripti ſemper habiti ſunt, ab eo populo, quem Deus præ cæteris elegit ſibi, quem ſingulari protectione fovit, inſtituit, docuit, informavit, beneficiiſque ingentibus cumulavit: Tales igitur libri illi ſunt, divini ſcilicet, divinoque afflatu conſcripti. Aliàs Deus huic populo illuſiſſet, quem eo in errore verſari permiſiſſet, ex quo tota illius Religio contaminata fuiſſet.

Neque obeſt ſi fortè dixeris, populum illum, quem Deus elegit ſibi, quem edocuit, quem informavit, libros novi Teſtamenti non agnoſcere uti divinos, divinaque inſpiratione conſcriptos; quin inde colligamus, libros iſtos tales eſſe, quales populus ille deprædicat. Id inquam nihilum obeſt, quia ab eo tantùm tempore cæpit populus ille novi Teſtamenti libros non agnoſcere uti divinos, ex quo a Deo reprobatus eſt, traditusque in reprobum ſenſum, ut non ultra luceat illi veritatis lumen. Ex tunc enim ſua excidit auctoritate de rebus hujuſmodi judicandi.

Tertium probationis invictæ momentum contra Gentiles iſtud accipite. Miracula atque prodigia a Moyſe, Joſue, cæteriſque Prophetis patrata; quæ probant invictè, Judaicam Religionem divinam omnino fuiſſe, Deo ſcilicet uti certo illius auctore profectam, eadem illa miracula perinde probant veteris Teſtamenti libros divinos eſſe, ac Deo afflante conſcriptos; quandoquidem Judaica Religio tales illos eſſe profitetur: Imo tota illa in eorum librorum obſervantia cultuque verſatur; alterum enim ſine altero ſtare non poteſt, planèque impoſſibile eſt, non eſſe libros illos divinos, ac Deo inſpirante conſcriptos, quos Religio divina, & a Deo profecta, uti divinos, & Deo ſpirante conſcriptos agnoſcit, colitque religioſiſſimè.

Fruſtra vero Gentiles repoſuerint ludicra omnino fuiſſe, & ad lu-

ludificandum duntaxat affiſta miracula illa atque portenta, quibus Judaicæ Religionis, ſacrorumque librorum divinitas a Moyſe, Joſue, cæteriſque Prophetis probata eſt; Fruſtra, inquam; hujus quippe generis fuere portenta, quibus impoſſibile fuit, ut infinitæ propemodum hominum multitudini illuderetur, utque videre ſe crederent homines, quæ non videbant reipſa, & experimento probare, quæ minimè experiebantur: converſæ ſcilicet in ſanguinem aquæ fluminum totius Ægypti, tenebræ Ægyptiis omnibus per dies multos offuſæ, vaſtati grandine atque locuſtis illorum agri, occiſa ab Angelo eadem nocte omnia primogenita, tam hominum, quam pecudum & brutorum. Mare rubrum virga diviſum; Populi Iſraelitici per medium maris libera trajectio; Manna per annos 40. è Cœlo delapſum; Muri Gerico ad tubarum ſonitum momento dilapſi; Sol ad multas horas medio Cœlo ſtare juſſus: aliaque id genus longè multa portenta, quibus hominum ſenſus faſcinari minimè potuerunt.

Quartò ſubinde loco, ex ſumma ſacrorum Scriptorum inter ſe conſenſione, mutuaque concordia, in tradendis ſanctioris vitæ præceptis, perſpectum fit, Scriptores illos non humano ſenſu ſtudioque fuiſſe ductos; ſed afflante divino Numine, ſuos illos Codices exaraſſe. Eccur enim Philoſophi E. G. in monſtranda virtutis via, qua ad beatitudinem capeſſendam eundum eſſet, tam immaniter a ſe invicem diſſenſere, & a Magiſtris diſcipuli, & a ſe ipſis diſcipuli abalienati ſunt? Niſi quia ut homines erant, humanis ſenſibus, & humanis ratiocinationibus ducebantur; captandæ gloriæ ſtudio tumidi, quis altero ſapientior, atque acutior haberetur. Niſi ergo Deo ſpecialiter afflante, ac dirigente, Codices ſuos exaraſſent Scriptores ſacri; certè ut erant a ſe invicem & loco, & tempore diſſiti, nullamque ſecum invicem collationem habuerant; nuſquam mira illa conſenſione, atque concordia in eandem ſententiam conſpiraſſent.

Momentum probationis quintum petitur ex ſanctiſſimis Legibus, atque Præceptis, quæ in utriuſque Teſtamenti libris continentur. Cum enim Dei, qui hominem condidit, omnino ſit, eumdem ad finem ſuum ultimum, & ſupernaturalem dirigere, qui non alius ab ipſo Deo eſt; Scripturas illas a Deo datas eſſe neceſſe eſt, quæ Leges, ac Præcepta hujuſmodi tradunt rectè vivendi, ad Deum tendendi, illique adhærendi, quæ humana Philoſophia non tradit. Cum enim Philoſophorum quidam dixerint, *mihi frui mea carne bonum eſt;* alii; *mihi frui mea mente bonum eſt;* alii; *mihi frui meis divitiis bonum eſt:* Illi ſoli, qui a Deo vel intus docente, vel per Legem Moſaicam, aut Evangelicam erudiente illuminati ſunt, dicere potuere: *Mihi adhærere Deo bonum eſt.*

Mo-

Momentum ſextum petitur ex conditione virorum illorum, qui libros illos conſcripſere. Ex ipſa enim ſcribendi ratione perſpectum eſt, fuiſſe illos magna ex parte viros ſimplices, ac minimè malos, nulla ad decipiendum, fallendumque arte inſtructos: fuiſſe illos magna ex parte a prima pueritia rudes, incultos, illitteratos, paſtores, artifices, tabernarios, piſcatores, qui cœleſtem ac planè divinam, quam libris ſuis inſeruere doctrinam, proprio marte confingere, & comminiſci nequiviſſent, niſi eis divinitus ſtillata, & inſpirata fuiſſet.

Probat id demum Scriptorum illorum benè plurium finis, & exitus: Mors ſcilicet ab iis fortiter tolerata, ut veritates, quas ſcripto tradiderant, inter mille ſupplicia tuerentur. Quod uti naturæ vires longè ſuperat, divinitus datum æſtimare par eſt.

His certè momentis ſummatim perſtrictis, librorum canonicorum divina inſpiratio in aperto ponitur, quantum ad homines ratione utentes convincendos ſatis ſit. Videndum modò, quas in oppoſitum nebulas offundant impii, ut divinam librorum illorum inſpirationem inficientur: Quod erit ſubſequentis Prælectionis argumentum.

PRÆLECTIO II.

Adverſariorum Momenta diluuntur.

CUm poſtremas Prælectiones noſtras haberemus, eo noſtra devenerat diſputatio, ut de Scriptura Sacra, tanquam de prima Fidei noſtræ regula diceremus; ſpeciatim vero de Divina illius inſpiratione, qua factum eſt, ut Scriptura ſacra utriuſque Teſtamenti Fidei noſtræ inviolata regula ſit. Hanc porro Divinam Inſpirationem, cum jam ſatis ſuperque adverſus quoſcumque illius oppugnatores probaverimus; illud unum nobis modò priſtino officio reſtitutis reliquum eſt, ut Adverſariorum momentis occurramus.

Quia tamen non una omnes Adverſarii procedunt via, in impugnanda Sacrarum Scripturarum divina Inſpiratione; imò non omnes earundem Scripturarum inſpirationem oppugnant, ſed alii alios inſpiratos diffitentur, iccirco ſeorſim illos ac ſeparatim ad audientiam advocabimus; ut quid illis malus genius contra Divinam Scripturarum Inſpirationem afflavit, liberè proferant.

Prodeunt itaque omnium primi Gentiles, qui Divinam utriuſque Teſtamenti Inſpirationem, maximè autem veteris oppugnant. Quocirca exprobant illi omnium primò Scripturarum veteris Teſtamenti obſcuritatem; quæ talis & tanta eſt, ut in iis intelligendis & explicandis Delio ſemper natatore ſit opus: quæ certè obſcuritas, inquiunt illi, minimè contigiſſet, ſi qui eos ſcripſere libros, Deo inſpirante atque afflante ſcripſiſſent: maximè cum Deus noſter lux eſſe dicatur, in qua tenebræ non ſunt ullæ.

Miror ego, Gentiles eam nobis Scripturarum noſtrarum obſcuritatem objicere, quaſi quæ Dei inſpirantis, ac revelantis veracitatem, ac dignitatem minimè deceat: cum ii potius Deorum ſuorum oracula obſcuriſſima, impeditiſſimaque eſſe fateantur, eamque obſcuritatem in Deorum ſuorum laude ponant: quaſi ſemper in myſterio, & in ænigmate loqui debeant Dii ſui; ut vel hoc pacto dictis ſuis & pronunciatis admirabilitatem concilient. Utcumque tamen res ipſa ſit, de Scripturis noſtris veteris Teſtamenti illud fateantur oportet Gentiles, nihil eas obſcuritatis habere, in tradendis regulis morum, Fideique dogmatibus proferendis, quæ ab omnibus expreſsè atque diſtinctè teneri debeant de neceſſitate ſalutis. De cætero ſi quam in aliis obſcuritatem

habent

habent ſacræ Litteræ Veteris Teſtamenti, hanc ab initio non habuere, cum primùm Deo inſpirante atque afflante ſunt exaratæ, ſed ſecutis inde temporibus obſcuræ nobis evaſerunt: idque multiplici ex capite, quod exponere modò convenit.

Primò: Quia lingua Hæbraica, qua primò ſcripti ſunt Libri veteris Teſtamenti, ingentem poſtea mutationem paſſa eſt in Babylonica captivitate, adeo ut deinceps vernacula Judæis ipſis eſſe deſierit. Quo fato longè multa, quæ primùm clara, pervia, nitida legentibus erant, obſcura ipſis quoque Judæis evaſerunt ob idiomatis mutationem.

Secundò: Quia lingua Hæbraica ex prima ſui origine litteris vocalibus caret, ſoliſque conſtat conſonantibus; adeo ut in arbitrio lectoris ſit, quaſcumque libet vocales adjungere, ut litteras conſonantes pronunciare poſſit. Ex variarum autem vocalium additione, diverſa prorſus vox efformatur, diverſam habens ſignificationem. Exempli gratia, tres iſtæ litteræ conſonantes, *Dalet*, *Beth*, *Rech*, hoc eſt *D. B. R.* ſolæ ſunt exaratæ in textu Hæbraico *Jeremiæ cap.* 10. ſi conſonantibus illis *D. B. R.* vocalem *A* bis interſeras, legaſque *Dabar* vox illa *ſermonem* ſignificabit: ſi vocalem *E* bis interſeras, legaſque *Deber* vox illa *mortem* ſignificabit: ſi autem vocalem *A* & *E* interſeras, legaſque *Daber*, ſignificabit *loquere*. Hinc ingens ille ſacrorum Interpretum labor in figenda Hæbraicarum vocum ſignificatione, dum primigenium textum Hæbraicum, Græcè, aut Latinè reddunt: cum varia plerumque ſignificatio pendeat ex vocalium additione, quæ Interpretum arbitrio relicta eſt. Hac arte abuſi ſunt Hebræi poſterioris ævi, ut nobis ſplendidiſſimum eriperent propheticum Oraculum de Chriſto Domino Crucifixo, *foderunt manus meas, & pedes meos Pſal.* 21. Cum enim *Foderunt* legamus nos, quia in Hæbraico Textu legimus *Charù* additis ſcilicet vocalibus *A* & *U.* illi inſigni fraude, additis aliis vocalibus *Chaari* legunt, hoc eſt *ſicut Leo*, unde totus Prophetiæ ſenſus invertitur: *ſicut Leo manus meas & pedes meos*. Sed de his aliàs.

Tertiò: Obſcuri nobis veteris Teſtamenti libri ſecutis temporibus evaſerunt, propterea quòd ab eo tempore, quo ſcripti ſunt, mutata ſint regionum bene plurium, urbium, fluminum, animantium, arborum nomina: ea quippe mutatione factum eſt, ut, de quibus ſæpiſſime ſermo fiat, vix intelligamus.

Quartò: Obſcuræ nobis ſecutis temporibus evaſerunt Veteris Teſtamenti Scripturæ, quia antiquati ſunt bene multi Judæorum ritus, & uſus, praxes, & conſuetudines immutatæ, ex quarum tamen notitia variorum Scripturæ Oraculorum intelligentia pendet. Quod ne gratis a me dictum putetur, cum ſexcenta

exempla dare facilè foret, unicum dabo, ex quo cætera noſſe liceat.

Noſtis omnes, quam ſint frequentes in Veteri Teſtamento loquendi formulæ, in quibus *portæ*, *portarumque* vocabulum uſurpatur. *Pſal.* 126. *Non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta. Pſal.* 68. *adverſum me loquebantur, qui ſedebant in porta: Proverb.* 31. *laudent eam in portis opera ejus. Job.* 31. *Cum viderem me in porta ſuperiorem*; & alibi ſæpe *portæ*, *portarumque* vocabulum in proverbium venit. An non ſunt hæc Sfingis Thebanæ ænigmatibus obſcuriora? Clareſcunt tamen ubi novimus fuiſſe olim apud Judæos in more poſitum, ut ſuprema Tribunalia, in quibus ſeniores Viri Judices judicia publica exercebant, Juſtitiamque pro poteſtate adminiſtrabant, in portis Civitatum conſtituerent. Quemadmodum ſecutis inde temporibus Romani eadem illa tribunalia in foro publico, ubi nundinæ fierent, reſque venales proſtabant, conſtituerunt. Quare quemadmodum Romani tribunalia illa, ex loco ubi tandem poſita ſunt, *forum* de more vocitarunt: Ita Judæi ex locis in quibus ſua conſtituerant tribunalia illa ipſa *portam*, *portaſque* vocabant. En vobis ſolutas illas, explicataſque phraſes ænigmaticas, quæ non alios poſſunt malè torquere, niſi qui priſcos Judæorum uſus ignorent. Nec dubitandum, quin ſexcentæ veteris Teſtamenti loquendi formulæ, quæ ex prima facie obſcuræ videntur, momento clareſcerent, ſi priſcos Judæorum ritus, praxes & uſus notiſſimos haberemus.

Non itaque obſcuræ ſunt Sacræ Scripturæ Veteris Teſtamenti, quòd illis Deus non inſpiraverit, non dictaverit, ſed quòd priſcos Judæorum ritus, praxes, & uſus ignoremus.

Altera Gentilium, & Manichæorum objectio contra Divinam Veteris Teſtamenti inſpirationem ex eo petitur, quod multa indigna Deo contineat vetus Teſtamentum, quæque fabulam redoleant potius, quàm veram hiſtoriam.

Quia tamen magni moliminis eſſet ſingula percenſere, atque diſſoluere, ea ſolùm attingam, quæ primo, & ſecundo capite Geneſeos, tanquam fabuloſa, Deoque prorſus indigna judicantur a Sacrarum Scripturarum oſoribus.

Primò ergo Serpentis cum Eva collocutio ſugillatur: quæ iis iccirco fabuloſa videtur & commentitia, quod brutum animal ratione deſtitutum Mulierem alloqui omnino nequiverit.

At ſi advertiſſent imprudentes, Serpentem Mulieris tentatorem Dæmonis arte locutum, fabuloſam certè non reputaſſent hanc Serpentis collocutionem cum Eva: nam uti per Energumenos peregrinis quandoque idiomatibus loquitur Diabolus, eorum linguam movendo; ita & per beſtiarum ora Dæmon idem loqui poteſt, aut

aut etiam bonus Angelus earum linguas ad voces efformandas aptè movendo; uti per Aſinæ linguam locutum Angelum Scriptura prodit *Numerorum* 22. Sed de his fusè diſputavimus, ubi de tentatione Primorum Parentum ſermonem habuimus.

Secundò: inflicta pœna Serpenti, ob præſtitum Diabolo miniſterium ad tentandam Evam, tamquam injuſta & inepta reprehenditur: Injuſta, quia uti ratione deſtitutum animal non peccat, ita caſtigari non debet. Inepta, quia proreptatio ſupra pectus illius naturalis cum eſſet, pro pœna infligi illi non debuit.

At nil planè quicquam ex hoc fictitii, ac fabuloſi ab iis extundi poteſt. Quantumvis enim brutum animal utpote ratione deſtitutum in reatum nullum incurrere poſsit; nihilo tamen minus in majorem ſceleris execrationem pœnæ interdum ſubeundæ imponuntur, uti clariſsimo liquet exemplo *Levitici cap.* 20. *verſ.* 15. *Qui cum jumento & pecore cojerit*, inquit Deus, *morte moriatur: pecus quoque occidite*; atque ita & pœna ſerpenti, ad majorem ſceleris a primis Parentibus commiſsi deteſtationem, inflicta fuit.

Tertiò: Arbor Scientiæ boni & mali, ut fabula deridetur, quia effectus ſpiritualis a cauſa corporea produci minimè poteſt. Nec minus feliciter conjectantur, qui id effutiunt.

Non enim ex indita conferendæ ſcientiæ naturali virtute nomen accepit hæc Arbor; ſed ab eventu primis Parentibus conſecuto id nominis habuit. Quia Protoparentes ex ea contra Divinum præceptum edendo, e priſtino ſtatu deciderunt, factæque ſibi a Deo interminationis veritatem agnoverunt, *in quacumque die comederitis, morte moriemini*.

Quartò tandem: Quatuor illa Flumina e Paradiſo Terreſtri primùm egreſſa perinde fabulis accenſentur. Quomodo enim poteſt, ajunt iſti, Phiſon ſeu Ganges, Gehon ſeu Nilus, Tigris, & Euphrates, quibus ſua nunc ſuperſunt primigenia nomina, contrariis alveis defluere? Quomodo fabuloſum iis eſſe videtur, decurrere poſſe Gangem in intima India ab Euphrate, & Tigris ultra quam dici poteſt remotiſſimè? Commentitium perinde, Nilum in extrema Africa, ab Auſtro in Septentrionem? Euphratem autem & Tigridem a Septentrione in Auſtrum decurrere?

At neque ex hoc contrariorum Alveorum defluxu fabuloſi quicquam extunderent, ſi cum Theodoreto obſervarent *Interrogatione* 32. *in Geneſim*, per Diluvium iſtorum fluminum origines & alveos priſtino ſuo loco motos eſſe: alioque demum fluere, quam primitus cæperunt. Sed non eſt cur in his fuſius immoremur, dum *in Tractatu de Paradiſo Terreſtri* ſatis, & abundè de his omnibus diſſeruimus.

Ea

Ea itaque ſtatione dimiſſa, utpote iniquiori, ac malè tuta; aliò ſe recipiunt miſeri recutiti, ut Divinam ſacrarum Scripturarum inſpirationem impugnent.

Ajunt enim, credi minimè poſſe, libros veteris Teſtamenti fuiſſe a Deo ſacris Scriptoribus inſpiratos, cum in hiſce tot & tanta nefanda ſcelera referantur. Lothi & Judæ inceſtus: Noemi ebrietas: Davidis adulterium & homicidium: Salomonis libidines & idololatria; Patriarcharum poligamia; Abrahæ & Jacobi mendacia; aliaque longè multa.

Addunt etiam in deſperatæ cauſæ præſidium, quod in Veteri Teſtamento Chriſtus & Sancti Martyres maledicuntur: *ad Galath.* 3. *verſ.* 13. *Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Maledicuntur & Virgines. *Deut.* 25. *Maledictus omnis, qui non ſuſcitaverit ſemen in Iſrael.*

Non eſt tamen difficile utrumque refellere: Ad id ergo, quod primo loco poſitum eſt, dico, quod alia referuntur ſacris in Litteris, ut apertè damnentur: alia referuntur duntaxat, nec tamen damnantur. Proindeque, ſi qui ea nefanda ſcelera perpetrarunt, alicubi ſacris in Litteris commendantur, laudantur, celebrantur; non ob ea certè laudantur, ſed ob alia ab iiſdem geſta, quibus tandem hi meruerunt. Stoliditatis igitur genus eſt, libros veteris Teſtamenti ex hac parte uti fabuloſos reſpuere.

Quod vero ad ſecundum objectionis caput pertinet; Reſponſio in promptu eſt, nimirum maledictum eſſe, qui pendet in ligno in ſuorum ſcelerum pœnam; non eum qui pendet, ut alienorum ſcelerum pœnam luat, ut Chriſtus; aut ut teſtimonium perhibeat veritatis, ut Martyres.

Similiter etiam maledictum eſſe, qui non ſuſcitaverit ſemen in Iſrael odio propagationis ſeminis a Deo benedicti, ut fecit Onara; non qui non ſuſcitaverit ſtudio caſtitatis, ut fecere Prophetæ benè multi.

Ex quibus omnibus liquet, quàm turpiter illi fallantur & fallant, qui ſacros Veteris Teſtamenti libros, uti fabuloſos, & commentitios oſtentant.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO III.

Libri Veteris Teſtamenti propugnantur contra Fauſtum, & Adimantum Manichæos.

HIs ſolutis argumentis, quibus Gentiles divinam Veteris Teſtamenti inſpirationem ſoliti ſunt oppugnare: ad ea nunc argumenta diluenda progredimur, quibus Fauſtus & Adimantus omnium Manichæorum ſtultiſſimi hoc idem vetus Teſtamentum, non modò non inſpiratum a Deo Optimo Maximo, contendebant; ſed a malo genio, imò ab altero Deo natura ſua malo, atque crudeli inſpiratum, impiiſſimè blaſphemarunt. Hæc ſunt numero nimis multa a Fauſto & Adimanto undecumque corraſa, quibus diſtinctè reponere præ temporis anguſtia non poſſumus; iccirco ſex tantum, aut ſeptem ex iis omnibus ſeligemus, quibus pro modulo noſtro tenebimur ſatisfacere; Cæterorum vero ſolutionem apud Auguſtinum quærendam relinquemus, qui totam illam ineptiſſimorum argumentorum farraginem confutavit libris bene multis contra Fauſtum Manichæum adornatis.

Primum igitur momentum repetunt Manichæi, quod Deus Veteris Teſtamenti auctor & conditor furtum præceperit *Exodi* 2. juſſeritque Ægyptios prætioſiſsima ſua ſupellectili ſpoliari, dum Filiis Iſraelis juſsit, ut ab Ægyptiis mutuo acciperent vaſa aurea & argentea.

Ad cujus reſolutionem reſpondeo; furtum minimè fuiſſe illud a Deo præceptum; tum quòd juſta illa fuerit laborum merces & compenſatio; tum quòd cum ſit Deus ſummus bonorum omnium Dominus, pro arbitrio potuit, illorum dominium ab Ægyptiis ad Iſraelitas transferre. Proindeque nil quicquam contra Divinam Librorum veteris Teſtamenti inſpirationem extundere poſſunt.

Secundum dein repetunt momentum ex eo quod Deus in hiſcè libris injuriarum acceptarum vindictam fieri juſſerit, modò fieret ad æqualitatem: *Exodi* 21. *Oculum pro oculo*, *dentem pro dente*, *manum pro manu*, *pedem pro pede*, quod certè legi charitatis repugnat.

At non advertunt imprudentes, non fuiſſe eo loci præceptam vindictam, ſed poſitum fuiſſe vindictæ modum, ne ſcilicet ultra men-

menſuram fieret, quandocumque fieret; & hoc ad duritiem cordis reprimendam fuiſſe præceptum.

Tertium petunt ex eo quod Veteris Teſtamenti Deus, immani planè crudelitate delendos, occidendoſque ad unum juſſerit Amorræos, Phereſæos, Chananæos, Jebuſæos, alioſque Terræ promiſſæ populos, qui nihil unquam Judæis mali intulerunt. *Exodi* 23.

Sed hujuſce næniæ confutationi ſatis eſt ſi dicamus, Deum utpote vitæ & mortis arbitrum, ita præcipere potuiſſe in pœnam Idololatriæ, aliorumque nefandorum criminum, quibus populi illi omnes immerſi fuerant: etſi fortè nullam illi Iſraelitis injuriam intuliſſent; unde Iſraelitæ fuerunt divinæ tantum juſtitiæ adminiſtri innocentiſsimi.

Paris inſulſitatis eſt aliud, quod deſumunt, momentum ex eo, quod peccata Patrum ad tertiam uſque, & quartam generationem caſtiget in filiis. *Exod.* 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, viſitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me*: quod certè ingentis crudelitatis eſt, & legibus æquitatis planè repugnat. Deus enim caſtigat peccata Patrum in filiis, qui eandem parentum perverſitatem imitari voluerint. Non eſt cur igitur quidquam ex eo Oraculo contra Divinam Librorum veteris Teſtamenti inſpirationem deſumant.

Inquient fortaſſe: ſi de filiis ergo in parentum perverſitate perſeverantibus illud oraculum intelligi debeat, cur non peccata caſtigari dicuntur in filiis uſque ad centeſimam generationem & ultra; cum ſi vel centeſima filiorum generatio in parentum perverſitate perſeveret, ea perinde caſtigetur?

In promptu reſponſio eſt. Sic certè fit, & ad centeſimam uſque generationem & ultra filii paternæ iniquitatis imitatores a Deo juſto Judice caſtigantur; tertia tamen, & quarta generatio in eo Dei Oraculo notatur tanquam terminus vagus & indefinitus; proindeque ineptiſsimum eſt ex eo Divino contextu, Deum crudelem dicere, & contra æquitatis leges operantem.

Quintum & ultimum ex eo delibant momentum, quod habetur *Amoſi* 3. *Si erit malum in Civitate, quod Dominus non fecerit*. Et *Iſaiæ* 45. *Ego Dominus . . . . . faciens pacem, & creans malum*. Quibus verbis ſe omnis mali auctorem profitetur Deus veteris Teſtamenti auctor & conditor: cui addere ſolent celebre illud Apoſtoli dictum 2. *ad Corint. cap.* 12. ubi vetus Teſtamentum *miniſtratio mortis & damnationis* appellatur.

Facilè tamen eſt utrumque refellere. Ad primum enim dico, loca illa non de malo culpæ, ſed de malo pœnæ eſſe intelligenda; præ-

præter quam quòd hæc ipſa mala pœnæ non infert ipſe per ſeſe, ſed per accidens & cauſa noſtri: cum de ſe ſit ipſe bonus, de noſtro juſtus. Ad ſecundum reſpondeo tale quidem fuiſſe vetus Teſtamentum, non per ſeſe, ſed ex Occaſione: quia lex Vetus non ad peccatum impellebat, ſed humana cupiditas occaſione accepta ex lege peccati malitiam oſtendente, gratiamque minimè conferente magis excitabatur & irritabatur. Ita Auguſtinus *lib.* 2. *contra Adverſarium legis & Prophetarum cap.* 7.

Certum ſit igitur, indubitatumque, libros Veteris Teſtamenti fuiſſe à Deo ſacris illorum Scriptoribus inſpiratos. Nunc illi mihi ex adverſo refellendi veniunt, qui divinam librorum Novi Teſtamenti authoritatem, prout poſſunt, impugnant. Hos Exercitatione proxima pro ſuis meritis exagitabimus.

Digitized by Google

PRÆLECTIO IV.

Quid Judæi adverſus divinam auctoritatem, atque Inſpirationem librorum Novi Teſtamenti, objicere ſoleant?

CUm Veteris Teſtamenti libros divina auctoritate pollere, Deoque afflante, & aſpirante fuiſſe conſcriptos, Judæi una nobiſcum firmiſſimè teneant; nullo meliori graviorique momento pugnare ſe poſſe arbitrantur, ut novi Teſtamenti libros Divina auctoritate exuant, ac ſine Dei inſpiratione conſcriptos probent, quàm ſi iſtos illis adverſari, ac velut ex diametro repugnare nobis oſtendant. In hoc igitur totus illorum labor intentus eſt, ut eam inter duo Teſtamenta repugnantiam, ac diſſonantiam tam in moralibus, quam in phyſicis, ſeu potius hiſtoricis, productis paſſim exemplis, nobis oſtendant.

Ea nos exempla ad criſim vocabimus, novumque Teſtamentum nulla prorſus ratione cum Veteri pugnare demonſtrabimus; exordio a phyſicis ſeu potius hiſtoricis ducto, de Moralibus alio loco dicturi.

Ex *primo* itaque *Matthæi capite*, diſſonantias longè plures in medium produnt, in quibus Novum Teſtamentum cum Veteri collidere putant.

Prima diſſonantia ita ſe habet: Apud Mattheum *Cap.* 1. *Joram genuit Oziam*: 4. *autem Reg. libro Cap.* 8. *&* 11. Joram genuit Ochoſiam, Ochoſias genuit Joas, Joas genuit Amaſiam, Amaſias genuit Oziam. Tres itaque gradus genealogici apud Mattheum omittuntur.

At nec eſt illa proprii nominis diſſonantia, nec Matthei propoſitio *Joram genuit Oziam* abſolutè falſa eſt. Quia Joram ſin minùs *immediatè*, ut ajunt, at ſaltem *mediatè* Oziam genuit. Sicut enim ex Sacrarum Scripturarum formula nepotes, ac pronepotes filii dicuntur avorum, & proavorum (ut dum Chriſtus dicitur filius David; Judæi filii Abrahæ) ita avi, proavique dici poſſunt genuiſſe nepotes, ac pronepotes. *Iſaiæ* 51. *Attendite ad Abraham Patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos*, quamquam ætate Iſaiæ annos circiter mille trecentos ab Abrahamo, & Sara Judæi numerent. Cur autem tres illi intermedii progenitores à Mattheo ſilentio miſſi fuerint, Ochoſias, Joas, & Amaſias, moralis ratio eſt: quia tres illi Reges erant ex progenie Achabi: Joram enim genuit Ochoſiam ex Athalia filia Achabi: Deus au-

tem

tem Achabi progeniei maledixerat uſque ad mingentem ad parietem 3. *Reg. cap.* 22. ideòque non erant in Chriſti genealogia recenſendi. Uti planè Tribus Dan in recenſione *ſignatorum ex omni Tribu filiorum Iſrael* prætermiſſa eſt *Apocal. cap.* 7. quia hæc a Dei cultu defecerat, & ſeſe gentibus immiſcuerat; *Judicum* 18. Ideò tamen ſecuti deinceps Achabi poſteri in Chriſti genealogia ſunt recenſiti, quia Dei maledictio, filiis interminata ob peccata Patrum non protenditur ultra tertiam & quartam generationem: *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.*

Altera diſſonantia hujuſmodi eſt: Apud Mattheum *Joſias genuit Jechoniam, & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis.* Ubi duplex videtur erratum. 1. quia Joſias non genuit Jechoniam, ſed Joachin; Joachin verò genuit Jechoniam, 4. *Reg. Cap.* 24. & 25. unde gradus unus genealogicus videtur omiſſus. 2. quia Joſias occubuit ante tranſmigrationem Babylonis, *lib.* 2. *Paralip. Cap.* 34. adeoque Jechoniam & fratres ejus generare non potuit *in tranſmigratione Babylonis.*

Miſſis implexis, obſcuriſque variorum Interpretum ſolutionibus idem fermè repono, quod antea; gradum unum fuiſſe omiſſum, at juſta de cauſa, & illæſa Evangelica veritate. Juſta inquam, de cauſa, quia Joachin Joſiæ filius, & Jechoniæ, ſeu Joachini ſecundi pater, vir nequiſſimus fuit, & ob ingentia ſcelera ſepultura Aſini extra portam Civitatis ſepultus eſt, Jeremiæ *Cap.*22. *v.* 19. idcircò in Chriſti progenitorum ſerie ſilentio mittendus Mattheo viſus eſt, perinde ac Ochoſias, Joas, & Amaſias, de quibus antea dicebamus. Illæſa quoque Evangelica veritate id factum eſt: quippe ſtat ſemper, Joſiam genuiſſe Jechoniam non immediatè quidem, ut ajunt, ſed medio Joachino filio ſuo. Quæ loquendi ratio, ex Sacrarum Scripturarum uſu maximè eſt. Neque refert, ſi dixeris, Jechoniam, ſeu Joachinum ſecundum, (binomius enim fuit) haud multò meliorem fuiſſe Joachino primo patre ſuo; adeòque pari ratione fuiſſe omittendum. Ne enim omitteretur & ipſe, peculiaris ratio obſuit: quia dignitas Regum Juda ex ſtirpe David in eo finem habuit; idcircò peculiaris ipſius mentio facienda fuit. Huc adde, non deeſſe, qui putent, omiſſionem illam Joachini Joſiæ filii a Mattheo ipſo conſultò factam non eſſe, ſed Scribarum, & Amanuenſium mendum id eſſe. Teſtatur enim Faber Stapulenſis, à Joanne Maldonato laudatus, legiſſe ſe Codicem Græcum ita referentem: Joſias autem genuit *Joachin, Joachin autem genuit Jechoniam*. At num hæc veriùs peculiaris illius Scribæ audacia fuit, qui Joachinum de ſuo adjecit? Quod autem ad-

ditur a Mattheo *in tranſmigratione Babylonis* non refertur ad *genuit*, quaſi Joſias genuerit Jechoniam, etiam medio Joachino, in tranſmigratione Babylonis: obierat enim diù ante, quam tranſmigratio fieret: ſed refertur ad *Jechoniam*, *& fratres ejus*, quaſi dicat: Joſias genuit Jechoniam, & fratres ejus, qui fuerunt in tranſmigratione Babylonis.

Tertia diſſonantia, quam produnt, hæc eſt. Legimus apud Mattheum: *Et poſt tranſmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel:* Jeremiæ verò *Cap.* 22. *v.* 30. Jechoniam ſterilem legimus: *Pone*, inquit, *virum iſtum ſterilem*; Quomodo ergo genuit Salathielem? Rurſus *apud Lucam cap.* 3. Salathielem legimus Neri filium: *Salathiel*, *qui fuit Neri*. Demum *lib.* 2. *Paralip. cap.* 35. Salathiel genitus dicitur in ipſa tranſmigratione Babylonis: non itaque poſt tranſmigrationem.

Ad Singula Capita reſponſio in promptu eſt. In primis enim Jechonias abſolutè ſterilis dictus non eſt, cum multos habuerit filios *lib.* 1. *Paralip. cap.* 3. *v.* 17. recenſitos, ac ipſum, de quo hic agitur, Salathielem; ſed moraliter, ut ita dicam, quod nullos de ſtirpe ſua Regni hæredes, & ſucceſſores habuerit; quod ex ipſis Jeremiæ verbis liquet apertè: *Scribe virum iſtum ſterilem*, *virum*, qui *in diebus ſuis non proſperabitur: nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedet ſuper ſolium David*, *& poteſtatem habeat ultra in Judea*. Ad ſecundum reponunt nonnulli, Salathielem de quo Lucas, alium eſſe ab eo, de quo Mattheus. Ille enim, inquiunt, filius fuit Neri a Davide deſcendens per Nathanem; iſte filius Jechoniæ a Davide deſcendens per Salomonem. At ſi ſic eſt, nullo jam certo documento evincemus Chriſti progenitores a Luca notatos, infra Salathielem, a Davide etiam per Salomonem eſſet oriturus, *Reg.* 2. *cap.* 7. quare reponunt alii, Salathielem, de quo Mattheus, eundem ac illum eſſe, de quo Lucas; filium tamen natura fuiſſe Jechoniæ, adoptione verò filium Neri; quòd mortuo Jechonia vero illius parente, a Nerio fuiſſet adoptatus: adeoque Lucam adoptionem ſpectaſſe potius, quam naturam. Quod quis credat? Alii demum Salathielem Neri filium, ſeu potius nepotem dicunt ex parte matris; quòd hæc Neri filia eſſet. At cur, quæſo, Lucas relicto patre ad maternum genus lineam genealogicam detorſiſſet? Quare veriùs repoſuerim ego, Salathielem ſecundùm naturam filium fuiſſe Jechoniæ; ſecundùm legem Leviratus filium Neri: quòd Nerio ſine liberis extincto, Jechonias cognatus ejus relictam illius viduam uxorem duxerit, e qua Salathielem ſuſcepit. Tertium antilogiæ caput levius eſt, quàm ut quemquam morari poſſit: Mattheus enim Salathielem genitum ſcribens *poſt tranſmigrationem Babylonis*, eo nomine actum

ipſum

ipſum intellexit tranſmigrandi e Judæa in Babylonem: Auctor vero *lib.* 2. *Paralip.* in ipſa tranſmigratione genitum ſcribens, totum tempus intellexit commorationis in Babylone, quæ annos ſeptuaginta perduravit. Per id enim temporis Jechonias genuit Salathielem. Non itaque invicem collidunt Mattheus, & Scriptor Paralipomenon.

Quarta diſſonantia hæc eſt. Apud Matthæum *Salathiel genuit Zorobabel*. Contra vero *lib.* 1. *Paralip. cap.* 3. Zorobabel fuit filius Pedajæ, non Salathielis.

Sic ſane: Verùm Zorobabel, de quo ſermo eſt *lib.* 1. *Paralip.* alius longe eſt ab eo, de quo ſermo eſt in genealogia Salvatoris. Quare nil mirum, ſi alius ei pater aſſignetur. Zorobabel, de quo Mattheus ille ipſe eſt, de quo ſermo eſt apud Eſdram, & Aggæam, qui ſemper Salathielis filius nuncupatur. 1. *Eſdræ cap.* 3. *v.* 2. *&* 8. *Cap.* 5. *v.* 1. *Aggeæ Cap.* 1. *v.* 12. *Cap.* 2. *v.* 3. Certè duorum Zorobabelium diſtinctio maximè patet, quod illis diverſi aſſignentur filii. Zorobabelis enim Evangelici filius dicitur Abiud: Alterius Zorobabelis filii dicuntur Mozola, & Hanania, *lib.* 1. *Paralip. cap.* 3.

Quinta diſſonantia. Apud Lucam proximos Chriſti avos ita notatos legimus: *Qui fuit Heli*, *qui fuit Mathat*, *qui fuit Levi*, *qui fuit Melchi*. Nonnulli tamen Patres, Gregorius Nazianzenus, Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, interdum duobus mediis prætermiſſis, ita ſimpliciter legunt: *qui fuit Heli*, *qui fuit Melchi*.

Sit ita vero: Ergo ne Lucas in vitio eſt, ſi qui fortè Patres aliquando aliter legerint? Aut etiam, ſi ſuperis placet, ex Patribus Evangelium emendabimus, ac non potius Patres ex Evangelio? Si qui ergo alicubi legerunt aliter, nonnulloſque inter ſcribendum genealogicos gradus prætermiſere; id, vel oſcitantia factum eſt, vel quod in mendoſos fortaſsè Codices, ſi qui tamen ſunt. hoc in capite, inciderint aliquando.

Sexta & ultima diſſonantia gravior cæteris viſa eſt. Apud Lucam inter Patriarcas, qui tranſacto Diluvio vixere, Arphaxad ponitur Cainanis pater, Cainan pater Sale: *Sale*, *qui fuit Cainan*, *qui fuit Arphaxad:* cum contrà in libris Moſaicis, aliiſque Veteris Teſtamenti, non uno in loco, ſed pluries, Cainane prætermiſſo, Arphaxad pater Sale fuiſſe dicatur. *Gen. cap.* 10. *v.* 24. *cap.* 11. *v.* 12. *&* 13. *Lib.* 1. *Paralip. Cap.* 1. *v.* 18. Neque enim reponi poteſt, quod nuper recentiorem aliquem reſpondiſſe video: Arphaxad mediatè, ut ita loquar, genuiſſe Sale, nempe Cainane intermedio; uti dum Joram Oziam genuiſſe dicitur: quandoquidem *Gen. cap.* 11. *v.* 12. expreſsè dicitur: *Arphaxad vixiſſe triginta quinque annis*, *& genuiſſe Sale;* quæ loquendi formula nullum

lum mediæ alicui generationi locum relinquit. Si enim Arphaxadum inter, & Sale, medius fuit Cainan ipſius Sale genitor; non jam Arphaxadus triginta quinque duntaxat annorum fuit, dum Sale genitus eſt, ſed longè plurium; iis videlicet, inſuper additis, quos Cainan ejus filius, dum Sale genuit, numerabat.

Quapropter alterum fateri cogimur, vel mendum irrepſiſſe in Veteri Teſtamento, ex quo intermedia Cainanis generatio detracta fuerit; vel irrepſiſſe mendum in Evangelio Lucæ, ubi perperam adjecta fuerit; quia tamen facilius eſt, Scribarum audacia mendum ſemel tantùm irrepſiſſe Lucæ 3. per levem additionem prepoſterè factam; quam irrepſiſſe omninò patet in Veteri Teſtamento per ſtudioſam generationis unius detractionem; tot enim vicibus ibi legimus Arphaxad genuiſſe Sale, omiſſo Cainane: probabilius multò eſt, Cainanis generationem Arphaxadum inter, & Sale in Lucæ Evangelio à Scribis, & Amanuenſibus fuiſſe inſertam. Id ut afferam, alia multa me movent, quamquam vel hoc unum, & ſi deeſſent alia, abundè ſufficeret. Quia nulla Cainanis illius inter Arphaxadum & Sale mentio occurrit in Textu Hebraico Geneſeos & Paralipomenon, nulla in Verſionibus, Arabica, Chaldaica, Samaritana, ac etiam Vulgata noſtra. 2. quia Beroſus Caldeus, Eupolemon, Alexander Polyhiſtor, quorum fragmenta extant apud Joſephum *lib. 1. Antiquitatum cap.* 8. & apud Euſebium *lib. 9. Præparationis Evangelicæ*, Cainanem illum apertè rejiciunt. Quippe qui Abrahamum decima poſt diluvium generatione vixiſſe, concorditer ſcribunt; qui tamen, numerato Cainanæ, undecimus eſſet. 3. Quia Scriptores Hebræi vetuſtiores, & inſigniores, Joſephus & Philo, eumdem in texenda Patriarcarum ſerie ſecundæ ætatis prætermittunt: uti etiam Euſebius Cæſarienſis in *Chronico*; ubi annos veterum Patriarcharum enumerat ex triplici textu, Hebraico, Græco, & Samaritano. 4. Quia tametſi in hodierna ſeptuaginta interprætum Verſione Cainanis generatio legatur; liquet tamen aliena, & interpolatrice manu fuiſſe illic inſartam, & à primigeniis illius exemplaribus abſuiſſe: cum Philo Judæus, Joſephus, Julius Africanus, Irenæus, Theophilus Antiochenus, Origenes, Epiphanius, qui ſeptuaginta Interpretum calculos ſequi ſolent, Cainanem illum in ſtemmate genealogico Patriarcharum omittant: notetque Procopius Gazæus *ad Caput* 11. *Gen.* Cainanis generationem in verſione Septuaginta Interpretum obelo fuiſſe confixam, in Hexaplis Origenis: *Hebraica* inquit, *veritas habet, Salem genitum eſſe ab Arphaxad: quæ deinde in medio ponuntur, obelo ſignata viſuntur*. 5. Demum, quia abeſt idem ille Cainan e nonnullis pervetuſtis Codicibus Græcis,

ipſius

ipſius etiam Evangelii Lucæ, ac maximè a Codice Græco Latino quarti, ut plerique putant, Eccleſiæ ſæculi omnium probatiſſimo in Galiis olim aſſervato, quique nunc extat in Bibliotheca Cantabrigenſi. Unde maximè liquet, ne quidem apud Lucam extitiſſe primitùs Cainanem illum; ſed deinceps temerè, ac per ſummam audaciam fuiſſe inſertum.

Sed extat, inquis, Cainan ille in Vulgata S. Lucæ Verſione, quæ à Concilio Tridentino ut authentica probata fuit. Ità ſanè: ſed abeſt, inquio ego, in vulgata Veteris Teſtamenti Verſione, quæ perinde authentica eſt ejuſdem Concilii Tridentini judicio. Alterutro itaque loco mendum irreptitium eſſe, neceſſe eſt, quantacumque ſit illa vulgatæ Verſionis authentia: multiplex tamen in Veteri Teſtamento, ſimplex in Novo mendum erit: nam quater illic deeſt Cainan, iſtic ſemel abundat.. Imo longè gravius illic mendum erit, patentiorque lacuna. Cum enim Moyſes *Geneſ.* 11. non modò narret generationes omnes Patriarcharum à Noe uſque ad Abraham; verùm etiam diſtinctè notet quoto quiſque vitæ ſuæ anno filium genuerit, quotve ſubinde annis poſt genitum filium ſupervixerit, ſi qua illic, Cainanis occaſione, mutilatio facta eſt; conſequens erit, non modò Cainanis generationem fuiſſe detractam, verùm etiam detractos perinde annos, quos Cainan numeraret, dum genuit Sale; annoſque perinde, quos poſt Sale genitum ad mortem uſque numeravit. Si quid ergo vulgatæ Verſionis authentia nos movet, ne eam ſub aliquo mendo cubare de facili concedamus; quis non videat concedendum potius leve, ſimplexque mendum in Evangelio Lucæ, quam multiplex graviuſque in Moyſis Pentatheuco? Ut fatear nihilominus, quod res eſt: nihil iſtius generis menda, ubicumque contigerint, vulgatæ Verſionis authentiæ officiunt. 1. Quia conſtat ex Criticis univerſis, ac ex ipſa Præfatione Clementinæ Bibliorum correctioni præfixa, leviora hujuſmodi menda nonnulla, etiam ad præſens in ea Verſione reperiri; quorum Scriptores aliqui elenchum, & indicem texuerunt. 2. Quia etiam poſtquam probata fuit ut authentica in Concilio Tridentino, a variis mendis levioribus repurgata fuit a Sixto V. & Clemente VIII. 3. Quia ad illius authentiam ſatis eſt, ſi nihil contineat contra fidem, aut bonos mores; nihil in gravioribus aberret a vero. 4. Quia a Concilio Tridentino authentica dicta eſt comparatè ad reliquas Verſiones; non quod fontibus Hebraicis, ac Græcis præferenda ſit, ad quorum potius fidem publica Eccleſiæ auctoritate emendari poſſet. Quæ omnia, ne quis forte audaciùs dicta putet; legat, ſi per otium vacat, Andream Vega *lib.* 15. *de Juſtif. cap.* 9. Alphonſum Salmeronium *Proleg.* 3. *in Evang.* Robertum Bellarminum *lib.* 2. *de Verbo*

Dei

Digitized by Google

Dei Cap. 10. & 11. Sixtum Senenſem *lib.* 8. *Bibliotb.* Card Pallavicinum *lib. 6. Hiſt. Concilii Tridentini cap.* 17. Serrarium *in Prolegom. cap.* 19. *quæſt.* 18.

Reſtant alia multa antilogiarum expedienda momenta; ſed quoniam ſatis otii & temporis nobis in præſentia non ſuppetit; ideò in ſequentibus expediemus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO V.

Alia multa momenta ex Scripturæ locis petita diluuntur.

MEdiam duntaxat ſuſcepti operis partem expedivimus, dum eas longè plures ex primo Matthei capite delibatas diſſonantias conciliavimus. Reliquum modò eſt, ut eas, quæ ab aliis pluribus Scripturarum capitibus congeruntur, conciliemus. Quare has in certas veluti claſſes diſtribuemus, quò faciliùs, & commodiùs in concordiam à nobis revocentur.

Primum itaque momentum petunt ex *cap. 2. Marci:* ubi ita loquitur Chriſtus. *Nunquam legiſtis, quid fecerit David, quando neceſſitatem habuit; & eſuriit ipſe, & qui cum eo erant? Quomodo introivit in domum Dei ſub Abiathar principe Sacerdotum, & panes propoſitionis manducavit, quos non licebat manducare, niſi Sacerdotibus.* Attamen *lib. 1. Reg. cap. 21.* id contigiſſe dicitur ſub Abimelecho Patre Abjatharis.

Argutè ſanè atque ſubtiliter diſputatum; ſed nihil ad inſtitutum. Nulla prorſus citato in loco repugnantia eſt, idque perinde factum dici poteſt ſub Abimelecho, & ſub Abiathare illic quoque preſente, nondum quidem Principe Sacerdotum, ſed qui poſtea principatum illum obtinuit; quique jam tunc jure natalium Sacerdotum Princeps deſtinatus erat, titulumque tenebat.

Alterum adverſus divinam librorum Novi Teſtamenti inſpirationem importuni oſores deſumunt ex eo *Actorum cap. 7.* ubi dicitur, Joſeph accerſiviſſe in Egyptum omnem cognationem ſuam in animabus ſeptuaginta quinque: *mittens autem Joſeph accerſivit Jacob Patrem ſuum, & omnem cognationem ſuam in animabus ſeptaginta quinque. At Geneſis 46. v. 27.* & *Exodi 1.* ſeptuaginta dumtaxat animæ fuiſſe dicuntur. *Omnes animæ domus Jacob, quæ ingreſſæ ſunt in Egyptum, fuere ſeptuaginta.* ita *Geneſis 246. Erant igitur omnes animæ eorum, qui egreſſi ſunt de femore Jacob, ſeptuaginta,* ita *Exodi 1.*

Sed neque ex hoc loco ulla ab iis poteſt repugnantia deſumi, cum omnia facile conciliari poſſint. Moyſes enim ſolas numerat animas, quæ una cum Jacobo Patre in Egyptum deſcenderunt, duoſque præterea Joſephi filios Ephraim & Manaſſe, qui re ipſa in Egypto ſunt nati. Lucas vero Actorum Scriptor quinque addidit filios Ephraimi, & Manaſſis, in Egypto quoque ſubinde natos; qui licet rigore loquendo deſcendiſſe dici non poſſint, ad eam ta-

tamen cognationem pertinebant, quæ deſcendit. Unde & a ſeptuaginta Interpretibus ſeptuaginta quinque dicuntur animæ.

Succedit eo in ordine momentum alterum longius arceſſitum, quo nos impetunt Adverſarii. *Actorum* 7. ajunt hi *v.* 15. Ita legimus. *Deſcendit Jacob in Egyptum, & defunctus eſt ipſe, & Patres noſtri. Et tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham prætio argenti a filiis Hemor, filii Sichem.* Ubi multiplex reperitur erratum, enatum ex promiſcua confuſione duarum emptionum diſtinctiſſimarum, quæ in Geneſi recenſentur. Abraham enim ab Ephrone filio Seor agrum emerat in ſepulturam quadringentis ſiclis argenteis probatæ monetæ in Hebron: *Geneſis* 23. *v.* 16. Jacob vero ſecutis inde temporibus in officium pariter ſepulturæ emit partem alterius agri a filiis Hemor Patris Sichem centum agnis in Salem Urbem Sichimorum: *Geneſis* 33. *v.* 19. S. Stephanus porro utramque emptionem promiſcuè confundit, Abrahamumque emiſſe dicit à filiis Hemor, qui reipſa emerat ab Ephrone: Hemorem filium Sichemi nuncupat, cujus potius Pater erat; ac demum emptam ab Abrahamo ſepulturam ponit in Salem, quæ erat in Hebron.

Ad hujus Hiſtoriæ integram veritatem retinendam, reſque omnes aptè diſtinguendas, dicendum putarem: Deſcendit Jacob in Ægyptum, & defunctus eſt ipſe, & Patres noſtri, & tranſlati ſunt: Jacob quidem in Hebron, Joſeph autem in Salem. Et poſiti ſunt, Jacob quidem in Hebron, Joſeph autem in Salem. Et poſiti ſunt, Jacob quidem in ſepulchro, quod emit Abraham prætio argenti ab Ephron Hetheo: Joſeph autem in ſepulcro quod emit Jacob centum agnis, a filiis Hemor Patris Sichem.

Hoc ergo ablegato futili fundamento ad alia refellenda momenta animum convertamus, quibus elidere libros Novi Teſtamenti plus æquo audaciores nituntur.

Nonnulla congerunt ex falſatis, ut ipſi ajunt, quibuſdam citationibus quæ in Evangeliis occurunt.

Deſumunt itaque primam ex *Matth. cap.* 2. ubi legitur de Chriſto Domino: *Ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.* Quod tamen, ajunt iſti nuſpiam legitur.

Nihil tamen iſta nos movet, ut a ſtatuta ſententia reſiliamus. Imo cum Nazaræus ſanctum, & Domino conſecratum ſonet, eo collimant Scripturæ omnes, ut Chriſtum ſanctum fore, & Domino conſecratum ſignificare, uti obſervavit Hieronymus. Commentum eſt igitur hoc, quod ab iis tam fidenter obtruditur.

Citationem alteram petunt ex *Matth. cap.* 27. ubi habetur: *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Jeremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati,*

quem

quem appretiaverunt a filiis Iſrael. Quod ajunt iſti, non in Jeremia legitur, ſed in Zacharia *cap.* 11.

Verùm nec hoc quidem incommodat. Matthæus enim nullius diſtincti Prophetæ nomen eo loci poſuit: Scriba autem aliquis oſcitans de ſuo Jeremiæ nomen appoſuit. Ita Origenes *Tract.* 35. *in Matthæum*. Euſebius *lib.* 10. *demonſt. cap.* 4. Rupertus in *Mat.* quibus favent plures antiqui Codices nullum nomen præferentes.

Addiderim etiam, eam forte ſententiam ex aliqua Jeremiæ Prophetia fuiſſe deſumptam non ſcripto quidem, ſed memoria hominum conſecrata. Ita Grotius, aliique nonnulli.

Alter, quem ex Evangelio deſumunt, ſcrupulus eſt, quod nimirum *Marci cap.* 1. legatur. *Sicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te. Vox clamantis in Deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus*. Quæ tamen verba in Jſaia non leguntur, ſed in Malachia.

At huic ſcrupulo eventilando ſatis eſt ſi dicamus, verba illa ſin minus priora, at ſaltem poſteriora eſſe Iſaiæ; cui addam etiam D. Hieronymi obſervationem digniſſimam, Iſaiæ nomen Scriptorum vitio adjunctum fuiſſe, cum antea nullius Prophetæ nomen hic ſcriptum eſſet.

Ultimum tandem, librorum Novi Teſtamenti depreſſoribus Judæis, ſubminiſtrat momentum, quod legitur *ad Hæbreos* 9. In arca Teſtamenti tria fuiſſe dicuntur: *Urna aurea habens manna, & Virga Aaron, quæ fronduerat, & Tabulæ Teſtamenti:* cum vice verſa *lib.* 3. *Reg. cap.* 8. legatur. *In arca autem non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes*.

At & hoc ludicrum eſt, ac deſperatæ cauſæ apertiſſimum argumentum. Loquitur enim Apoſtolus de tempore Moyſis, quo primùm arca in Tabernaculo collocata eſt; auctorem verò Regum de tempore Salomonis, dum arca in templum inducta eſt: cui addi pariter poſſet, quod alii reponunt, nimirum in interiori parte arcæ nonniſi tabulas legis extitiſſe etiam tempore Moyſis, ad latus autem fuiſſe quoque virgam Aaronis & Mannæ Urnam.

Fateantur itaque, velint, nolint recutiti Judæi, libros Novi Teſtamenti Deo afflante & inſpirante fuiſſe conſcriptos; aliàs figmenta ſua jampridem ebibita novis, iiſque turpioribus, cumulabunt.

Digitized by Google

PRÆLECTIO VI.

De divinarum Scripturarum inſpiratione adverſus Proteſtantes Epiſcopium, Spinoſam, Grotium, alioſque Catholicos Scriptores.

PRopugnata per dies aliquot, ſacrorum utriuſque Teſtamenti librorum divina auctoritate, divinaque, qua conſcripti ſunt, inſpiratione adverſus Gentiles Judæoſque fæliciter defenſata: illi mihi nunc confutandi veniunt, qui divinam illam ſacrorum librorum inſpirationem certis limitibus circumſcripſere, & ad aliquas librorum illorum partes coarctarunt.

Fuerunt enim ex Proteſtantium grege nonnulli Epiſcopius, Spinoſa, Grotius, quos de proximo nonnulli etiam e Catholicorum grege imitati ſunt Profeſſores.

Nos utramque ſententiam non reicimus modo, verùm etiam execramur, uti erroneam, ac hæreſi proximam: firmiterque tenendum exiſtimamus, ſacros utriuſque Teſtamenti Scriptores, ſpeciali afflatu ac directione Spiritus Sancti fuiſſe donatos, atque adjutos in omnibus prorſus, ac ſingulis conſcribendis, quæ illorum libris quomodolibet continentur: Cujuſvis generis illa ſint, & conditionis: hoc eſt ſive ſint illa naturalia, ſeu fortè ab illis ipſis aliunde cognita ſint, proprioque experimento comprobata.

Id porro probare luculenter atque invictè non eſt admodum operoſum; cum rationes longè multas in Scriptura Sacra habeamus. 2. *ad Timoth.* 3. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum*. 1. *ad Theſſal. cap.* 2. *Gratias agimus Deo ſine intermiſſione: quoniam cum accepiſſetis à nobis Verbum auditus Dei, accepiſtis illud non ut Verbum hominum, ſed (ſicut eſt verè) Verbum Dei*. 2. *Petri cap.* 1. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines*. *Joannis* 14. *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quecumque dixero vobis*.

Quod attamen ille a cæteris Apoſtolis, qui Cœnæ adfuerant addiſcere potuerat.

Nec deſunt deſumptæ ex Patribus probationes propemodum infinitæ, qui Canonicos Scriptores ita in ſcribendo afflatos docent, ut ne minimo in apice falli potuerint. S. Clemens *in Epiſt. ad Corinth.* S. Juſtinus *Apologia* 2. Origenes *lib.* 5. *contra Celſum*; S. Ire-

Digitized by Google

S. Irenæus *lib.* 1. *contra. hæreſes cap.* 46. S. Epiphanius *hæreſi* 76. S. Joan. Chryſoſtomus *homil.* 37. *in Geneſim*. S. Hieronymus *Epiſt.* 8. S. Gregorius Magnus *in Proemio in lib. Job.* S. Auguſtinus *lib.* 1. *de conſenſu Evangelico cap. ult.*

Accedit ad poſitæ aſſertionis probationem labor, & diligentia Patrum in exponendis, conciliandiſque iis etiam Scripturarum locis, in quibus videtur errorem ſubeſſe in rebus ad profanam hiſtoriam, aut ad ſcientias naturales ſpectantibus: quod illis ſupervacaneum fuiſſet, niſi in iis quoque ſcribendis illos perinde infallibiles cenſuiſſent.

S. Epiphanius *hæreſi* 76. Anomæos hæreticos inſectatur, quod vellent Prophetas, & Apoſtolos multa ut puros homines ſcripſiſſe, nullo Spiritus S. afflatu habito.

Et D. Hieronymus in *Præfat. Commentariorum in Epiſtolam D. Pauli ad Philemonem*, alios inſectatur, *qui nolunt inter Epiſtolas Pauli eam recipere*, *quæ ad Philemonem ſcribitur*; *ajunt non ſemper Apoſtolum*, *nec omnia*, *Chriſto in ſe loquente*, *dixiſſe*, quia non eſt niſi epiſtola commendatitia in gratiam Oneſimi ſervi quondam ipſius.

Accedit & ratio, quæ rem ipſam certiſſimam faciat. Ita debuerunt ſcribere Canonici Scriptores, ut ſummum haberent apud homines auctoritatis gradum; nulluſque aliqua veriſimili ratione poſſet illorum ſuffragium elevare atque rejicere at ſi in rebus naturalibus, quas attingunt obiter, erraſſe convicti fuiſſent, ſummum non habuiſſent apud homines auctoritatis gradum.

Probatur jam multo diſertiùs, Scriptores ſacros a Deo etiam ſpecialiter afflatos fuiſſe, in iis ſcribendis, quæ ipſi per ſe ſe aliunde noverant, aut ex aliorum Narratione didicerant. Fides noſtra Divinæ revelationi debet inniti: alias fides Divina non eſſet, ſed humana. Sed hæc eſt etiam de factis plurimis, atque Myſteriis, quæ Scriptores ſacri ſe ipſis, propriorumque ſenſuum teſtimonio noverant, aut ex aliorum teſtimonio didicerant; qualia ſunt Chriſti Domini facta, miracula, Myſteria in Evangeliis enarrata, ab illius Apoſtolis viſa, & ſcripto mandata, facta quoque, geſtaque Moyſis ab ipſomet patrata, & ſcripto tradita: Igitur facta illa quantumvis ab ipſis viſa, ac naturaliter cognita, adhuc tamen Divina inſpiratione ſunt ſcripta: aliter fides noſtra iis innixa auctoritati humanæ non Divinæ niteretur.

Suffragatur huic etiam lata Cenſura Academiarum Lovanienſis & Duacenſis in hanc Leſſii, & Hamelii propoſitionem: *ut aliquid ſit Scriptura Sacra non eſt neceſſarium*, *ut ſingulæ veritates & ſententiæ ſint immediate a Spiritu S. ipſi Scriptori inſpiratæ*.

Non defuere tamen Proteſtantes cavillatores, exiſtimantes, Scripto-

ptores ſacros non fuiſſe in rebus prophanis ex occaſione memoratis, a Deo ſpecialiter inſpiratos; adeo ut in illis errare potuerint; qui momenta hæc omnia exſufflare loco primo tentarint hoc pacto.

Ad ea ſola ſcribenda admittenda eſt Scriptorum ſacrorum revelatio, quæ per illos Deus docere nos voluit; & ex quibus pendet fides noſtra: Deus porro per Scriptores ſacros prophanas ſcientias edocere non voluit: uti nec illis innititur fides noſtra; concludendum eſt igitur, Scriptores ſacros non fuiſſe a Deo in rebus prophanis conſcribendis ſpecialiter inſpiratos; uti diſertè docuit Auguſtinus *lib. 2. de Geneſi ad litt. cap. 9.*

Vetus eſt hæc Proteſtantium Vitiligatorum Cantilena; cui tamen reſpondeo, valere quidem ad ea dumtaxat conſcribenda, quæ Deus docere nos vult, per ſe primò Divinam Inſpirationem. Dico tamen, per accidens extendi ad illa omnia, ex quorum ignoratione infirmaretur Sacrorum Scriptorum auctoritas, poſſetque in dubium revocari.

Hinc Auguſtinus loco objecto contendit, Scriptores ſacros illa quoque ſciviſſe, etſi non ideo ſcripſerint, ut nos illa docerent: *breviter dicendum eſt, de figura Cœli, hoc ſciviſſe auctores noſtros, quod veritas habet; ſed Spiritum Dei, qui per ipſos loquebatur, noluiſſe iſta docere homines nulli ſaluti profutura.*

Urgent nihiloſecius Proteſtantes, utque ſacros Scriptores, in rebus ad alias ſcientias naturales ſpectantibus referendis, a Deo nequaquam afflatos fuiſſe demonſtrent, varios illorum errores notant atque ſugillant; ad quos ſtrictim nobis eſt reſpondendum.

Notant itaque primò, Moyſem *Geneſis* 1. Solem & Lunam vocare luminaria magna: cum tamen conſtet ſtellas longè multas Luna eſſe majores.

Verùm non eſt ita, ut ajunt, non eſt ita. Luna enim dicitur luminare majus aſpectui, & obtutui noſtro, licet non ita in re ipſa ſit; dicitur etiam, Lunam eſſe luminare majus quoad vim illuminandi, quia multo magis illuminat, quàm quæcumque ſtellæ corpore ipſo majores, & ampliores.

Notant ſecundò, Moyſem eodem illo in capite primo Geneſeos aſtruere, aliquas eſſe aquas ſupra firmamentum dum ait *v. 7. diviſitque aquas, quæ erant ſub firmamentum, ab his, quæ erant ſuper firmamentum:* cùm tamen conſtet firmamentum omnibus omnino aquis longè eſſe ſuperius.

Sed neque felicioribus ventis mare iſtud enavigant. Nam vox illa *firmamentum* æquivoca eſt, nec idem ubique ſignificat. Hic ergo ſignificat Cœlum illud, cui ſydera videntur rudioribus inhærere, ſeu extremum illum Cœlorum ambitum, quem oculi noſtri attingunt.

No-

Notant tertiò, Davidem *Pſal.* 148. aquas agnoſcere ſupra Cœlos, dum eas ad Deum laudandum invitat: *aquæ omnes, quæ ſuper Cœlos ſunt, laudent nomen Domini.*

Futilius verò; nam Sacris in Litteris *Cœlum* communiter vocitatur totum illud ſpatium, quod ſupra nubes eſt, & ultra ſupremam aeris regionem, imo eo quandoque vocatur nomine infimæ regionis aer, in quo volitant aves; unde *& volucres Cœli* aliquando dicuntur.

Notant quartò *Joſue cap.* 10. ſcriptum eſſe, Sol, & Luna ſteterunt in medio Cœli: cum tamen Cœlum utpote ſphæricum, medium non habeat.

Sed nihil æquè hoc ex capite extundere poſſunt: nam Cœlum in ſe ipſo quidem medium non habet, occulis tamen noſtris medium Cœli videri partem illam, quæ eſt nobis in Orizonte, videturque nobis æqualiter diſtare ab Oriente, & Occidente.

Nec melioris eſt comatis, quod notant, graviterque ſuggillant, Scriptorem *libri tertii Regum cap.* 7. ſcripſiſſe, vas illud ingens æneum rotundum, quod erat in templo Salomonis, vocabaturque mare, decem cubitos habuiſſe in diametro, a labio ſcilicet ad labium, & triginta cubitos in circuitu; Cum tamen circumferentia circuli, non modo triplo major ſit diametro, ſed inſuper ſeptima fermè diametri parte, atque adeo ſi ingens illud vas æneum, quod figuræ circularis dicitur fuiſſe, decem in diametro cubitos habebat, cubitos triginta & unum, & tantillum amplius habere debebat in circuitu.

Si tamen rem ipſam totam penitius perpendamus, comperiemus, non conſtare, vas illud æneum figuræ fuiſſe perfectè rotundæ, & circularis, ac non potius figuræ imperfectæ circularis, ſeu figuræ ovatæ: quo caſu circumferentia ejus, nonniſi 30. cubitos habuiſſet, ut decem cubitorum diametro reſponderet.

Cui addiderim ego, Scriptorem illum *libri* 3. *Regum*, triginta dumtaxat cubitos in circuitu numeraſſe, & non triginta & unum: quia moris eſt Sacrarum Scripturarum, ut in faciendis computationibus, numerus dumtaxat rotundus adnotetur, tacito numero minori: ut 50. pro 52. 70. pro 76.

Inſtant nihilominus Adverſarii, Scriptores librorum ſacrorum, quales in veteri Teſtamento fuere Prophetæ, & in novo Apoſtoli, Chriſtique Diſcipuli, quantumvis Spiritu S. afflati dicantur, in ſacris pertractandis juxta illud Chriſti Domini, *Matthæi cap.* 10. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in nobis.* Non ita tamen in rebus peregrinis, quas fortè dicerent, facerentque, inſpirati putandi ſunt, ut in illis labi non poſſent: Nam & Nathan Propheta primo ſtatim occur-

curſu, Davidi falſum dixit. Illum templum Domino ædificaturum; & Petrus in legalium obſervantia, initio ceſpitavit: & Stephanus Protomartyr concionem habens ad populum, memoriæ lapſum paſſus a multis exiſtimatur: Igitur pari titulo non ita cenſendi ſunt inſpirati a Deo Scriptores ſacri, quin in minimis ſaltem ceſpitare potuerint.

Quibus reponere ſatis ſit: lumen Divinæ Inſpirationis, perinde ac lumen propheticum non dari per modum habitus permanentis, ſed per modum vialis, ac tranſitoriæ cujuſdam coruſcationis, viroſque inſpiratos a Deo, non ſemper quocumque actu, quacumque familiari converſatione, quocumque colloquio a Deo ſpecialiter regi ac dirigi: ſed tunc tantùm dum ſacrum munus exercent, quod eam peculiarem poſtulat illuſtrationem & directionem. Porro Scriptores librorum Canonicorum in actuali ſcriptione, eam poſtulant illuſtrationem ſpecialem & indefectibilem.

Sat igitur defenſatam arbitror contra Proteſtantes fabulatores divinam ſacrorum utriuſque Teſtamenti librorum auctoritatem.

Officii ratio poſtulat, ut ad quorundam Scriptorum Catholicorum hallucinationem refellendam nunc animum convertamus qui quantumvis Sriptores ſacros in nullo prorſus lapſos fateantur, illos tamen divinitus inſpiratos negant, in iis conſcribendis, quæ vel ſe ipſis, vel aliorum teſtificatione, cetiſſimè noverant.

Hoc itaque momento primùm in aciem veniunt. Sicuti Deus non deficit in neceſſariis, ita non abundat in ſuperfluis: at ſuperflua eſt hujuſmodi inſpiratio divina eorum, quæ aliunde certo ſciuntur; in iis ergo, concludunt, quæ vel ſe ipſis, vel aliorum teſtificatione certiſſimè noverant, in ſcriptoribus ſacris neceſſariam non eſſe Inſpirationem divinam.

At mera æquivocatio hæc eſt. Id enim ſuperfluum eſt, ut illud ſciant tamquam perſonæ privatæ, & ad privatam ſui notitiam: neceſſarium verò, ut hoc noverint tamquam perſonæ publicæ, ut Scriptores canonici, jacientes catholicæ fidei fundamenta: utque de illis teſtimonium ferre poſſint planè divinum.

Ad hæc: etſi non eſſet ſpecialis illa Revelatio neceſſaria, ut illud ſcirent, quod aliunde ſciebant; erat tamen illis peculiaris Dei afflatus neceſſarius, ut id indefectibiliter ſcriberent, quod a ſe ipſis noverant, neve aut oblivione, aut injuria, aut etiam prava aliqua intentione, a ſcribenda fideliter veritate, retraherentur.

Sed relicta prima hujuſce Næniæ confutatione, ad alia ſermonem convertamus, quæ majori otio, atque Criterio diſcutienda ſunt.

Quis credat, ajunt hi, Paulum peculiariter a Deo fuiſſe afflatum,

Digitized by Google

tum, ut ſcriberet *in Epiſt. 2. ad Timot. cap. 4. Lucas eſt mecum ſolus. Marcum aſſume, & adduc tecum: eſt enim mihi utilis in Miniſterium. Tychicum autem miſi Epheſum. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas.* Quæ hic neceſſitas Divinæ inſpirationis?

Quis credat, Apoſtolum inſpirante Deo dicta Poetarum laudaſſe, Arati, Menandri, Epimenidis *cap. 1. Epiſtolæ ad Titum: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. 1. ad Corinthios: Corrumpunt mores bonos colloquia mala; Et Actorum 17. Ipſius enim & genus ſumus?*

Ad hujuſce momenti confutationem, idem illud repono, quod in ſuperiori, licet Divina revelatio neceſſaria iiſdem non eſſet in factorum per ſe ſimplicium enarratione; neceſſaria tamen ex eo erat, quia ex factis illis tametſi per ſe ſe ſimplicibus, morales Inſtitutiones peti poſſunt; & ex Poetarum teſtimoniis tamquam propriis armis Gentiles impugnari poterant.

Ad hæc etiam; ideo fuit in Apoſtolo Divina revelatio, quia cum Poetas illos nuſquam legiſſet, Deus quid illi ſcripſiſſent, revelarit, ut ex eo poſſet ille argumentum petere contra Gentiles.

Argumentum alterum petunt ex obſervatione ab iis facta: nimirum Evangeliorum Scriptores, ut fidem ſcriptis ſuis concilient, jactare ſolitos eſſe non divinam inſpirationem ſibi factam, quo nihil luculentius fuiſſet, ſed notitiam ex ſuis ipſorum ſenſibus captam de rebus a ſe conſcriptis, aut etiam probatorum teſtium ſuffragium, a quibus quæ ſcripturi ſunt, didicerunt. Sic Joannes *cap. 1. Epiſt. 1. Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ: & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis.* Lucas *initio Evangelii: Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis: Viſum eſt & mihi, aſſecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile.* Quin & Paulus, ut Evangelio, quod prædicabat auctoritatem conciliet, ait *cap. 2. ad Galatas*, ſe illud cum Apoſtolis contuliſſe, eaque de cauſa Jeroſolymam perrexiſſe.

Cujus tamen reſolutioni ſuppetit ratio non una, ſed multiplex. Primò omnium concilianda illis fuit fides humana apud Judæos, & Gentiles: tum fides Divina. Fidem humanam ibi conciliant, declarando ea ſe ſcribere, quæ vel viderunt ipſi, vel a probatiſſimis teſtibus acceperunt: tunc fidem Divinam ſibi conciliant laudata ſubinde inſpiratione Divina ſibi facta, *Joan. 16. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, Matthæi 10. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris ve-*

veſtri, qui loquitur in vobis. Et Paulus *cap.* 1. *ad Galatas: Notum enim vobis facio fratres, Evangelium, quod Evangelizatum eſt a me, quia non eſt ſecundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti*. Stat itaque undecumque, omnique ex capite invicta in rebus etiam prophanis ex occaſione memorandis Scriptorum ſacrorum auctoritas.

Succedit nunc alterum refellendum, quod ex *lib.* 2. *Machabæorum* deſumunt momentum. Liber hic, inquiunt hi, non eſt profecto Divina revelatione conſcriptus, cum non ſit niſi compendium quinque librorum Jaſonis Cyrenei: ut ex ipſo *capite* 2. liquet. Quomodo enim compendium libri Vulgaris Divinum eſſe poteſt? Aut quæ neceſſitas erat Divinæ Inſpirationis, ut illud compendium fieret?

Sed nec iſta nos movent, ut a ſtatuta ſententia reſiliamus. Potuit enim liber ille Divina planè inſpiratione conſcribi: quatenus Spiritus S. afflatu totam materiam in quinque Jaſonis libris comprehenſam breviavit, & in compendium redegit ſacer Scriptor; ipſoque Divino afflante Spiritu didicit, quæ vera illic eſſent in compendium redigenda, quæ falſa fortè reſcindenda. Unde perperam humana induſtria dicitur factum compendium illud, meritòque ab Academiis Lovanienſi & Duacenſi damnata eſt illa Leſſii & Hamelii propoſitio anno 1586. *Liber aliquis* (*qualis fortè eſt* 2. *Machabæorum*) *humana induſtria, ſine aſſiſtentia Spiritus S. ſcriptus, ſi Spiritus S. poſtea teſtetur nihil ibi eſſe falſum, efficitur Scriptura Sacra.*

Ruit tandem mole ſua hoc ultimum, quod ex eo colligunt argumentum, quod nimirum Apoſtolus ſæpe ſuis in Epiſtolis diſtinguere videtur, quæ Divino afflatu, quæque ex ſenſu proprio atque humano dumtaxat mandabat. Non igitur in omnibus conſcribendis, concludunt, Divino Spiritu afflatum eſſe. 1. *Cor.* 7. *v.* 10. *Iis autem, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere.... Cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam*. Et 2. *Cor. cap.* 11. *v.* 17. *quod loquor, non loquor ſecundum Deum, ſed quaſi in inſipientia.*

Perperam ergo ad præſens Inſtitutum dicta illa Apoſtoli detorquentur. Ac in primo quidem loco, diſtinguit Apoſtolus quod præcepti eſt, & quod eſt conſilii. Primum Dei eſſe dicit, mandantis ſcilicet & præcipientis; non ſui tantum & conſulentis: ſecundum dicit eſſe ſui, non Dei. Hoc eſt, ſui ſimpliciter conſulentis, non Dei, ut præcipientis atque mandantis. Quamquam tamen utrumque Dei eſſet, ut afflantis & inſpirantis: quia ut illa quoque conſilia

ſilia daret Paulus, inſpirabatur a Deo. Alterum vero, quod poſt factam ſui ipſius laudationem & commendationem ſubjungit Apoſtolus: *quod loquor, non loquor ſecundum Deum, ſed quaſi in inſipientia*: hunc ſenſum habet. Ea mei ipſius laudatio, communi quidem legi repugnat, & ex inſipientia profecta videtur: etſi ſpectatis cauſſis, & circumſtantiis, quibus me ipſum commendare compulſus ſum, inſpirata mihi a Deo fuerit, utpote ad Apoſtolici miniſterii defenſionem neceſſaria. Unde hac intacta controverſia, ad aliam progredi animus eſt: num ſcilicet ſingula & individua verba, quibus ſcripti ſunt Sacri Libri, perinde fuerint inſpirata. Verùm quoniam non incurioſa quæſtio hæc eſt; idcirco in ea pertractanda induſtriam noſtram ac diligentiam in ſequentibus exercendam judicavimus.

PRÆLECTIO VII.

De eadem Divinarum Scripturarum Revelatione quoad ſingularia & individua verba.

QUæ hactenus de Divinarum Scripturarum ſpeciali revelatione & inſpiratione a Deo facta in antedictis diſputavimus, de ſenſu atque ſubſtantia ut ita dixerim, Scriptionis, facilè intelliguntur. At illud a multis quæritur inſuper, an ſingula quoque & individua verba, quibus ſcribendo ſunt uſi Canonici Scriptores, ut hunc, aut illum ſenſum exprimerent, perinde fuerint inſpirata, ac veluti a Spiritu Sancto dictata ſylabatim & individuè; an autem Scriptorum arbitrio, & induſtriæ verba ipſa relicta ſint.

Diſputant ea de re in utramque partem viri ſummi in Eccleſia Catholica. Qua in re illud certò pronunciarim: Nihil abſolutè repugnaſſe, quominus Deus individua etiam, ac ſingularia verba ſacris Scriptoribus revelaret, inſpiraret, afflaret: Minimè tamen fuiſſe neceſſarium, ut id faceret; imo veriſimilius eſt non feciſſe. Certè nihil repugnaſſe, quominus individua ac ſingularia verba ſacris Scriptoribus inſpiraverit Deus, palam oſtendo, iis refutatis rationibus & momentis, quibus oſtendere conati ſunt aliqui Recentiores, id penitus repugnare.

Si Deus, inquiunt Recentiores illi, non ſenſum dumtaxat ſententiarum, ac narrationum, ſed & verba ipſa omnino ſingula ſacris Scriptoribus ſpecialiter inſpiraſſet, Deus ipſe proprius ac ſpecialis ſtyli auctor cenſendus eſſet: in verborum quippe delectu, atque diſpoſitione ſtylus eſt poſitus: at ſacrarum Scripturarum ſtylus ſeu verborum, phraſiumque delectus, Dei ut ſpecialis auctoris non eſt, ſed Scriptorum ipſorum, quibus tanquam liberis Inſtrumentis uſus eſt Deus, hinc varius variorum librorum eſt ſtylus, pro varietate ſcilicet Scriptorum. Imò varius quandoque ejuſdem Scriptoris eſt ſtylus, pro varietate idiomatum, quibus varios libros adornavit unus & idem; ut eſt eloquentior Pauli Epiſtola ad Hebræos, hebræo ſermone conſcripta, cæteris ejus Epiſtolis Græcè adornatis; propterea quod nativus illi, patriuſque eſſet ſermo hebraicus, non itidem Græcus, hinc Apoſtolus ipſe *imperitum ſe* ſermone Græco dicit 2. *ad Corint. cap.* 11. Quod etiam de Amoſo Propheta aſſerit Hieronymus.

Hinc demum Scriptores nonnulli ſtyli ſui ruditatis & inelegantiæ

Digitized by Google

tiæ veniam rogant: non ita profecto rogaturi, ſi diſtincta, quibus ſcripſere, verba, phraſeſque a Deo, ut ſpeciale Auctore & ſpiratore habuiſſent: 2. *Machab.* 16. *Si autem minus dignè Concedendum eſt mihi*. Auctor quoque *Prologi in lib. Eccleſiaſticis. Hortor vos..... veniam habere, in illis, in quibus videmur....... deficere in verborum compoſitione.*

His tamen omnibus reponere facilè eſſet, Deum cauſas omnes ſecundas, maximè verò ratione præditas movere ſemper aptè, concinnèque ad nativas illarum diſpoſitiones & inclinationes: atque ita Deum Scriptores etiam ſacros afflaſſe, inſpiraſſe, rexiſſe, verba quoque ſingulis ſuggerendo concinnè & aptè ad illorum intelligentiam, capacitatem, & ſufficientiam. Quemadmodum ergo Deus varios cum variis cauſſis ſecundis effectus edit, nobiliores alios, alios ignobiliores, prout variè ſunt a natura diſpoſitæ: ita ſtylum nobiliorem, verbaque elegantiora ſuggerere potuit Davidi Regi, & Danieli Regio ſanguine orto, quam Amoſo Prophetæ, qui ab Aratro, & Pecore ad Propheticum munus vocatus erat. Non itaque neceſſariò colligendum inde, non fuiſſe illis ab ipſo Deo inſpirata ſingula verba; ſed ea illis inſpirata fuiſſe verba, quæ ut inſpirarentur, illorum nativa vel ruditas, vel elegantia poſtulabat. Quamquam quod in *Prologo libri Eccleſiaſtici* legitur, *hortor vos.... veniam habere in illis, in quibus videmur..... deficere in verborum compoſitione*, ipſius Auctoris ſupplicatio non eſt, Jeſu ſcilicet filii Sirach, ſed primi illius interpretis, alterius nempe Jeſu prioris abnepotis; qui proavi ſui Autographum Hebraicè ſcriptum Græcè reddidit, quale nunc duntaxat habemus. Quare nihil incommodat, quod ille veniam rogat ſacer Scriptor, ſi quid in verborum compoſitione peccavit: Non enim veniam rogat ſacer Scriptor, ſed ejuſdem interpræs.

Cæterum etſi poſſibile fuerit ita fieri, ſingula ſcilicet verba ſacris Scriptoribus inſpirari; exiſtimo tamen non fuiſſe id abſolutè neceſſarium ut fieret; imo non eſſe factum, pro certo teneo, proboque ex triplici capite.

Primò. Si ad Veram Sacri Scriptoris inſpirationem, utque Sacra Scriptura verè a Deo inſpirata cenſeretur, neceſſe eſſet, ut ſingula quæque Verba inſpirata eſſent, ſequeretur, Eccleſiam non habere nunc Scripturas a Deo verè inſpiratas, aut certè Scripturis a Deo verè inſpiratis modò non uti: quandoquidem periere permulta Scriptorum illorum autographa, quorum propria Verba a Deo inſpirata fuiſſent: Imò ſolam nunc verſionem vulgatam publico uſui conſecravit Eccleſia, cujus certè Verba materialia a Deo inſpirata non ſunt: imò cujus verba latina non ſemper minutatim & ſyllabatim Hebraicis Græciſque fontibus reſpondent,

ſed

ſed neque reſpondere ſemper poſſunt, ob Latini dialecti ab Hebraico & Græco diverſitatem. Maximè cum D. Hieronymus Vulgatæ verſionis noſtræ præcipuus, ac fermè unicus auctor profiteatur, ſe in pleriſque Scripturæ libris Latinè vertendis, *magis ſenſum e ſenſu, quam ex verbo verbum* tranſtuliſſe: Ut *Præfat. in lib. Judith.* Et Præfat. *in lib. Job: hæc autem mea translatio*, inquit, *nullum de veteribus ſequitur interpretem; Sed ex ipſo Hebraico, Arabicoque Sermone, & interdum Syro, nunc verba, nunc ſenſus, nunc ſimul utrumque reſonabit*. Quin etiam veterum ac recentium Interpretum ſententia eſt, in Epiſtola ad Hebræos ſenſum eſſe dumtaxat D. Pauli, phraſes vero & elocutionem Clementis eſſe, vel Lucæ; adeo verum eſt, ad divinam Sacrarum Scripturarum inſpirationem, neceſſe non eſſe, ut ſingula verba ſint a Deo inſpirata, ſed ſenſum.

Secundò. Quamquam Chriſtus adpromiſerit Apoſtolis, *Joan.* 14. fore ut illis ſuggereret Spiritus S. omnia, quæ ipſemet illis ante dixiſſet: *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis;* perſpectum tamen non ſemper Spiritum S. Apoſtolis ſuggeſſiſſe verbatim & ſylabatim, quæcumque Chriſtus illis antea dixerat, ſed ut ut maximè quoad ſenſum, ſubſtantiamque dictorum. Patet id in quatuor Evangeliorum Scriptoribus, qui ſermones a Chriſto D. habitos ſcriptis ſuis mandando, non eadem ſemper illius verba referunt omnes; ſed alia quandoque verba Matthæus in Chriſti D. ore ponit, alia Marcus, alia Lucas, alia Joannes, tametſi eumdem ſenſum verba omnia referant. Specialis igitur ille Spiritus S. afflatus, quo Scriptores ſacri ſcripſiſſe dicuntur, non poſtulat, ut ſingula ſemper verba fuerint inſpirata, ſatiſque eſt, ſi dictorum ſenſus fuerit illis afflatus.

Sed rem ipſam totam ponamus ob oculos. Dum Hiſtoriam E. G. inſtitutionis Euchariſtiæ narrant Evangeliſtæ, Chriſtumque Conſecrantem Calicem repræſentant, verba, quibus uſus eſt ille, ſe referre profitentur; *ait illis Jeſus: dixit illis Jeſus;* non tamen eadem individuè verba ejus in ore ponunt concorditer omnes: *Matthæus* enim *cap.* 26. Chriſtum dicentem, refert: *Hic eſt enim Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum:* Lucas Chriſtum dicentem exhibet *cap.* 22. *Hic eſt Calix Novum Teſtamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Paulus in 1. *Epiſt. ad Corinthios cap.* 11. Chriſtum his verbis Conſecrantem inducit, *Hic Calix Novum Teſtamentum eſt in meo Sanguine:* Marcus *remiſſionem peccatorum* omittit. Quamquam autem ea omnia verba, quæ in Chriſti D. Conſecrantis ore ponunt Sacri illi Scriptores, in eumdem ſenſum redeant, non eadem tamen omnino ſunt ſyllabatim & individuè; repugnatque

Chri-

Chriſtum eadem illa omnia ſyllabatim & individuè protuliſſe: Itaque ſolus Chriſti verborum ſenſus Evangeliſtis eſt inſpiratus, ut ſcripto mandarent, non verba ipſa ſigillatim & individuè.

Non abſimiliter; dum Matthæus *cap.* 5. & Lucas *cap.* 6. Chriſti D. concionem ad Diſcipulos habitam referunt, qua eos de variis Beatitudinibus docuit, ipſa Chriſti D. verba referre ſe profitentur: *Aperiens os ſuum docebat eos dicens, Beati Pauperes ſpiritu*. Et tamen octo beatitudines a Chriſto recenſitas refert Matthæus, quatuor tantùm Lucas; cum tamen impoſſibile ſit, Chriſtum relata ab utroque Evangeliſta verba diſtinctè atque expreſſè dixiſſe; quatuorque ſimul & octo Beatitudines enarraſſe. Non ergo diſtincta Chriſti D. verba utrique Evangeliſtæ a Spiritu S. ſuggeſta ſunt, ut referrent, ſed verborum duntaxat ſenſum: quatenus, ut a Patribus obſervatum eſt, octo illæ a Matthæo recitatæ beatitudines in quatuor a Luca recenſitis continentur, & iſtæ quatuor in illis octo comprehenduntur.

Idem de aliis Chriſti D. Sermonibus facilè dixerim, a variis Evangeliſtis diversè relatis, quamquam uterque propria illius verba referre profiteatur.

Idem & de aliis pleriſque aliorum ſermonibus, in variis Scripturarum libris ſumma fide relatis, atque narratis.

Tertiò, Si Spiritus S. non modo Prophetiarum ſenſum ac ſummam; ſed ſingula etiam & individua verba Prophetis inſpiraſſet, quæ ſcripto mandarent in veteri Teſtamento conſcribendo; certè Novi Teſtamenti Scriptores, quoties veteris teſtimonia laudant, eadem quoque individua verba retuliſſent: quandoquidem ea referre debuere, quæ prophetis illis fuerant a Spiritu S. dictata & inſpirata. Attamen e contrario videmus ſæpe numero laudari a novi Teſtamenti ſcriptoribus, non verba ipſa Prophetarum, ſed ſenſum duntaxat, atque ſententiam. Unde D. Hieronymus *lib.* 1. *Comment. in Matthæum* diſertè teſtatur, *Matthæum* Veteris Teſtamenti oracula recitantem, *non verba de Scripturis ſumpſiſſe, ſed ſenſum*. Argumento igitur eſt, Spiritum S. non ipſa ſemper verba ſacris Scriptoribus inſpiraſſe, afflaſſe, dictaſſe, ſed plerumque, imò & Sæpius ſenſum tantùm, atque ſententiam inſpiraſſe.

Supereſt nunc altera de Traditione pertractanda Controverſia, quæ altera Fidei noſtræ regula eſt, quæ quia peculiare criterium poſtulat, idcirco in diem alteram mittimus, majori otio proferenda.

PRÆ-

PRÆLECTIO VIII.

De Traditione, Altera Fidei noſtræ Regula.

DE Traditione Divina nobis hic eſt ſpecialiter diſputatio: quæ nihil aliud eſt, quam ipſummet Dei Verbum, non quidem ſcripto divino conſignatum, ſed a Deo ipſo primis ſuis Miniſtris oretenus declaratum; ac tum ſubinde ab illis ad nos uſque ore ad os, ac veluti per manus continua ſerie derivatum: quæriturque a nobis, num detur re ipſa hujuſmodi Traditio, ſeu Divinum Verbum non ſcriptum, cui tanquam firmiſſimo fundamento Catholica Fides inniti poſſit, ubi divina Scriptura non ſuffragatur, ſed ſilet omnino de aliquo fidei dogmate definiendo.

Citra itaque dubium habeto, re ipſa dari hujuſmodi Traditionem, ſeu divinum verbum non ſcriptum.

Ludam operam, ſi quotquot in hujuſce veritatis probationem rationes ex Scriptura delibantur velim hic minutatim, ac diſtinctè recenſere. Selectiores breviter dabo, quæ catholicam veritatem in propatulo ponunt.

Certè hujuſmodi Traditionem fuiſſe ſemper tanquam Catholicæ Fidei fundamentum, regulamque certam, atque conſtantem, ipſa rei neceſſitas poſtulat: aliàs fides Catholica per multum tempus neceſſario principio, fundamento, ac regula caruiſſet. Ab ipſo enim orbe condito, quacumque ætate, quocumque tempore fides ad ſalutem neceſſaria fuit, hæcque viciſſim divino verbo inniti ſemper debuit: aliàs fides divina non fuiſſet. Cui autem verbo ſcripto innitebatur toto tempore E. G. legis Naturæ? cum nullum tunc divinum verbum ſcriptum eſſet.

Unum eſt, quod Lutherani & Calviniani reponere poſſint: Valuiſſe quidem Traditionem, ut ita dicam, oralem, fuiſſeque neceſſariam Fidei regulam, dum Dei verbum nondum ſcripto conſignatum erat; aſt ubi ſcripto exaratum fuit, ſuperfluere.

Sit ita ſi lubet, illud ſaltem ex allato argumento colligo, Traditionem oralem regulam fidei eſſe poſſe, quippe quæ re ipſa tanto tempore fidei regula fuit; nec patere iis incommodis, quæ nobis a Calvinianis objiciuntur.

Sed eſt & illud longè falſiſſimum, futiles ac ſuperfluas evaſiſſe Traditiones, ex quo tempore Dei verbum ſcripto conſignari cæptum eſt. Quandoquidem ipſi quoque Scriptores verbi Dei, Divinum

Digitized by Google

nam verbum orali adhuc Traditione in filios tranſmittendum docent: auſcultandas quoque tenendaſque Traditiones injungunt. Sic Moyſes primus Divini Verbi Scriptor *cap.* 32. *Deuter.* 7. *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; majores tuos, & dicent tibi.* 1. *Exodi cap.* 13. *verſ.* 8. *Narrabiſque filio tuo in die illo, dicens: Hoc eſt, quod fecit mihi Dominus.* Et Regius Vates *Pſal.* 77. *Quanta mandavit* (Deus) *Patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis: ut cognoſcat generatio altera.* Et *Apoſt.* 2. *ad Teſſal.* 2. *Itaque fratres ſtate, & tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.*

Sed quid momentis longius accerſitis eſt opus, ut Calvinianum errorem hoc in capite refellamus? An non illi multa nobiſcum profitentur fidei Capita, quorum ne veſtigium quidem extat in Verbo Dei ſcripto? Quibus idcirco tuendis ac propugnandis ſola Traditio ſuffragatur. Si ergo non eſt Traditio certa Fidei regula, perperam iſta nobiſcum profitentur. Singula rogo vos perpendamus.

Deiparæ Virginitas poſt partum, contra Heluidium.

Baptiſma ab Hæreticis collatum, ut validum, contra Afros.

Baptiſmus parvulorum contra Anabaptiſtas.

Proceſſio Spiritus S. a filio, contra Græcos.

Duæ in Chriſto voluntates, contra Monothelitas.

Sublata Sabbati obſervantia, non obſtante tertio Decalogi præcepto, inductaque obſervantia primæ diei.

Facultas edendi carnem cum ſanguine ſuffocatam, non obſtante Apoſtolico interdicto.

Qui veri & canonici ſint libri.

Quid plura? Quæſtiones interdum ad Fidem Catholicam pertinentes emergunt in Eccleſia, de vero & genuino Scripturæ ſenſu, E. G. de Chriſti corpore in Euchariſtia præſente: quibus definiendis & eliquandis Scriptura Sacra non ſufficit: quandoquidem de illius ſenſu diſputatur; ad aliam itaque regulam confugere neceſſe eſt, cujus beneficio certus Scripturæ ſenſus dignoſcatur.

Nec eſt quod mihi reponat aliquis, Eccleſiam in hujuſmodi credendis regulam eſſe. O utinam huic regulæ ſtare vellent Lutherani! At præterquamquod ex ſolis litteris ſacris, ſine Traditionis beneficio certò noſſe non poſſumus, quænam vera Eccleſia ſit: quærimus hìc non regulam externam, ac ſimpliciter proponentem, qualis Eccleſia eſt: ſed regulam ut ita loquar intrinſecam, quæ ipſimet Eccleſiæ ad judicandum regula eſt: quæ iis in caſibus nonniſi Traditio eſſe poteſt. Unde enim certò novit Eccleſia, hunc potius, quàm illum legitimum eſſe Scripturæ ſenſum, niſi beneficio Traditionis?

Reponunt Lutherani & Calviniani, ut eo ſe nodo exoluant, ſufficere, ad certum hujuſmodi Scripturarum ſenſum retegendum, privatum cujuſque ſpiritum, ſeu afflatum Spiritus S. unicuique fideli aſſiſtentem.

Contra eſt primò: nam Regula Fidei debet eſſe certa & indubitata. Secundò debet eſſe generalis & communis. Tertiò non debet eſſe illuſionibus obnoxia, unde ex hoc nil quicquam extundere poſſunt.

Tempus eſt jam, ut Lutheranorum, & Calvinianorum conatus improbos, queis congeſtis, ac male detortis Sacrarum Scripturarum oraculis lucidiſſimæ veritati nebulas offundere moliuntur, vanos prorſus, atque irritos oſtendamus.

Hi ad quatuor maximè capita revocantur, in quibus potiſſimum erroris ſui præſidium ponunt. Primò quod Scriptum Dei verbum, ad ſalutem, fideique tutelam abundè ſufficiat. Secundò, quod nihil ſcripto Dei verbo ſit adijciendum, ad fidei tutelam ac defenſionem. Tertiò, quod ſcriptum Dei verbum ſatis ſe ſolo ſit lucidum, nitidum, & apertum, ut non egeat accerſito Traditionis lumine illuſtrari & explicari. Quartò, quod has ipſas Traditiones tanquam hominum commenta Chriſtus Dominus reprobarit, & condemnarit. Ita ne ſit, ut exiſtimant, perpendamus.

Ad ſalutem igitur, fideique tutelam Scripturam ſacram aliunde ſufficere, quin præterea Divina Traditione ſit opus, evincere ſe poſſe putant ex *Epiſt.* 2. *ad Timoth. cap.* 3. *Ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu . . . . . . Omnis ſcriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Et ex illo Joannis Evangelii *cap.* 20. *Multa quidem, & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu Diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei: & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.*

At bona eorum pace dixerim, meram equivocationem illic eſſe, luſumque verborum. Apoſtolus enim, dum ait ſacras litteras inſtruere poſſe ad ſalutem, non intelligit abſolutè & univerſim, ſed ad hunc finem tantùm, qui eſt ad credendum in Jeſum Chriſtum. Is etenim erat cardo diſputationis Apoſtoli contra Judæos, qui ſalutem in lege ponebant, Paulus verò in Chriſti fide. Præterea non ait ſufficere, ſed eſſe *utilem, & poſſe inſtruere.*

Ad ſecundum vero quod attinet uno verbo reſpondeo: Joannes eo loci loquitur de ſignis, ſeu miraculis, non de dogmatibus, undè futilis objectio eſt.

Ni-

Nihil eſſe ſcripto Dei verbo adjiciendum ad fidei defenſionem, tribus pariter oraculis evincere ſatagunt. *Deut.* 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Apocalip. ult. Si quis apoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum, plagas ſcriptas in libro iſto. Ad Galatas* 1. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quòd evangelizavimus vobis, anathema ſit.*

Verum quàm parum iſta nos urgeant, nemo non videt: imò quàm bellè, quæ de Divina Traditione produximus iſta confirment, facilè deprehendet, qui, quo ſenſu intelligendi ſint lati contextus, paulò penitius perpendat.

Quod igitur ad primum attinet: nimirum *non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo:* ipſamet textus verba ſatis innuunt, quàm parum evincant ac probent. Dicitur enim *non addetis ad verbum*, ex quo inquio ego, Traditiones non eſſe propriè additiones ad verbum Scriptum, cum imò in ipſo met verbo ſcripto Traditiones commendentur.

Cui addiderim etiam, id de divinorum mandatorum adimpletione dictum eſſe; unde additur, *cuſtodite mandata Domini Dei veſtri*. Idque ſignificat unicè: *non addetis ad verbum, quod vobis loquor*, id eſt, nihil facietis eorum quæ prohibeo: *neque auferetis ex eo*, hoc eſt, nihil omittetis eorum, quæ jubeo. Unde nihil oraculum illud ad præſentem controverſiam facit de Traditionibus oralibus ad ſcriptum Dei Verbum adijciendis.

Paris omninò ſortis, & conditionis eſt aliud, quod *ex Apocalypſi ult.* deſumunt momentum. *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto*. Nam ipſemet Joannes appoſuit ſeu addidit, quippe qui poſt Apocalypſim ſcripſit Evangelium.

Quid ni quoque dicamus, vetare Joannem, ne quid Revelationi ſibi factæ in Inſula Pathmos addatur ab aliquo tamquam pars illius nomini affictа, contra Simonianos, Cerinthianos, Ebionitas; neque ex hoc igitur in ſui ſyſtematis probationem Lutherani & Calviniani deſumere quicquam poſſunt.

Multò minus æquum & prudentem æſtimatorem movere debet ex Apoſtolo ad *Galat.* 1. ab iis deſumptum argumentum. *Sed licet nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præterquamquod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Cum Paulus præter hæc multa deinceps evangelizaverit, uti evangelizavit & Petrus, & Joannes.

Obſervationem hanc noſtram, qua ſoluta eſt difficultas, altera confirmat & roborat obſervatio longè facilior, nimirum ly *præterquam*, quod legitur in celebrato Apoſtoli textu, pro *contra* eſſe in-

telligendum *παρὰ*; uti ly *præter naturam* quod legitur ad *Rom.* I. *contra naturam* interpretantur Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius; & per conſequens illud Apoſtoli oraculum hoc ſenſu eſſe intelligendum, hoc eſt anathema dixiſſe iis, qui *contra* quod iiſdem evangelizatum fuit, evangelizare voluerint.

Urgent nihilo ſecius contra nos Lutherani & Calviniani audaciores, & ut Scriptum Dei Verbum ſatis ſe ſolo apertum eſſe, ut Traditionis beneficio non indigeat, demonſtrent, aliis momentis evincere adnituntur.

Unum itaque deſumunt ex *Pſalmo* 18. ubi habetur: *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis .... Declaratio ſermonum tuorum illuminat: & intellectum dat parvulis.*

Deſumunt alterum ex eo quod legitur *Prover.* 6. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux.*

Uno flatu tota ea machina, ex congeſtis iis oraculis efformata; diſturbatur; ſi videlicet obſervetur, non ad id ſolum neceſſariam eſſe Traditionem, ut Divinarum Scripturarum obſcuritas tollatur, ſed ut alia quoque dogmata in Scripturis diſtinctè non expreſſa retegantur.

Ad uberiorem nihilominus ſolutionem dico, ea quæ objiciuntur Teſtimonia, de divinis mandatis eſſe intelligenda ad vitam honeſtè ac religiosè inſtituendam a Deo datis, quæ certè ſatis ſuperque ſacris in litteris expreſſa ſunt, ut vix ulla ad ea capienda, aliena interpretatione ſit opus. Cæterùm in aliis longè multis, obſcuras eſſe Divinas Scripturas, multiſque egere interpretamentis, ex Divina Traditione potiſſimè repetendis, adeo eſt evidens; ut inſanire Lutheranos & Calvinianos neceſſe ſit, qui id negent. At enim ſi ita planus & facilis eſt Scripturarum ſenſus; Cur D. Petrus *Epiſt.* 2. *cap. ult.* ſcribit: in Pauli Epiſtolis eſſe *quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant?* cur Chriſtus ipſe Diſcipulis euntibus in Emmaus aperuit ſenſum, ut intelligerent Scripturas, quas aliter profectò non intellexiſſent? Cur Regius vates orabat: *Revela oculos meos: & conſiderabo mirabilia de lege tua? Pſal.* 118.

Perperam etiam illud *Joan.* I. *cap.* 2. nobis obtrudunt: *Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos: ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium; & ſicut docuit vos: manete in eo.*

Hæc enim Joannis Apoſtoli verba ad ſingulos Chriſtianos non diriguntur, ſed ad Parthorum Eccleſiam, ad quam ſcribit, quæ Sacerdotibus & Fidelibus, a Spiritu S. perfectè inſtructis & illuminatis magna ex parte conſtabat, de iis agit, quos jam ipſe ſuperiùs pro-

be

bè docuerat. *Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem... quod audiſtis ab initio in vobis permaneat.*

Non abſimile argumentum efformant Divinæ Traditionis impugnatores ex eo, quod legitur *Matth.* 15. *&* *ad Coloſſ.* 2. Matthæus ergo hæc habet. *Irritum feciſtis mandatum Dei propter Traditionem veſtram*: & *ad Coloſſ. Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum Traditionem hominum*. Ex quibus colligunt, Chriſtum & Apoſtolum, Traditiones tanquam hominum commenta repudiaſſe.

Quibus facilè reponimus, oraculum illud Matthæi de Traditionibus phariſaicis, non propheticis, ſeu Divinis eſſe intelligendum. Unde non eſt, cur Traditiones tanquam hominum commenta à Chriſto & Apoſtolo repudiatas, rejiciant.

Eadem planè via ſolutum habent momentum alterum ab Apoſtolo *ad Coloſſ.* petitum, quo perinde illudunt incauti. Nomine enim Traditionis hominum, intellexit Apoſtolus placita philoſophiæ ſæcularis & Ethnicæ, quæ ab hæreticis primi ſæculi Chriſtianæ Religioni admiſcebantur, vel certè Phariſaicas Traditiones, ut exponit D. Hieronymus *Epiſt. ad Algaſiam* 151.

Alia ſuperſunt longè graviora momenta eliquanda, quibus Divinarum Traditionum auctoritatem Adverſarii impetere ſolent. De his tamen in ſequenti dicendum.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO IX.

Momenta petita ex periculis & incommodis, ſi Traditio ut Fidei regula ponatur.

LUtheranis & Calvinianis haud ſatis viſum fuit, Divinas Traditiones, momentis ex Scriptura Sacra petitis oppugnare, quibus heſterna luce pro noſtra virili ſatisfecimus; in id ſuum omne ſtudium convertunt Dalleus & Rivettus Calvinianæ ſectæ Miniſtri, ut ingentia Fidei, ac Religioni pericula & incommoda oritura demonſtrent; ſi hujuſmodi Traditiones, uti Fidei Catholicæ Regulæ conſtituantur. In ea igitur incommoda inquirere officii noſtri eſt; videndumque; an non ipſi potius, qui Divinas Traditiones eliminatas volunt, gravioribus incommodis implicentur.

Graviſſimum igitur periculum imminere ex Divinis Traditionibus arbitrantur; ne ſcilicet eorum prætextu, Eccleſiæ Fides violetur potius, quàm adſtruatur. Cum enim, inquiunt illi, Traditiones ſcripto conſignatæ non ſint, ſed voce tantùm expreſſæ ac denunciatæ, facillimum cuique eſt, Traditiones pro arbitrio comminiſci; quarum præſidio & auctoritate errores, quoſcumque libuerit, defendat, atque propugnet. Quod plus nimis experimento comprobatum fuiſſe ajunt non ſolum in nefariis hominibus, ſed etiam in SS. Viris, & Eccleſiæ Patribus.

Et quidem prætextu hujuſmodi Traditionum, Papias, Juſtinus, Iræneus, Tertullianus, Lactantius Doctrinam de Millenario Chriſti Regno propugnarunt: tanquam a D. Joanne, cæteriſque Apoſtolis per Traditionem acceptam.

Chryſoſtomus, Ambroſius, Theodoretus, Hieronymus, Bernardus de dilatione beatitudinis uſque ad extremum mundi finem prætextu Traditionis diſputarunt.

Traditio dedit Aſiæ Epiſcopis fundamentum, uti a S. Joanne illarum Eccleſiarum fundatore habitum, ut Paſcha 14. Luna celebrandum graviter ſuſtinerent.

Hujus prætextu Africæ Epiſcopi, duce Cypriano, & Firmiliano, hæreticorum Baptiſmati objecerunt; qui & ſuarum etiam Eccleſiarum Traditionem, Eccleſiæ Romanæ Traditioni oppoſuerunt.

Perperam tamen & inconſultè pericula fingunt Calviniani, ubi nulla re ipſa ſunt: quia quid Traditio illa ſit pro cujus defenſio-

ne

ne pugnamus, aut non intelligunt, aut certè intelligere nolunt. Non eſt hic nobis ſermo de Traditione, quæcumque ea ſit, ſed de illa, quæ uti talis ab Eccleſia proponatur.

Quare ſi errarint Patres laudati in internoſcenda Traditione de Millenario Chriſti Regno, & de dilatione Beatitudinis, quam perperam a D. Joanne Apoſtolo profectam exiſtimarunt; mirum profectò non eſt, cum etiam errarint in internoſcenda Scriptura, de qua non eſt hic controverſia.

Quod Aſiaticos attinet, Paſcha Luna 14. celebrantes, & Afros, hæreticos rebaptizantes, præterquamquod dici poſſet, priorem quæſtionem Diſciplinæ potius fuiſſe, quàm dogmatis; peculiares illarum Eccleſiarum Traditiones fuere, non generales Eccleſiæ Catholicæ Traditiones ab Apoſtolis verè profectæ, quales ſolæ Fidei regulæ dicuntur eſſe.

Contra urgent Calviniani: ſi, ut vera legitimaque Traditio cenſeatur, quæ fidei regula poſſit eſſe, neceſſe eſt, ut omnium ſæculorum Patres tanquam locupletiſſimi teſtes, illius nobis fidem faciant; atteſtantes ſcilicet eam ætate ſua fuiſſe Eccleſiæ profeſſionem atque ſententiam; nuſquam certò ſcire poterimus, quænam vera ſit & indubitata Traditio. Quandoquidem Patres ipſi in vera Traditione internoſcenda falli poſſunt: privataſque quandoque opiniones, aut etiam ſpiſſos errores, uti Traditiones, a Majoribus derivatos, ad nos uſque transmittunt.

Argutè ſanè, atque ſubtiliter diſputatum; ſed nihil ad inſtitutum. Nos enim non ſuſtinemus, ad dignoſcendas veras Traditiones eſſe neceſſarium inquirere, quod Patres per omnia ſæcula docuerint; ſed poſſe aliquos tantùm ac numero paucos; non poſſe omnes, ac etiam numero plures. Quia Deus corpori Eccleſiæ, non privatis indeficientiam ſuam adpromiſit.

Inſtant præterea Calviniſtæ: Nequidem Patres omnes, ac ne ipſa etiam Eccleſia poteſt hodie veras, germanaſque Traditiones a falſis ſecernere, ad hoc enim neceſſum eſt internoſcere, quid quovis retro ſæculo a fidelibus creditum ſit: In eo porro dignoſcendo falli poteſt, quia factum eſt.

Sed nihil inde contra nos extundere poſſunt. Aliud eſt enim factum ſimplex, aliud eſt factum dogmaticum. Nos porro non negamus Eccleſiam, & Patres in factis ſimplicibus errarre poſſe, in factis tantùm dogmaticis Eccleſiam & Patres falli neſcios ſuſtinemus. Siquè fortaſſe occurrat Eccleſiam quandoque fallere in judicando facto dogmatico; id ſolum occurrit, quando judicium de dogmate non pendet neceſſariò ex judicio de facto, unumque ex altero neceſſariò non ſequitur. Aſt ubi judicium de dogmate ex judicio de facto neceſſariò pendet, & ex illo neceſſariò ſequitur; Eccleſia quæ

in

in judicando dogmate infallibilis eſt, in eo etiam facto judicando infallibilis debet eſſe.

Non patere igitur Traditiones iis periculis & incommodis, quæ contra opponebantur, ſat benè demonſtravimus. Reſtat nunc, ut, non eſſe illas ab Eccleſia rejectas, quod ultimus eſt Calviniſtarum impetus, breviter oſtendamus. Agedum rem agamus. Eccleſia, inquiunt illi, Traditiones ſacroſanctas ab ipſis Apoſtolis derivatas, rejecit, ac repudiavit ſæpenumero. Rejecit Trinam immerſionem in baptiſmate; Lactis ac mellis deguſtationem; Communionem ſub utraque ſpecie; Communionem Euchariſticam pueris dari ſolitam tanquam illis ad ſalutem neceſſariam; Publicam graviorum criminum pœnam; Diſpenſationes ab obſervantiis ex Divina Traditione manantibus. Non eas ergo, ut fidei Regulam habuit Eccleſia; cum regula fidei una omnino ſit, ſola, immobilis, irreformabilis.

Non erit tamen omnibus hiſce difficile reſpondere; ſi videlicet obſervemus, alias eſſe Traditiones, quæ ad diſciplinam, cæremonias, externamque politiam Eccleſiaſticam pertinent: alias eſſe Traditiones, quæ ad fidem, & moralis Chriſtianæ regulas ſpectant. Has igitur Traditiones nullo unquam tempore rejecit Eccleſia, nec rejicere potuit. Illas vero & rejicere poteſt, & de facto rejecit. Has porro duas Traditiones enuntiat, & penè ad evidentiam oſtendit Tertullianus *lib. de velandis Virginibus*. *Regula quidem fidei una omnino eſt, ſola, immobilis, & irreformabilis.... Hac lege fidei manente, cætera jam diſciplinæ, & converſationis admittunt novitatem correctionis, operante ſcilicet, & proficiente uſque in finem Gratia Dei.*

Qua poſita diſtinctione, ad ſolutionis vinculum dico, eas omnes conſuetudines ab Adverſariis allatas ſpectare vel ad cærimoniam, uti lactis & mellis deguſtationem, & trinam immerſionem: vel ad diſciplinam, externamque Eccleſiæ politiam, uti publicam pœnitentiam, & communionem ſub utraque ſpecie. Quinimo dico, plures ex his Apoſtolicas Traditiones dicendas non eſſe, ſed mores Eccleſiæ, qui ab ea legitimis cauſſis mutati fuere, neque ab omnibus ubique, iis etiam, quibus vigebant temporibus, fuerunt obſervati.

Patet hoc primò in trina immerſione, quæ ita obſervata fuit, ut laudaretur etiam unica immerſio: ait namque S. Gregorius Magnus *lib.* 1. *regiſtri epiſtola* 41. ad Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem: *Reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt, infantem in baptiſmate in aquam vel ter, vel ſemel immergere, quando & in tribus immerſionibus Perſonarum Trinitas, & in una poteſt Divinitatis ſingularitas deſignari*. Imò ob Hæreticos Trinitatem dividentes, iis, quibus ſcribit, unicam potius immerſionem ſuadet: *ſed quia*, inquit,

quit, *nunc uſque ab hæreticis infans in Baptiſmate tertiò mergebatur, fiendum apud vos eſſe non cenſeo: ne, dum merſiones numerant, Divinitatem dividant*. Hoc etiam fuit, propter quod Concilium Toletanum IV. decrevit *Capitulo 6.* ut unica deinceps immerſio fieret. Nec veriſimile eſt, trinam ſemper Apoſtolos immerſionem adhibuiſſe, cum tot hominum millia una die baptizati in actibus Apoſtolicis perlegantur. Qua propter S. Cyprianus, baptiſma Clinicis, ſeu infirmis in lecto decumbentibus, per aſperſionem collatum, legitimum eſſe probavit *Epiſtola 76. ad Magnum data*.

Secundò liquet ex Communione ſub utraque ſpecie, quæ licet per duodecim priora ſæcula ubique paſſim fuerit obſervata, tamen quatuor ab hinc ſæculis in Occidente deſiit. Qui enim Euchariſtiam in domos deferebant, pro neceſſitate, & pietate ſumpturi, Calicem non ſumebant, qui porrigentibus Diaconis ſumi dumtaxat ſolebat. In Serapione habemus exemplum, qui ægrotus a puero particulam tantùm Euchariſtiæ aqua madefactam accepit, cui illam Sacerdos deferendam tradiderat, ut narrat S. Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium *lib. 6. hiſt. cap.* 44. Clarius etiam habemus in Manichæis; qui, ut ſuam tegerent iniquitatem, noſtris audebant intereſſe Myſteriis, & ita in Sacramentorum communione ſe temperabant, ut interdum, ne penitus latere non poſſent, indigno ore Chriſti Corpus acciperent, Sanguinem autem Redemptionis noſtræ haurire omnino detrectarent: ut teſtatur S. Leo *Serm.* 4. *de quadrageſima*. Quomodo igitur latere potuiſſent Manichæi, niſi Euchariſtiam ſumere ſub unica, vel ſub utraque ſpecie, fidelibus tunc temporis liberum fuiſſet?

Confirmat hoc idem multò magis hiſtoria, quam de Macedoniana muliere Sozomenus apud Euſebium refert *lib.* 8. *cap.* 5. quæ nimirum mariti minis coacta, ut Divinis Myſteriis communicaret, id *quod acceperat, continens, velut oratura procumbit: famula interim aſtans, furtim porrigit id quod manibus adveniens ferebat: quod quidem ſimul atque dentibus admotum eſſet, in lapidem induruit*. Fallere autem, equis non videt, fidæ famulæ miniſterio maritum minimè potuiſſet, ſi tunc neceſſario Fideles Euchariſtiam ſub utraque ſpecie accepiſſent.

Quod verò ad publicam pœnitentiam pertinet, fateor hanc deſcendiſſe ex Apoſtolica Traditione, ut graviorum criminum rei publicam pœnitentiam agerent. Cum tamen ad externam Eccleſiæ diſciplinam & politiam lugubris ille pœnitentiæ apparatus & ſolemnitas pertineret, nil mirum, ſi pia mater Eccleſia, fidelibus filiis ſuis minus ferventibus mederi voluerit, cupiens tamen, ut diſciplina illa ſanctiſſima, ſi fieri poſſit, reſtauraretur, & graviora cri-

mina, ſi publica ſint, publicis etiam pœnis, ubi diſciplina viget, coercerentur.

Quod ſpectat ad eas diſpenſationes ab iis Obſervantiis, quæ ex Apoſtolica Traditione manaverunt, idem dicendum exiſtimo, quod de diſpenſationibus in iis, quæ ſunt juris naturalis & Divini. Nempe non ſunt relaxationes ab ipſo jure, quod eſt inviolabile, ſed interpretationes juris in caſu privato: hoc eſt declarant Pontifices jus Divinum non obligare certis in caſibus; nec fuiſſe intentionem legislatoris in caſu illo privato quemquam adſtringere. Ita certè Pontifices non conceſſere, nec concedunt diſpenſationes generales de iis Obſervantiis, quæ ex Traditione Apoſtolica ortum habuere; ſed declarant & declararunt duntaxat, certis in caſibus privatos quoſdam ad eas obſervantias non obligari; cum mens Apoſtolorum non fuerit, ut obligarentur, cum illas ſervare non poſſent; vel cum earundem omiſſio in majus Eccleſiæ bonum cederet; cum denique illorum præceptorum obſervatio adverſaretur Charitati.

Notandum tamen, ad majorem hujuſce controverſiæ elucidationem, Romanos Pontifices non ſolum iis de ſtatutis ac moribus, qui ab Apoſtolis creduntur inſtituti, diſpenſare nullatenus poſſe, niſi conditionibus mox expoſitis, ſed nec de conſuetudinibus antiquis legitimis, & probatis Eccleſiarum, & Monaſteriorum: Si quis enim aliter in Eccleſia diſpenſationes facit, rationi ſimul & veritati contradicit, nec ſolum Lucernam lucentem non habet; verum etiam aliorum ardentes extinguit. Hæc ſanè fuere regulæ, quas Patres Tridentini Concilii ob occulos habuere *ſeſſ.* 24. *cap.* 5. *de Matrimonii Reformatione*, dum in contrahendis matrimoniis, vel nullam omnino dari diſpenſationem, vel rarò, idque ex cauſſa, & gratis concedi; in ſecundo verò gradu niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam, nequaquam permitti definierunt.

Hinc etiam de diſpenſationibus doctrinam confirmarunt Joannes Gerſon Pariſienſis Eccleſiæ Cancellarius *in Tractatu de poteſtate Eccleſiaſtica conſiderat.* 10. *Regula* 4. Durandus Mimatenſis *in Opuſculo*, quod juſſu Clementis V. edidit, *De modo generalis Concilii celebrandi tit.* 4.

Ab Eccleſiæ judicio ad Eccleſiæ Patres greſſum faciunt Calviniani: quos Divinarum Traditionum auctoritatem rejeciſſe comminiſcuntur. Quo in ordine D. Hieronymum in medium afferrunt *lib.* 4. *comment. in Matth. cap.* 24. ita dicentem. *Hoc, quia de Scripturis non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur*: Ex quo Hieronymum non aliunde, quàm ex Scripturis peti poſſe pro fide, aut moribus argumenta, cenſuiſſe deſumunt.

Hoc idem ſenſiſſe ajunt Auguſtinum *lib.* 2. *de peccatorum meritis*,

ritis, *& remiſſione cap.* 26. ubi ſic loquitur: *Ubi enim de re obſcuriſſima diſputatur, non adjuvantibus Divinarum Scripturarum certis, clariſque documentis, cohibere ſe debet humana præſumptio, nihil aciens in partem alteram declinando*.

In vanum tamen ad oppugnandam Divinarum Traditionum auctoritatem primum illud D. Hieronymi teſtimonium obtrudunt: Eo enim in loco SS. Doctor non intellexit elidere Divinarum Traditionum auctoritatem, quaſi quod ex Scripturis tantum, non ex Traditionibus Fidei argumenta peti poſſint; ſed libri cujuſdam apocryphiam, ex quo contendebant nonnulli, Zachariam, quem Judæi inter Templum & Altare occiderunt, fuiſſe Zachariam patrem Joannis Baptiſtæ.

Neque magis nos anxios & ſollicitos habet, quod ex altero Auguſtini teſtimonio animoſius petunt Traditionum impugnatores: eo enim in loco SS. Doctor loquitur de quæſtionibus, quæ neque in Scriptura, neque in Traditione, quæ in Scripturis fundatur, aperta habent teſtimonia. Agebat enim eo loci Auguſtinus, de quæſtione ſalebroſiſſima originis Animarum, quæ ut ipſe putabat nec Scripturarum oraculis, nec traditionibus poterat eliquari.

Cæterum tantùm abeſt, ut Divinæ Traditionis auctoritatem elidere objecto in loco voluerit Auguſtinus, ut *lib.* 5. *de Baptiſmo cap.* 23. expreſsè probaverit, datum ab hæreticis baptiſma valere; non ex Scriptura, cùm nullam de eo baptiſmate mentionem faciat, ſed ex Traditione: *Conſuetudo illa*, inquit, *quæ opponebatur Cypriano, ab eorum*, (nimirum Apoſtolorum) *Traditione exordium ſumſiſſe credenda eſt, ſicut ſunt multa, quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur*. Quo certè nil clarius, atque diſertius in Divinæ Traditionis defenſionem audiri poteſt.

In eandem pari fidentia ſcenam inducunt arguti diſputatores D. Cyprianum, ut qui perinde Apoſtolicas Traditiones rejecerit. Cyprianus, inquiunt, pugnans contra Stephanum I. pro nullitate baptiſmatis ab hæreticis recepti, minimè ad Traditionem attendit, quam ipſi Pontifex Summus tunc temporis objecit, ita ad eum reſcribens: *Nihil innovetur præter id, quod traditum eſt*. Cognovit ergo, ex Traditione, nulla certa argumenta ad probandam fidem, morumque regulam ſtabiliendam deſumi poſſe.

At non advertunt imprudentes, Cyprianum eo loci, non credidiſſe Traditionem ei a Pontifice oppoſitam fluxiſſe ab Apoſtolis; propter quod illam vetuſtum errorem appellavit, aſſeruitque contrariam eſſe Scripturis; ut ex ea liquet, quam ad Pompejum ſcripſit, Epiſtola; *Unde*, inquit, *eſt iſta traditio? Utrum ne de Dominica, & Evangelica authoritate deſcendens, an de Apoſtolorum*

mandatis, *atque epiſtolis veniens? Ea enim facienda eſſe*, *quæ ſcripta ſunt*, *teſtatur Deus* &c. Cum hic igitur Apoſtolicæ Traditionis ſermo ſit, nihil contra nos ex allato D. Cypriani teſtimonio adverſæ ſententiæ vindices extundere poſſe, nemo non videt.

Fateantur itaque, velint nolint, miſeri recutiti, ex Apoſtolicis Traditionibus certa & ad fidem probandam, & ad morum regulas ſtabiliendas, argumenta peti poſſe: aliàs figmenta ſua jampridem edita novis, iiſque turpioribus cumulabunt erroribus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO X.

Eccleſiam certam fidei regulam eſſe, & errari in fide minimè poſſe, aſſeritur, & propugnatur contra Lutheranos, & Calviniſtas.

MInus profecto Fidei tutelæ, ac defenſioni proviſum eſſet, ſi ſolis inanimatis, ac mortuis regulis, Scriptura nimirum & Traditione, niteretur. Cum enim aut hominum perverſitate, aut ignorantia regulæ illæ mortuæ in peregrinos ſenſus flecti poſſint, aut penitus obſcurari: (quod fatali experimento omni retro ætate in Hæreticis comprobatum eſt,) neceſſe omnino fuit, regulas inſuper aliquas viventes, ac ſpirantes a Deo dari, quæ omnem de fide controverſiam dirimerent, ſupremoque judicio definirent. Sunt illæ porro numero tres, Eccleſia nimirum toto Orbe diffuſa, Concilium œcumenicum, Romanus Pontifex, de quibus nobis eſt fuſè admodum diſputandum.

Ut ergo de Eccleſia dicam loco primo, illud ante omnia monere juvat, quæſtionem hìc nullam eſſe de Eccleſia generatim accepta, quæ *verorum Dei cultorum ſocietas eſt*, varioſque ſtatus, non in hac tantùm, verùm etiam in altera vita ſortitur; ſed de hac ſpeciatim Eccleſia, quæ modo in terris militat, & ad cœleſtem felicitatem aſpirat; quæ definiri a Theologis ſolet: *Societas viſibilis fidelium baptizatorum ſub uno capite Chriſto in Cœlis, & Vicario ejus in terris, inter ſe eodem cultu communicantium*. De qua quidem Eccleſia, illud primùm cum Lutheranis & Calvinianis controvertitur, *ſit ne illa certa fidei noſtræ regula?* ſeu quod in idem redit: *num poſſit Eccleſia univerſa errare in fide, atque deficere*. Si enim errare in fide omnino non poteſt, nemo non videt, certam fidei regulam illam eſſe, atque hoc eſt, quod contra Lutheranos & Calvinianos omni momentorum genere probandum aggredior in præſentia: quo vel uno firmiter aſſerto, atque probato, corruat neceſſe eſt non Lutheranus tantùm, & Calvinianus error, ſed & quiſquis unquam Eccleſiæ judicio proſcriptus eſt.

Primum itaque probationis momentum deſumam ex data Eccleſiæ a Chriſto Domino firmitate, indeficientia & immobilitate. *Matth. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.*

In eo etiam Sacrorum Oraculorum genere limpidiſſimum, diſer-

tiſſi-

tiſſimumque illud mihi ſemper eſt viſum, quod legitur *ad Timotheum cap.* 3. *Eccleſia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis.*

Ad hoc reponunt Sectarii: in tantum Eccleſiam dici Firmamentum & columnam veritatis, in quantum eſt cuſtos verbi divini, quod errare minimè poteſt.

Quàm parum id evincat ac probet, apertiſſimè conſtat in Synagoga. Etiam Synagoga cuſtos eſt Verbi Divini, nec tamen dicitur Firmamentum, & columna veritatis. Quod nec ipſi volunt acerrimi Eccleſiæ impugnatores.

Alia longè gravior ſuppetit ratio a ſacris Litteris delibata, qua Firmitas, indeficientia, & immobilitas Eccleſiæ demonſtratur.

Si Eccleſia erraret in fide, certè deſineret eſſe Eccleſia, cum hæc *Dei vivi Firmamentum & columna veritatis*, dicatur. Hoc porro dici minimè poteſt, cum Deus Eccleſiæ ſexcentis in locis adpromiſerit perennitatem.

Iſaiæ enim 61. habetur: *Fœdus perpetuum feriam eis. Et ſcient in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum.*

Pſal. 88. *Ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus: & Thronum ejus ſicut dies Cœli.*

Ad Epheſ. 4. *Ipſe quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

Hoc ipſum confirmant alia Scripturarum exempla, ex quibus liquet, Eccleſiam uſque ad conſummationem ſæculi ex infallibili Chriſti, & Spiritus S. directione regi, & gubernari.

Joan. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur a ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur.*

Ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* Aliaque id genus penè ſexcenta.

Accedit etiam in hujuſce catholicæ veritatis confirmationem veterum Eccleſiæ Patrum authoritas.

Tertullianus *lib. de Præſcript. Hæreticorum* pro ſummo abſurdo ponit ſibi fingere: *Age nunc*, inquit, *Omnes* (Eccleſiæ) *erraverint; deceptus ſit & Apoſtolus de teſtimonis reddendo quibuſdam; nullam reſpexerit Spiritus Sanctus, uti eam in veritatem deduceret.*

S. Cyprianus *lib. de unitate Eccleſiæ: Adulterari non poteſt Sponſa Chriſti, incorrupta eſt, & pudica.*

S. Joannes Chryſoſtomus *Homil.* 4. *in Iſaiam*; *Facilius eſt Solem extingui, quam Eccleſiam obſcurari.*

Clau-

Claudit tandem Patrum agmen Auguſtinus *Epiſt.* 54. *Diſputare* (contra id quod univerſa ſentit Eccleſia) *inſolentiſſimæ dementiæ eſt*.

Ex quibus quotquot meridiana in luce non omnino cæcutiunt, certiſſimè colligunt, Eccleſiam errare in fide minimè poſſe, fideique noſtræ regulam certiſſimam eſſe.

Verùm quia non deſunt, qui hanc Patrum ſententiam, tametſi Scripturarum auctoritate, & rationum pondere communitam, cavillari ambiant potius, quàm reverenter excipere; idcirco inſtituti ordinis officium poſtulat, ut eorum cavillos retundamus.

Quod ut expediam, monere vos operæ pretium exiſtimo: dum Eccleſiam errare in fide non poſſe monſtravimus, præſentem duntaxat Eccleſiam, novi ſcilicet Teſtamenti, intelleximus, *ſocietatem* nempe *viſibilem fidelium baptizatorum ſub uno capite Chriſto, eodem inter ſe cultu communicantium*. At Lutherani, & Calviniani contra nos diſputantes, dum errare in fide Eccleſiam poſſe oſtendere moliuntur, Eccleſiam Veteris Teſtamenti in ſcenam inducunt, quam ſæpius erraſſe contendunt. Quo certè diſputandi modo quæſtionis ſtatum invertunt. Nihilo tamen minus, ut cauſam noſtram meliorem faciamus, illorum etiam objectis, tametſi ab inſtituta quæſtione aberrantibus, minutatim ſatisfaciemus.

Primum itaque Eccleſiæ errantis in fide exemplum ducunt a totius populi Judaici, ab Ægyptiaca ſervitute liberati: dum Aaron ſummus Pontifex vitulum aureum adorandum populo exhibuit: totuſque populus clamavit *Exodi* 32. *Hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*.

Cui tamen depellendæ calumniæ ſatis ſit obſervare: Primò: totum tunc temporis populum non erraſſe, & in Idololatriam prolapſum fuiſſe. Secundò: Aaronem necdum tunc Pontificem extitiſſe. Tertiò: Nec Moyſem, qui verè tunc populi caput erat, hujus Idololatriæ participem nequaquam fuiſſe; nec totam Tribum Levi; clamante enim Moyſe; *Si quis eſt Domini, jungatur mibi. Congregati ſunt ad eum omnes filii Levi*, tamquam veri Dei cultores. Quartò tandem a filiis Levi ad ultionem ſceleris occiſa fuiſſe viginti tria millia virorum.

Paris futilitatis eſt, quod adjicitur: Eccleſiam totam, ſeu integram Fidelium ſocietatem à veri Dei cultu defeciſſe tempore Eliæ, & in Baalis cultum declinaſſe, propterea quòd 3. *Reg.* 19. Ipſe Deo diceret: *dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael: Altaria tua deſtruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus ſum ego ſolus*.

Hoc non eſt ſolutu difficile, ſi videlicet obſervetur, id ab Elia dictum fuiſſe occaſione perſecutionis Jezabel, quæ non extra Regnum

gnum Iſrael exarſit; neque id de toto Iſraelis Regno dictum fuiſſe, ſed de illius parte tantùm; nec defeciſſe a cultu Regnum Juda: quinimo non omiſerim obſervare, de ipſo quoque Regno Iſrael dixiſſe Deum ad Eliam: *Derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal*. Quibus omnibus addiderim ego, Eliam ſolum Prophetam, non ſolum cultorem Dei relictum fuiſſe.

Idem fermè ſtatuere liceat de temporibus Iſaiæ, cujus ſunt graves illæ increpationes *cap.* 1. *Filios enutrivi, & exaltavi; ipſi autem ſpreverunt me. Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognovit, & populus meus non intellexit. Væ ingenti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis. Dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt Sanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum. Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem? omne caput languidum, & omne cor mærens. A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas*. Sunt enim increpationes illæ ad magnam Synagogæ partem directæ, non ad omnem Synagogam, in qua temporibus illis multos extitiſſe liquet, non modò fideles, ſed & Sanctiſſimos Viros: uti Auguſtinus obſervat *lib. de unitate Eccleſiæ cap.* 10.

Non ita fortaſſe facilè fuerit palam oſtendere, quo pacto non defecerit Eccleſiæ fides, tempore Chriſti Domini patientis. Sive enim Eccleſiam in Synagoga illius temporis conſtituamus, ſive in Chriſti Diſcipulis, utrobique per infidelitatem Eccleſia lapſa videtur. In Synagoga, inquam, cum Summus Sacerdos cum cæteris Sacerdotibus, & Senioribus populi Chriſtum damnarint; illiuſque damnationi conſenſerit populus univerſus, elata voce, *reus eſt mortis, crucifigatur*. In Diſcipulis vero, cum omnes Chriſto relicto aufugerint, fidemque negarint, una excepta Deipara: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in nocte iſta. Matthæi* 26. Cujus illud publicum in Eccleſia ſervatur Symbolum: quod in recitatione Divini Officii, ubi Paſſio Domini celebratur, extinctis paulatim candelis omnibus, una tantùm ſervetur ardens, Deiparæ fidem intactam & integram repræſentans. Imo Diſcipulorum omnium de Chriſti Reſurrectione fidem eo tempore periiſſe, ſatis ſignificavit Chriſtus Dominus, dum ad Patrem proximè aſſenſurus, exprobravit *incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia ii, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt. Marci ultimo*.

Si rem tamen penitius inſpiciamus, nihil eſt, quod incommodet, eo in caſu Chriſti Domini patientis. Quod enim intereſt Synagogam, nihil refert, ſi tota tunc erraſſe convinceretur. 1. quia nulla illi, aut ejus Sacerdotibus indeficientia a Deo promiſſa fuerat.

2. quia

z. quia tunc à Deo rejici & reprobari incipiebat, ut veræ Chriſti Eccleſiæ locum daret; de qua nobis eſt diſputatio, poſſit ne falli, atque deficere. Sed nec tota tunc erravit Synagoga, quia nec omnes Judæi, qui tunc Jeroſolymis aderant, in Chriſti mortem conſpirarunt: aliique propemodum infiniti extra Jeroſolymam erant, qui nullas in Chriſti nece partes habuerant.

Quod autem ad Chriſti Diſcipulos ſpectat: non iis ſolis vera tunc conſtabat Eccleſia, ſed Fidelibus aliis tam multis, quos Chriſtus ad fidem ſuam traduxerat. Nec illorum fuga, imò nec negatio Petri veræ, hoc eſt, interioris infidelitatis eſt argumentum. Sed peccarunt duntaxat ex defectu externæ fidei profeſſionis. Neque omnes nullo excepto fugiſſe perhibentur. Non fugiſſe Joannem liquet, ut mittam amplum illum mulierum comitatum plangentium, & lamentantium, de quibus loquitur Evangelium, dum Chriſtus duceretur ad Crucem; piaſque illas mulieres Cruci adſtantes, dum in illa Salvator penderet: quare falſum eſt, quod plerique ajunt, ſolam Deiparam Virginem tenuiſſe tunc fidem; idque ſignificari candela illa, quæ unica ſervatur ardens, & inextincta, dum officium de paſſione Domini recitatur. Id enim eo ſymbolo minimè ſignificatur: una quippe candela inextincta manente, quatuordecim extinguntur; cum tamen duodecim tantùm eſſent Apoſtoli, quos lubet infidelitatis arguere. Imò XII. Eccleſiæ ſæculo, & hæc quoque ultima candela extingui conſueverat, teſte Ruperto Abbate *lib. 5. de Divinis officiis cap. 26. & 28.* ac poſtmodum extinctæ illæ candelæ omnes, accendi ſecundò ſolebant igne ex ſilice educto, atque excuſſo. Quare hujus Eccleſiaſticæ Cæremoniæ alia quærenda eſt myſtica ratio.

De fide autem Reſurrectionis, qua caruiſſe dicuntur Apoſtoli pauló aliter pronunciaverim. Qua in re, duo tempora diſtingui velim: primum, ante ipſam Chriſti Reſurrectionem peractam, ac ſufficienter publicatam: alterum poſt factam ſufficientem Reſurrectionis publicationem: ac priori quidem tempore, fateor illos Reſurrectionem ignoraſſe, at meram ignorantiam fuiſſe dico, atque inculpatam, non autem infidelitatis actum, quo quis Dei Verbo reluctatur: quia Chriſti ipſius verba futuram ſuam Reſurrectionem prænunciantis non plenè intellexerint, proprio ne an figurato ſenſu dicta fuiſſent. Unde cum Chriſtus dixiſſet *Lucæ* 18. *Occident eum, & tertia die reſurget*, ſubjungit Evangeliſta: *Et ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* Et *Joan.* 20. de Apoſtolis Dominicæ Reſurrectionis argumenta quærentibus dicitur: *Nondum enim ſciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis reſurgere.* Cæterum poſt publicatam ſufficienter Reſurrectionem, dico, Apoſtolos

ſtolos majori ſaltem ex parte eandem firmiter credidiſſe, nec de omnibus promiſcuè dictum fuiſſe *exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt:* quandoquidem eo non cenſentur numero, qui eum viderant ſurrexiſſe.

Quamquam ſi ea labes toti Apoſtolorum ordini aſpergeretur, non tota propterea Eccleſia in Reſurrectionis fide erraſſe cenſenda eſſet, cum tota Eccleſia eo ſolo ordine minimè contineretur.

Septimum ſequitur Eccleſiæ deficientis, aut certè aliquando defecturæ exemplum ex ſacris litteris delibatum, quod a Calvinianis obiici ſolet, fidem ſcilicet Eccleſiæ ſub finem mundi defecturam eſſe: propter quod a Chriſto Domino dictum ſit, *Lucæ* 18. *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Et 2. *ad Theſſal.* 2. *Niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*,

Non eſt tamen cur eo momento moveamur. Nihil enim iis oraculis ſignificatur aliud, quam fore tunc fidem admodum languidam, & ad paucos admodum redactam, ob Antichriſti perſecutionem; non tamen prorſus extinctam. Cum & tunc temporis Electi in terris degentes futuri ſint, propter quos perſecutionis dies breviandi a Chriſto dicuntur.

Octavum producunt ex D. Hilarii teſtimonio deſumptum. In Epiſtola enim, quam SS. Doctor tempore Hæreſeos Arianæ ad Conſtantium ſcripſit, retulit paucos admodum fuiſſe Catholicos in Oriente; ex quo inferunt, Eccleſiam toto illo tempore defecturam.

Ineptè tamen & ignoranter colligunt ex paucitate Catholicorum in Oriente, viſibilem Eccleſiam periiſſe, dum ſatis erat, ut tunc temporis emineret in Occidente. Ceterum dico, plures eo etiam tempore Epiſcopos fidem Orthodoxam defendiſſe in Oriente. Hanc defenderunt Adelphius, Marcus, Ammonius, Gajus, Paphnutius, aliique tum Africæ, tum Orientis Antiſtites, quibus addi poſſent Philo Lybiæ Epiſcopus, Dracontius, quem S. Hilarion exulantem vidit, Euſebius Samoſatenus, Cymatius, & plures alii, quos Athanaſius in Apologia ſua ſcribit, propter fidei Catholicæ confeſſionem, exules fuiſſe.

Ultimum ſupereſt ex D. Hieronymi teſtimonio delibatum, qui poſt Ariminenſe Concilium, in quo fidei formula per fraudem Arianorum fuerat immutata, ſcribit, per totum Terrarum Orbem Arianam Hæreſim viguiſſe: *Totus orbis* inquit *ingemuit, & miratus eſt, ſe repente factum Arianum:* Ex quo inferunt, univerſam Eccleſiam & defeciſſe, & in errorem prolabi poſſe.

At eſt illa mera æquivocatio, ex Hyperbolica S. Doctoris loquendi formula enata. Eo enim in loco ſignificare voluit SS. Do-

ctor

ctor plures Provincias propter ementitum illud Ariminenſe Concilium tunc temporis ad Arianorum partes commigraſſe., uti legere eſt apud Baronium *ad annum Chriſti* 358. nec aliter ſenſiſſe Hieronymum putandum eſt. Nam plurimi tunc fuerunt in Eccleſia Catholica, qui Arianorum fraude, atque perfidia minimè attenta, in fide Orthodoxa firmiter perſtitere; ut Hilarius Pictavienſis, & cum eo tota Gallia, quæ eum de Hæreſi veluti triumphantem complexa fuit, cum ab exilio reverteretur. Perſtitit etiam eo tempore in fide Felix Papa, & cum eo Clerus Romanus, aliique benè multi, qui nec Imperatoris Conſtantii minis, nec Arianorum fraudibus dimoveri potuerunt. Sed de his ſatis: Progrediamur ad alia.

Digitized by Google

PRÆLECTIO XI.

Eccleſiam magnos etiam Peccatores ſinu ſuo complecti, nec ſolis juſtis, atque prædeſtinatis conſtatam eſſe probatur.

Quam audacter Eccleſiæ auctoritatem depreſſerunt Lutherani & Calviniſtæ, dum eam fallibilem, errorique in fide obnoxiam dixere in ſuperioribus Prælectionibus; tam fidenter nunc ejuſdem dignitatem & excellentiam evehere ſibi fingunt, dum Eccleſiam ex ſolis juſtis, & quidem prædeſtinatis conflatam eſſe contendunt. Cur id illi doceant, divinare non eſt admodum operoſum, nempe ut alteri, quem mordicus tuentur, errori viam ſternant: hoc eſt ut Eccleſiam inviſibilem eſſe nobis evincant. Cum enim quinam re ipſa juſti ſint, atque prædeſtinati, nec videamus, nec ſecernamus in hacce mortali vita; nulla meliori via probari poſſet, Eccleſiam non videri, quam ſi ex ſolis juſtis, atque prædeſtinatis conflari demonſtraretur. Quapropter utrumque errorem refellere offitii noſtri eſt.

Sit ergo prima hæc aſſertio indubitata, & inconcuſſa: *Eccleſia magnos etiam peccatores ſinu ſuo complectitur; nec ex ſolis juſtis, atque prædeſtinatis conflata eſt, verum etiam ex reprobis.*

Liquet hoc primò ex Parabolis: *Matth.* 13. *Simile eſt Regnum Cœlorum Sagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere Piſcium congreganti.*

Matth. 22. Nuptiali convivio ad quod omnes promiſcuè admiſſi ſunt: *Egreſſi ſervi ejus in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt malos, & bonos: & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium.*

Matthæi 25. *Simile erit Regnum Cœlorum decem virginibus: quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obviam ſponſo & ſponſæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.*

Confirmat hoc etiam Apoſtolus 2. *ad Timot. cap.* 2. ubi Eccleſiam comparat domui, in qua ſunt vaſa non ſolum aurea, & argentea, ſed & lignea & fictilia.

Item Joannis in *Apocalypſi cap.* 2. & 3. Variarum Eccleſiarum Epiſcopos de rebus non levibus, imò graviſſimis reprehendens, Epiſcopo Epheſino ita ait: *Charitatem tuam primam reliquiſti*, & Epiſcopo Sardicenſi: *Nomen habes, quod vivas, & mortuus es.*

Non abſimiliter, & *Matth.* 18. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum.*

Sint

Sint igitur hæc inviƈtiſſimæ probationes, quibus primam ſtatutæ noſtræ aſſertionis partem contra Lutheranos, & Calviniſtas oſtendamus.

Quod alterum propoſitæ quæſtionis caput attinet, id pari fide, atque conſtantia pronuncio: *Eccleſiam inviſibilem non eſſe, ſed omnium oculis objiti*.

Eſſe autem Eccleſiam viſibilem, habemus amplam ſacris in litteris probationum materiem.

Matth. enim 5. dicitur: *Non poteſt Civitas abſcondi ſupra montem poſita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub medio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.*

Pſal. 18. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum:* quod de Eccleſia Patres exponunt; Auguſtinus *Enarrat.* 2. *in Pſal.* 18. & S. Cyprianus *Epiſt. 69.* ubi ait: *Et illi ſunt Eccleſia plebs Sacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhærens.*

Pateſcit id longè clariùs ex aliis Scripturæ teſtimoniis, quæ falſa perinde dicenda eſſent, ſi viſibilis Eccleſia non eſſet.

Matth. 18. *Dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.*

Act. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo. Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam Lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Cap.* 18. *Deſcendens Cæſaream, aſcendit, & ſalutavit Eccleſiam. Cap.* 15. *Cum autem veniſſent Jeroſolymam ſuſcepti ſunt ab Eccleſia, & ab Apoſtolis, & ſenioribus;* & alibi ſæpius. Ut planè Lutheranos, & Calviniſtas non modò cæcos, ſed & vecordes eſſe oporteat, qui Eccleſiam inviſibilem eſſe contendunt.

His robur addit ratio non una, ſed triplex. Primò: Definitur Eccleſia ſocietas fidelium baptizatorum: Socii porrò debent ſe ipſos certò certiùs agnoſcere ex publicis, & communibus ſignis. Quomodo igitur id fieri poſſet, ſi inviſibilis eſſet Eccleſia? Secundò: debemus nos Eccleſiæ adjungere, in ea perſeverare, præpoſitis ejus morem gerere, communicare cum membris. Tertiò: Eccleſia congregatio eſt hominum in eodem cultu manentium. Quomodo id fieri poſſe putatis, ſi ut initio ſpopondimus probaturos, viſibilis Eccleſia non eſſet?

Neque tamen, dum Eccleſiam viſibilem dicimus, ea omnia quæ in Eccleſia, ac de Eccleſia ſunt, videri contendimus: uti ſi hominem viſibilem dicam, non propterea videri ejus animam, videri cor, hepar, cerebrum, vitales ſpiritus affirmabo, ſed geminam veluti partem in Eccleſia ſecerni volumus: corpus ut ita dicam, & Spiritum. Primum ſeu corpus in externa illa fidelium ſocietate,

iiſ-

iiſdem ritibus Deo ſervientium, iiſdem Sanctis participantium; iiſdem legibus utentium, iiſdem præpoſitis obſequentium, poſitum eſt: Alterum ſeu ſpiritum in ſecretiori Spiritus S. directione, in charitatis compage, in unctione gratiæ, donorumque ſitum eſt. Qua diſtinctione poſita, ruunt quæcumque Calviniani momenta congerunt, ut Eccleſiam inviſibilem probent. Quæ enim de interiori & inviſibili Eccleſiæ Spiritu Sacris in Litteris dicta ſunt ad Eccleſiæ corpus miſerè detorquent, ut & illud minimè videri probent.

Sic illud *Jeremiæ* 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum*: & illud *Lucæ* 17. *Regnum Dei intra vos eſt*. Et 1. *Petri* 2. *Ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales Hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum*. Quæ de interiori Eccleſiæ Spiritu, non de externo corpore dicta ſunt.

Sed audiendi ſunt Lutherani, quid de peccatoribus & reprobis objicere ſoleant, ut illos Eccleſiæ corpore excluſos oſtendant.

Horum nonnulla ex ſacris Litteris petuntur, alia ex Patribus delibantur, quibus ex integro ſatisfacere, noſtri nunc muneris eſt & officii.

Graviſſimum illud eſt, quod ex Iſaiæ Prophetia petitur *cap.* 52. ubi quaſi in præſentis Eccleſiæ ſtatum oculos intendens, ita vaticinatus eſt: *Non adjiciet ultra, ut pertranſeat per te incircumciſus*; hoc eſt homo quiſquam incircumciſi cordis, & immundi.

Aberrant Calviniani toto oſtio. Si enim litteralem hujus oraculi ſenſum attendimus, de Jeroſolyma poſt captivitatem Babylonicam inſtauranda vaticinatus eſt Iſaias: quo ex tempore incircumciſis & immundis hoc eſt Gentilibus patere ultra non debebat Jeroſolyma, uti obſervavit Hieronymus. Si figuratum ſenſum inſpicimus, non ad Militantem, ſed ad Triumphantem Eccleſiam adumbrandam refertur. Quæ Epiſcoporum Africanorum reſponſio fuit in *Collatione cum Donatiſtis*, & D. Auguſt. *lib. ad Donatiſtas poſt Collationem cap.* 8.

Congerunt ſecundo in ordine ea Apoſtoli dicta, quæ omnem cum improbis ſocietatem habendam prohibent. 2. *Cor.* 6. *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial?* at ſi peccatores inſignes in Eccleſia eſſent, cum iis eſſet habenda ſocietas.

Conatu nihilominus irrito. Ut enim ſileam loqui hic Apoſtolum de ſocietate cum Infidelibus non habenda: juxta quod addit: *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ pars fideli cum infideli?* unde nihil ad præſens inſtitutum noſtrum, agit enim de matrimonio cum infidelibus non ineundo. Illud inſuper addi poteſt: Non eſſe cum peccatoribus ſocietatem habendam familiaris converſationis,

nis, & conjunctionis morum; benè tamen ſocietatem cum iis habendam eſſe participatione eorumdem Sanctorum, in ritibus, in cultu, in legibus, in directione Prælatorum: in quibus communio Eccleſiaſtica ſita eſt, quam etiam cum peccatoribus habere debemus.

Durius fortaſſe videbitur, & Calvinianorum inſtituto accommodatius, quod *Rom.* 8. legitur: *Si quis autem Spiritum Chriſti non habet; hic non eſt ejus*: Et 1. *Corint.* 12. *In uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus:* unde iſtud argumentum in gratiam Calvinianorum elici poteſt: Ii non ſunt Chriſti, & Eccleſiæ membra ex Apoſtolo, qui Chriſti & Eccleſiæ ſpiritum non habent: *Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur ii ſunt filii Dei*. *Rom.* 8. Peccatores vero Chriſti & Eccleſiæ ſpiritum non habent: concludendum eſt ergo, Chriſti & Eccleſiæ membra dici non poſſe.

Reponunt de more Theologi: peccatores Eccleſiæ membra non eſſe ſimpliciter, & univocè, hoc eſt, vera membra & viventia; eſſe tamen membra æquivocè & ſecundum quid, id eſt mortua, nondum tamen a corpore myſtico præciſa. Non repugno. Simplicius tamen fuerit ſi dicatur cum Petro Soto & Melchiore Cano, malos & improbos Eccleſiæ membra omnino non eſſe; quamquam & ſint in Eccleſia, & ſint de Eccleſia, tamquam humores peccantes, & partes excrementitiæ. Sic enim docet Auguſtinus *Tract.* 3. *in Epiſt. Joan. Sic ſunt* (peccatores) *in corpore Chriſti, quomodo humores mali in corpore hominis*. Plus certè deſideratur ut quid corporis membrum ſit, quam ut ſit in corpore & de corpore.

Neque obeſt, quod contra geminam Reſponſionem opponit Card. Bellarminus, fore inde conſequens, ut Pontifex malus, & improbus non ſit Eccleſiæ caput; contra quod definitum eſt in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 15. contra Joannem Hus. Membrum enim mortuum, imò pars excrementitia, aut humor peccans, caput eſſe non poteſt. Non id inquam obeſt: quia caput Eccleſiæ viſibile conſtituitur per Juriſdictionem, & auctoritatem in cætera membra: Membrum verò dicitur per receptionem influxus vitalis inviſibilis a Chriſto capite, quo ſpiritualiter vivit. Cum itaque Pontifex malus & improbus Juriſdictionem retineat in membra Eccleſiæ, conditionem capitis habet; etſi verum Eccleſiæ membrum non ſit, defectu ſpiritus vitalis a Chriſto recepti.

Non repugnare porrò iſta duo, eſſe ſcilicet caput & non eſſe membrum vivum, patenti argumento, & quidem a fortiori convinco. Receptiſſima enim Theologorum ſententia eſt, & hæreticos occultos, qui nempe hæreſim animo fovent, quam tamen minimè pro-

prodant, Eccleſiæ membra non eſſe, imò non eſſe in Eccleſia: quamvis, quia ignoti ſunt, Sanctorum Communione fruantur: juxta dictum Auguſtini *lib. de unitate Eccleſiæ cap. ult. Multi hæretici ſunt in Sanctorum Communione cum Eccleſia, & tamen jam non ſunt in Eccleſia:* Ecquo verò pacto eſſent hæretici illi occulti in Eccleſia ac de Eccleſia, quæ non niſi fidelium ſocietas eſt? ut habet Innocentius *cap. Firmiter, de ſumma Trinitate*. Et tamen Pontifex, ſi fortè hæreticus eſt occultus, hæreſimque ſecreto animo fovet, adhuc remanet Pontifex, eſtque perindè caput Eccleſiæ, donec detecta ejus hypocriſi deponatur. Quantò magis igitur poterit eſſe caput, ſi moribus tantùm improbus de Eccleſia ſit, ſin minùs uti membrum vivum, at ſaltem ut mortuum membrum, ut pars excrementitia, ut humor peccans, quemadmodum loquitur Auguſtinus?

Repugnant iſta fateor in corpore phyſico: Caput eſſe, ac non item veri nominis membrum; quia caput naturale non poteſt in alia membra influere, niſi informetur ab anima, & vitæ influxum ab ipſa recipiat. At non repugnant in corpore myſtico: quia poteſt caput juriſdictionem in membra exercere; quamvis a forma, ut ita loquar, & anima Eccleſiæ, ideſt fide & charitate non informetur. Sed alia expediamus Calvinianorum argumenta ex Patrum auctoritate delibata.

Ex tribus maximè præſidium petunt; ex Cypriano ſcilicet, Auguſtino, & Joanne Chryſoſtomo. Et quidem Cyprianus *lib. de unitate Eccleſiæ* principium hoc certiſſimum ponit: *Habere jam non poteſt Deum fratrem, qui Eccleſiam non habet matrem:* Ex quo illud viciſſim inferunt Calviniani, non habere Eccleſiam matrem, qui Deum non habet patrem. Mali porro & improbi Deum non habent patrem, ſed Diabolum potius, juxta illud *Joan. 8. Vos ex patre diabolo eſtis:* concludunt igitur malos & improbos de Eccleſia nequaquam eſſe. Unde idem Cyprianus *Epiſt. 76.* ait: *In Eccleſia Dei, in qua nonniſi concordes atque unanimes habitant, loquente Spiritu Sancto, & dicente: Deus qui inhabitare facit unanimes in domo*. Mali autem & improbi unanimes non ſunt. Quis igitur poterit, improbos de corpore Eccleſiæ appellare?

Verùm utraque conſecutio ſpuria eſt. Spuria eſt prima. Etſi enim Deum patrem non habeat, qui non habet Eccleſiam matrem, non ſequitur viciſſim, non habere illum Eccleſiam Matrem, qui Deum non habet patrem, quia filius Eccleſiæ quis eſt per fidem; Filius Dei per charitatem. Porro tametſi nemo poſſit habere charitatem ſine fide, poteſt tamen quis habere fidem ſine charitate. Spuria quoque eſt altera conſecutio: quia duobus modis poteſt dici quis Filius Dei: & ratione imitationis, juxta illud Chri-

Chriſti Domini, *Matthæi cap.* 5. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos . . . . ut ſitis filii patris veſtri, qui in cœlis eſt:* quo titulo non ſunt improbi Filii Dei, ſed Diaboli, quem propius imitantur; & ratione doctrinæ: juxta illud Apoſtoli *ad Galatas* 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis;* quo ſenſu ipſi quoque improbi modò fidem teneant, Dei filii ſunt, quemadmodum & Eccleſiæ. Altero verò loco loquitur Cyprianus contra Schiſmaticos, qui Eccleſiæ ſcindunt unitatem. Atque ita de concordia, & unitate fidei loquitur, quam tenent fideles univerſi, non de unitate & concordia charitatis & Spiritus, quam ſoli Juſti in Eccleſia ſervant.

Nullo meliori titulo producitur contra nos Auguſtinus *lib.* 2. *contra Creſconium cap.* 21. *lib.* 2. *contra litteras Petiliani cap. ult.* & alibi ſæpe affirmans homines malæ & pollutæ conſcientiæ non eſſe in corpore Chriſti, quod eſt in Eccleſia: quoniam non poteſt Chriſtus habere membra damnata. Nihil enim ſibi vult aliud SS. Doctor, quam quod paulò antea memorabam, non eſſe pollutæ ac malæ conſcientiæ homines in Eccleſia, tamquam illius membra viva, ac propriè dicta; etſi in Eccleſia & de Eccleſia ſint tamquam membra mortua, ſeu verius, uti partes excrementitias & humores peccantes: ut ipſemet docet *Tract.* 3. *in Epiſt. Joannis*.

Supereſt Joannes Chryſoſtomus, qui dictum illud Apoſtoli exponens 2. *ad Timoth.* 2. hæc habet: *In magna autem domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia*, ait non poſſe id intelligi de Eccleſia, quia in ea non ſunt vaſa niſi aurea, & argentea.

Cui reponere ſatis eſt, Chryſoſtomum locum illum Apoſtoli exponere de vaſis, non quibuſcumque in domo exiſtentibus, ſed de vaſis ad publicum uſum neceſſariis: adeoque nil mirum ſi locum hunc de Eccleſia nolit intelligi; quia quæ in ea ſunt vaſa lignea, fictilia, & ignobilia, neceſſaria non ſunt ad publicum miniſterium; pluſque obſunt, quam proſint. Totum id ex Chryſoſtomi contextu compertum eſt. *Sunt ergo in Eccleſia mali, etſi Eccleſiæ ſint noxii mali: ſunt in ea vaxa fictilia, etſi ſint Eccleſiæ inutilia* Juxta præclarum illud D. Hieronymi dictum in *Dialogo contra Luciferianos: Arca Noe Eccleſiæ typus fuit . . . . ut in illa omnium animalium genera; ita & in hac univerſarum & gentium & morum homines ſunt. Ut ibi pardus, & hædi, lupus, & agni: ita & hìc juſti, & peccatores, ideſt, vaſa aurea & argentea, cum ligneis & fictilibus commorantur.*

Abſoluta igitur de Eccleſia Theologica Tractatione, & quan-

tum ex ſcripturarum Oraculis licuit , Catholica Veritate propugnata ; id unum nobis in præſenti reliquum eſt , ut de Eccleſiæ notis , ac primùm de illius Unitate ſermonem inſtituamus . At quia novam Argumentum iſtud induſtriam deſiderat , ac laborem , idcircò in alteram Relectionem mittimus accuratiùs pertractandum.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO XII.

Unitatem veræ Eccleſiæ a Chriſto Domino inſtitutæ, primam dotem eſſe notamque præcipuam, demonſtratur.

CUm extra veram Eccleſiam ſalus nulla poſſit eſſe; eamque teneamur in omnibus auſcultare, illiuſque legibus regi, præceptis imbui, illiuſque præpoſitis gubernari; illud eſt præ cæteris neceſſarium internoſcere, quæ vera Eccleſia ſit, cujus in ſinu vivere oporteat, cujus vocem audire teneamur. Id ut noverimus, quatuor præfiniuntur ſenſibiles notæ ſeu caracteres, quibus vera Chriſti Eccleſia a quibuſvis pravis ſectis de facili ſecernatur: ſi nimirum *Una* ſit, *Sancta*, *Catholica*, *& Apoſtolica*. Quas omnes notas nos credere profitemur in Symbolo Conſtantinopolitano: *In unam Sanctam*, *Catholicam*, *& Apoſtolicam Eccleſiam*. De his ergo notis dum dicere aggredimur, tria demonſtranda ſumimus: Primùm, harum notarum quamlibet veræ Eccleſiæ congruere Sacris in Litteris adumbratæ, & a Chriſto Domino inſtitutæ. Secundùm, harum quamlibet Eccleſiæ Romanæ propriam eſſe. Tertiùm, harum notarum nullam, Lutheranæ & Calvinianæ ſectæ competere poſſe, ut inde colligere tandem liceat, ſolam Romanam Eccleſiam veram eſſe, & a Chriſto Domino inſtitutam.

Ut ergo de nota prima dicam loco primo, illud primum omnium oſtendo: Unitatem veræ Eccleſiæ a Chriſto Domino inſtitutæ primam dotem eſſe, notamque præcipuam.

Liquet id in primis *Joann.* 10. *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili: & illas opportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus paſtor.*

Liquet id perinde 1. *Cor.* 12. *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi, & omnes in uno Spiritu potati ſumus . . . . Vos autem eſtis Corpus Chriſti, & membra de membro.*

2. Itidem *Cor.* 11. *Deſpondi enim vos uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto.*

Cant. 6. Una eſt Columba mea, perfecta mea, una eſt . . . . .

Alterum accedit nil minus indubitatum probationis momentum, ex eo, quod Sacris in Litteris quoties a Chriſto Domino, & Apoſtolis fidelium ſocietas nominatur, ſeu Eccleſia, toties ſingulari numero deſignatur.

Matth. 18. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos.*

Ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt; Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.*

Hoc idem docuere celebratiſſimi Eccleſiæ Patres. S. Cyprianus librum ex inſtituto edidit *De Unitate Eccleſiæ*. Alii paſſim, maximè verò Auguſtinus, & Hieronymus Eccleſiam conferunt cum Arca Noe: cum domo, in qua agnos comedi jubebatur: cum tunica Chriſti inconſutili: Cum domo Rahab, in qua excepti ſunt exploratores. En tibi primum apertiſſimè demonſtratum.

Nunc illud nobis eſt operoſius inquirendum, unde maximè Eccleſiæ *Unitas* repetatur? Qua in re etſi multa unitatis argumenta ſint: ut *Principii unitas*, Dei ſcilicet, & Chriſti ejus, a quo Eccleſia fundata eſt; *unitas finis*, nempe felicitatis æternæ, ad quam aſpirat: *unitas charitatis*, quæ interior Eccleſiæ vita eſt. Expeditius fuerit, ſi dicamus, ex tribus aliis maximè peti Eccleſiæ unitatem; ex unitate capitis, ex unitate fidei, ex unitate, ſeu ut Schola loquitur, identitate Sacramentorum. Primum patet ex iſto *Joannis* 10. *Fiet unum ovile, & unus paſtor*. Secundum ex illo *ad Epheſios* 4. *Una fides, unum baptiſma . . . . donec occurramus omnes in unitatem fidei*. Tertium ex iſto 1. *Corinth.* 10. *Omnes qui de uno pane, & de uno Calice participamus*. Quo poſito ecquis non videt, primam hanc Eccleſiæ dotem, videlicet unitatem, uni & ſoli Romanæ Eccleſiæ convenire, non item ſectæ Lutheranæ & Calvinianæ. Hæc illa fuit, quam *omnium Eccleſiarum matrem atque magiſtram . . . . . Centrum unitatis Eccleſiaſticæ . . . . Unde Sacerdotalis unitas omnis exorta eſt*, tota ſemper antiquitas profeſſa fuit. Cyprianus *Epiſt.* 41. 45. 55. Irenæus *lib.* 7. *Adverſus hæreſes cap.* 3. Optatus Milevitanus *lib.* 2. *contra Parmenianum*. Hieronymus *Epiſt.* 75. *ad Damaſum*. Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. Concilium Tridentinum *Seſſ.* 7. Hæc illa eſt, quæ ſuam fidelium ſocietatem in omnem locum diffuſam, ſemper habuit, Epiſcopo Romano ut Capiti ſuo a Chriſto Domino inſtituto adhærentem, cum Patres fermè omnes, qui Eccleſiam Chriſti declarant in totum terrarum Orbem eſſe diffuſam, eandem ſemper cum Epiſcopo Romano Communione conjunctam eſſe aſſeverent. Hæc illa, quæ Romanorum Pontificum, cæterorumque Paſtorum ſuorum ſucceſſionem ſemper & ubique imperturbatam tractavit, ſeu tempore Ethnicorum Imperatorum, ſeu Alarico Gothorum Rege Romam capiente, cùm ſedebat Innocentius I., vel Genſerico Urbem poſtea depopulante, cùm ſedebat Vigilius, vel ſævientibus Longobardis, quorum tyrannicum agendi morem in Romanos Epiſcopos

ſuis

ſuis paſſim Epiſtolis perſtringit Gregorius; vel denique cum in Gallias ſeſe receperunt, ut refert Bernardus tum in *Epiſtola* 243. *ad Populum Romanum*, tùm 244. *ad Conradum Imperatorem*. Hæc illa, quæ tota licèt repugnante hominis natura, furentibus Tyrannorum perſecutionibus, ſemper eandem fidei profeſſionem, eandemque Sacramentorum participationem conſtanter, firmiterque ſervavit, fovit, defendit. Hinc conſequens illud videtis, quod ſpopondi me initio probaturum, primam hanc Eccleſiæ dotem, ſoli Romanæ Eccleſiæ, minimè verò Lutheranæ & Calvinianæ poſſe convenire. Et ſanè: quo pacto prima hæc dos, quo ad unitatem capitis pertinet, congruere ei poteſt; ſi regimen ſimile, & viſibile Caput non habeat Pontificem Romanum, tanquam centrum Eccleſiaſticæ unitatis Chriſti D. inſtitutum? Satis eſt ſi dicamus, adeò diverſum regimen eſſe apud Lutheranos & Calviniſtas, ut inter Lutheranos ipſos idem non ſit, cum videamus in ſolo Angliæ tractu, diverſas prorsùs eſſe Eccleſiarum adminiſtrationes. Quo pacto hæc dos, quo ad unitatem fidei, poteſt Lutheranorum, & Calviniſtarum Sectæ pertinere, ſi tot & tantæ inter ipſos videantur obortæ ſciſſiones, & diſſonantiæ, quot ſunt articuli fidei, quam profitentur? Pateſcit id maximè ex Confeſſionibus variis, & inter ſeſe contrariis, quas ii Lutherani, qui defenſores ſenſus litteralis dicuntur eſſe, diverſis temporibus edidere; ex Auguſtana a Melanctonio primùm edita, & Carolo V. exhibita Anno 1530. & ab eodem Melanctonio poſt annos quatuor conſarcinata. Ex Articulis Smalcaldenſibus ſecutis inde temporibus, Anno nimirum 1537. collectis, quique Tridentino Concilio, quod a Paulo III. Mantuæ tunc temporis indictum fuerat, offerri debebant. Ex alia, quæ ſecuta eſt Saxonica Tridentinæ Synodo Anno 1552. oblata. Tandem, ut paucis expediam, ex Vittembergenſi anno ſequenti eidem Concilio oblata. Quid dicam poſteà de aliis bene multis à Lutheranis ſenſus figurativi defenſoribus editis? Aliam obtulerunt Carolo V. eodem tempore confeſſionem, quæ Argentinenſis dicta eſt; quæ cum omnibus ejuſdem Sectæ non æquè placuerit, in cauſſa fuit, cur multi ſuam peculiarem ſtatuere voluerunt. Quatuor itaque ſucceſſivè ſcripſerunt Helvetii: Peculiarem ſuam conſcripſerunt Genuenſes & Galli: duæ etiam viſæ ſunt in Anglia, duæque aliæ ſub nomine Eccleſiarum Scotiæ. Fuit & alia conſcripta in Belgio, & a Synodo Dordracena approbata; aliæque benè multæ, quæ in unum corpus collectæ legi poſſunt, typis excuſæ Genevæ apud Petrum, & Jacobum Ghou Anno 1612. Quid dicam de ſexcentis aliis in articulis fidei, Doctrinæ, dogmatis, variationibus, contrarijſque circa Sacramenta ſententiis. Aſſerebant enim initio Reformationis Lutherani, Eccle-

cleſiam viſibilem eſſe, & quidem viſibilitate permanenti. Talem porrò fieri dicebant per enuntiationem Doctrinæ, a Paſtoribus fieri ſolitam, rectamque Sacramentorum adminiſtrationem. Liquet hoc maximè *ex Confeſſione Auguſtana articulo* 7. ubi profitentur *ſe credere unam ſanctam Eccleſiam, quæ in perpetuum duratura eſt, eamque eſſe Societatem Sanctorum, in qua rectè annuntiatur Evangelium, & adminiſtrantur Sacramenta*. Idem habetur in *Confeſſione Saxonica: Cap. de Eccleſia*, in *Confeſſione VVitembergenſi*, cujus fuit auctor Joannes Brentius *cap. de Eccleſia;* Tandem in *Confeſſione Bohemica*, quam ipſe approbavit Lutherus.

Illud idem initio docebant & Calviniſtæ, ut conſtat ex *Confeſſionibus Argentinenſi cap.* 15. & 16. *Baſileenſi an.* 1556. *Helvetica an.* 1566.

Mutarunt poſtmodùm ſententiam, cum, ut obſervat Jurius *in Syſtemte Eccleſiæ pag.* 226. peterent ab iiſdem Catholici, ubinam erat Eccleſia ſua ante annos 150.? docueruntque viſibilatem Eccleſiæ perpetuam non eſſe, ſed aliquandò viſibilem. Ita præſertim Eccleſiæ Calviniſtarum in Gallia, ut conſtat ex eorum *Cathechiſmo Dominica* 15. Ex Claudio *in Defenſione Reformationis;* ex ipſo Calvino in *præfatione Inſtitutionis*.

Quin, & illud notandum velim, nec firmiter huic adhæſiſſe ſententiæ, cum ut Jurius obſervat in *lib. de vera fidei analyſi*, & Illuſtriſſimus Boſſuetius Meldenſium Epiſcopus in *Hiſtoria variationum*, variationes longè plures inter ipſos obortæ ſint.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO XIII.

De Sanctitate Eccleſiæ.

DE Sanctitate, quæ altera veræ Eccleſiæ nota eſt, hodierna luce dum dicimus, illud præ cæteris cavendum eſt nobis, ne quod jam una manu ædificavimus, altera deſtruamus. Cum enim Eccleſiam malis perinde ac bonis, peccatoribus æque ac juſtis conflari, diu antea probaverimus; haud ita facilè intelligitur, quo titulo Sancta dici poſſit Eccleſia Chriſti, quæque tot inſignibus peccatoribus conſtat. Quare ut hoc argumenti genus qua par eſt prudentia, atque cautela pertractemus, explicabimus omnium primò, quæ, & qualis ea veræ Eccleſiæ Sanctitas ſit, quæ cum tot filiorum ſuorum improbitate ſtare poſſit. Tum verò hanc ipſam ſanctitatem Eccleſiæ Romanæ congruere, non item Lutheranæ & Calvinianæ ſectæ, demonſtrabimus.

Ac primò quidem veram Eccleſiam a Chriſto Domino inſtitutam Sanctam eſſe, nemo opinor ibit inficias, adeo ſcilicet aperta nitidaque ſunt Sacrarum Scripturarum Oracula, quæ id apertè ſignificent.

Joan. 17. *Pro eis ego ſanctifico meipſum: ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate.*

Ad Epheſ. 5. *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret.*

Ad Titum 2. *Dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.*

1. *Petri* 2. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.*

Quamquam non eſt, cur in eo demonſtrando tempus diutius impendamus, quod a nemine, quod ſciam, revocatur in dubium.

Quæ autem ſanctitas illa ſit, quam charateriſticam Eccleſiæ notam dicimus, hæc ipſa, quæ laudavimus oracula, apertè declarant. Sanctitas videlicet eſt *Vocationis* & *profeſſionis*, non Sanctitas perſonalis quorumcumque fidelium. Sanctitas inquam eſt *vocationis*, qua nimirum Eccleſia tota vocatur a Chriſto illius auctore ad Sanctitatem: juxta illud *ad Epheſ.* 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate*. Sanctitas eſt *profeſſionis*, hoc eſt, *dogmatum ſuo-*

ſuorum & diſciplinæ. quia Eccleſia mores ſanctos ex publicis Inſtitutis, & legibus profitetur. Unde in Baptiſmate, quo fideles Eccleſiæ adſcribuntur, profitentur renunciare ſe mundo, & Diabolo, & omnibus pompis ejus. At non perinde ſanctitas eſt perſonalis, quæ ſingulis illius filiis perſonaliter inſit: Cum tam multi & a vocationis ſuæ fine, & a publica ſanctitatis profeſſione deflectant, qua in ſuſcepto fecere baptiſmate.

Quare ſi quis fortaſſis objiciat, quod nobis objiciunt Lutherani, & Calviniſtæ, non eſſe illam ſocietatem ſanctam, quæ ſæpius indiguit reformatione a Sanctiſſimis Viris, & ab ipſis Conciliis, Conſtantienſi nimirum ac Tridentino deſiderata: Reſpondeo, eam ſanè ſocietatem ſanctam non eſſe dicendam, quæ in rebus ad fidem, aut regulas morum ſpectantibus indiget reformatione: Secùs vero ſi in rebus, quæ ad ſolam pertinent diſciplinam. Quod ergo Eccleſia nuſquam in iis, quæ ad fidem, morumque regulas pertinent, reformatione indiguerit, ex eo liquet, quod eandem fidem, eaſdemque morum regulas profeſſa ſit, quæ ab Apoſtolis poſt Chriſti in Cœlos aſcenſum edocta eſt; Probent ideo ſi poſſunt Sectarii cujuſvis generis ſint; aliquam in iis capitibus novitatem: Oſtendant tempus, locum, occaſionem, cauſam, in quibus doctrina vetus per orbem ab Apoſtolis prædicata, innovata, ac adulterata fuerit. Si in poſterum tamen propter hominum corruptionem, & vitæ relaxationem, novam diſciplinam ſanciri oportuit; diſciplinæ hujuſmodi innovationem Sanctitati Eccleſiæ offeciſſe, nefas eſt dicere. Ad hoc non ſolum Tridentinæ ſed omnium penè Synodorum ſtudium attendit; Ad hoc tot Imperatorum, Regum, Principum, Cleri, Cardinalium quærelæ directæ erant, ut Canones ad diſciplinæ, non autem doctrinæ reformationem pertinentes conderentur.

Cæterum ſanctitatem illam vocationis, & profeſſionis, quam characteriſticam veræ Eccleſiæ notam eſſe dicimus, Lutheranæ & Calvinianæ Sectæ non competere, ſed Romanæ Eccleſiæ propriam eſſe ex duobus ſummis Capitibus evinco. Primò quia Lutherana, & Calviniana ſecta, multa Doctrinæ Capita profitetur, quæ omnem ſanctitatis, ac pietatis ſenſum extingunt: 1. ut Mandata Dei etiam cum Divina Gratia eſſe prorſus impoſſibilia; 2. homines ſola fide Juſtificari: 3. peccata quæcumque habentibus fidem non imputari: 4. fidem ſemel habitam numquam amitti: 5. nihil homines bonis operibus promereri: 6. Deum auctorem eſſe peccati, etiam quoad deformitatem. 7. Peccata homini eſſe dimiſſa, ex quo credit ſibi eſſe dimiſſa.

Secundò: Quia ea Sacramenta, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ capita ſuſtulerunt Lutherani & Calviniſtæ, quæ ſanctitati fovendæ maxi-

Digitized by Google

maximè congruiſſent, omnemque idcirco laxitatem in ſuam Sectam induxerunt; confeſſionem enim Sacramentalem, uti humanum inventum exploſerunt; jejunium quadrageſimale, abſtinentiam a Carnibus certis diebus præfinitam abjecerunt, Cælibatum ſtatus Eccleſiaſtici, & vota Religioſa ſuſtulerunt, ac prætextu Reformationis, Templa Clericis, Clauſtra Monachis, Monaſteria Virginibus eripuerunt: totum fermæ externum Eccleſiæ cultum abrogarunt: quodque in externo cultu Sanctiſſimum eſt, Sacrificium omne ſuſtulere. Quid plura? Lutherus noviſſimus Reformator, Miſſam ſuſtulit tanquam Idololatriam Diabolo ipſo Doctore atque Magiſtro: Fatetur id *lib. Miſſa angulari*, & *unctione Sacerdotum anno* 1534. *VVittembergæ*.

At ecce excuſare iſta nituntur Lutherani, & Calviniſtæ, ne à ſanctitatis profeſſione abſcedere videantur. Chriſtus, inquiunt, mortuus eſt, ut nos liberaret a maledicto legis, utque nos aſſereret in libertatem filiorum Dei. Sed non advertunt imprudentes a qua nos lege Chriſtus Dominus liberarit, tum quam libertatem induxerit. Nempe liberavit nos Deus: Primò a lege peccati & mortis, ut loquitur Apoſtolus. Secundò: liberavit nos Deus a Jugo Moſaicæ legis: Induxit libertatem a peccato, quæ juxta Apoſtolum libertas eſt: Unde videtis non niſi deſperatæ cauſæ neceſſitate abſonum iſtud effugium quæſiiſſe.

Illud jam reliquum eſt, ut de tertia Eccleſiæ nota nimirùm Univerſalitate ſeu Catholicitate diſſeramus, quæ quia peculiare criterium poſtulat, idcirco in diem alteram mittimus, majori otio proferenda.

PRÆLECTIO XIV.

De Univerſalitate ſeu Catholicitate Eccleſiæ.

TErtiam attigimus veræ Eccleſiæ notam in Symbolo Nicæno præſcriptam, quam de more Catholicitatem, ſeu univerſalitatem appellant. De qua, ut debita methodo dicamus in præſentia, tria potiſſimè demonſtrabimus: primùm, univerſalitatem, ſeu generalem per totum orbem diffuſionem, veræ Chriſti Eccleſiæ notam eſſe, qua a profanis quibuſque ſectis eſt ſecernenda: Alterum, illam ipſam notam, Eccleſiæ Romanæ maximè congruere: Tertium, Lutheranæ & Calvinianæ Sectæ minimè convenire.

Primum ex Inſtituto, ac data opera adverſus Donatiſtas defendit Auguſtinus; variiſque Sacrarum Scripturarum Oraculis confirmavit, ac illis in primis, in quibus futura Chriſti Eccleſia in Veteri Teſtamento prænunciata eſt, tanquam futura Chriſti hæreditas, quam a patre ſuo accepturus erat, quæque Univerſum orbem eſſet occupatura.

Pſal. 2. *Poſtula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.*

Pſal. 21. *Convertentur ad Dominum univerſi fines terræ; & adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ Gentium.*

Pſal. 71. *Dominabitur à mari uſque ad mare: & a flumine uſque ad terminos Orbis terrarum.*

Gen. 22. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.*

Tum illis novi Teſtamenti Oraculis, quibus Chriſtus Eccleſiam ſuam toto Orbe diffundi debere mandavit: *Matth. ultimo: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.*

Marci 14. *Ubicumque prædicatum fuerit Evangelium iſtud in univerſo mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus.*

Act. 1. *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, uſque ad ultimum terræ.*

Cæterùm quamquam Univerſalitas illa, quæ characteriſtica Eccleſiæ Nota eſt, localis maximè ſit; ut ſignificetur, veram Eccleſiam in omnem mundi Regionem debere eſſe diffuſam; alia tamen Eccleſiæ univerſalitas eſt, quæ eo perinde titulo deſignatur: Nempe univerſalitas doctrinæ, & univerſalitas Communionis tam permanentis, quam ſucceſſivæ.

Signi-

Digitized by Google

Significat itaque primò vox hæc Catholica univerſalitatem doctrinæ: ob id nimirum, quod Catholicus ille minimè dicendus ſit, ſed Hæreticus, qui vel unum errorem contra fidem pertinaciter ſuſtineat atque defendat, ſive error ille fundamentalis ſit (ut heterodoxi loquuntur) ſive fundamentalis non ſit: *Propter unum verbum aut duo, quæ contraria fidei ſunt*, (inquit Hieronymus *lib.* 3. *adverſus Ruffinum*) *multæ hæreſes abjectæ ſunt ab Eccleſia*. Cuique videtur innuere Auguſtinus *Epiſt.* 55. *cap.* 19. ubi ſic loquitur: *Eccleſia . . . . . . quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit*.

Secundò ſignificat vox hæc Catholica univerſalitatem communionis permanentis, conflatam ſcilicet fidelibus communionem per totum terrarum Orbem diſperſis, a qua ſi quis ſe ipſum ſeparaverit, Hæreticus, atque Schiſmaticus, minimè verò Catholicus cenſendus eſt. Hoc evincit, quod legitur tum *Act.* 1. *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem . . . . . & uſque ad ultimum terræ:* tùm *Lucæ* 24. *Quoniam ſic ſcriptum eſt:* & *ſic oportebat Chriſtum pati . . . . . . & prædicari pœnitentiam per omnes gentes, incipiens a Hieruſalem*. Quibus oraculis adſtipulantur etiam Auguſtinus *lib. de Unitate Eccleſiæ cap.* 11. & 12. & Vincentius Lirinenſis *Commonitorii cap.* 31.

Significat Tertiò eadem vox Catholica univerſalitatem communionis ſucceſſivæ, cum ab Apoſtolo Petro ad noſtra uſque tempora ſine ulla intermiſſione pervenerit. Proinde cum Hæretici, & Schiſmatici ſint poſteriores Eccleſiæ, nullam cum ea communionem habere poſſunt; quod apertiſſimis verbis enuntiant Irenæus *lib.* 3. *de hæreſibus cap.* 4. *Ante Valentinum enim non fuerunt, qui ſunt a Valentino; neque ante Marcionem erant, qui ſunt a Marcione*. Clemens Alexandrinus *lib.* 7. *Stromatum pag.* 764. *Quod enim Eccleſia Catholica poſteriora ſua fecerint conciliabula, non eſt opus multis probare:* Catholica verò Eccleſia ſemper fuit.

Ex quibus igitur liquet, quæ debent a viris fidelibus profiteri, ad hoc ut ſuam probent Catholicitatem.

At illud nunc operoſius demonſtrandum eſt, Eam Univerſalitatem, ſeu Catholicitatem Eccleſiæ Romanæ congruere quidem, at non item Lutheranæ & Calvinianæ Sectæ convenire.

Certè ſi in ipſam Europam oculos conijciamus, nondum in Hiſpaniam, Luſitaniam, Italiam Lutherana, & Calviniana Secta penetravit: Si alias Orbis partes inſpiciamus; nedum in Aſiam, Africam, Ægyptum, aut Græciam; multo minus ad Indos, ſeu Orientales, ſeu Occidentales, in Americam ſeu Braſiliam, Japponiam, & Sinas, aliaſque novi Orbis Regiones penetravit, ad quas Romanæ Eccleſiæ fides Miniſtrorum Evangeliorum prædicatione pervenit.

Nec ulla Lutheranis, & Calviniſtis ſpes eſſe poteſt, perventurum illuc aliquando ipſorum Evangelium; Cum nec procurandæ exterarum gentium converſioni ellaborent Lutherani, & Calviniſtæ; nec eam procurare poſſent, tametſi vellent maximè: Cum vera Chriſti Eccleſia, ut ipſi quidem ajunt, jam conſenuerit; & ſæculi finem de proximo contingamus.

Non me fugit, quid eo argumento preſſi nuper repoſuerint Calviniani: quid præ cæteris repoſuerit audaciſſimus, & ferociſſimus Miniſter Enricus in libro quodam Gallicè ſcripto, cui titulum dedit *L'eſprit de M. Arnauld.* Nempe reponit ille, Romanæ fidei profeſſores, ut Eccleſiæ ſuæ univerſalitatem localem oſtendant, perperam oſtentare procuratam ab ipſis converſionem novi Orbis, ac tum maximè Japponiorum, Sinarum, & Indorum, quaſi verò illos Eccleſiæ Romanæ aggregarint: cum potius populos illos non Chriſtianos Evangelica prædicatione fecerint, ſed Semichriſtianos, qui Baptiſmum forinſecus quidem excepere; Idololatriam verò cum Evangelii profeſſione conjungunt; Idolaque ſua perinde ac antea colunt, adorant: atque adeo veræ Chriſti Eccleſiæ aggregati cenſeri non poſſunt, niſi Eccleſiam velimus eſſe Idololatrarum ſocietatem.

Verùm injuriam Romanæ Eccleſiæ irrogant, qui id nobis objiciunt. Demus enim Miniſtros aliquos Evangelicos, ita ſacri Miniſterii proditores fuiſſe, ut infamem illam Idololatriam in ſuis Neophytis tolerarint: non omnes tamen in eam laxitatem, impietatemque prolapſi ſunt.

Alteram nobis Cantilenam occentant Lutherani, & Calviniſtæ, ut Eccleſiam Romanam ea univerſalitate non gaudere modò nobis oſtendant. Nunc ſaltem, inquiunt illi, Eccleſiæ Romanæ diffuſio, & amplitudo admodum imminuta eſt, atque ad certa Regna coarctata: tum Græcorum ſchiſmate, quod totum fermè Orientem illi avulſit: Tum Lutheranorum ſciſſione, quæ varia Europæ Regna nobis eripuit.

Non eſt tamen ita ut fingunt moroſi Cenſores. Iis quippe ipſis in Regnis, aut Græcorum Schiſmate diſciſſis, aut Lutheranorum, & Calviniſtarum Hæreſi infectis, extant quoque fideles Romanæ fidei profeſſores, qui Religionis ſuæ exercitium habent, alicubi quidem patenter, & publicè, alicubi ſecretò atque occultè, & quantum ſit ſatis, ut noſtram illic Eccleſiam ſubſiſtere dici poſſit.

Cui addiderim etiam; ad aſſerendam Romanæ Eccleſiæ Univerſalitatem ſatis eſſe, ſi in illis ipſis Regnis Romana Religio fuerit, ac etiam floruerit aliquando. Nec enim neceſſe eſt, ut ſemper actu ſit toto Orbe diffuſa.

Pa-

Digitized by Google

Patet id ex prioribus Eccleſiæ ſæculis ac maximè ſæculo quarto. Quamquam enim hæreſes longè multæ, integras quandoque Provincias ac etiam Regna corrupiſſent; Eccleſiæ nihilominus univerſalitatem perinde contra Donatiſtas propugnabant Patres atque Concilia.

Egimus ergo de Univerſalitate ſeu Catholicitate Eccleſiæ, & a Lutheranorum & Calviniſtarum nebulis Catholicum dogma, prout potuimus, propugnavimus. Supereſt nunc ut de quarta Eccleſiæ Nota *Apoſtolica*, quæ peculiarem difficultatem ingerit, Sermonem inſtituamus; de qua in ſequenti dicemus.

Digitized by Google

PRÆLECTIO XV.

De quarta Eccleſiæ Nota, Apoſtolica.

DE quarta, eaque poſtrema veræ Eccleſiæ nota, quo videlicet *Apoſtolica* dicitur, hodierna luce, diſputaturus, illud omnium primo ſtudioſam Juventutem admoneo: multis quidem titulis veram Eccleſiam *Apoſtolicam* dici, non omnes tamen titulos, illam ipſam eſſe notam, de qua nobis ad præſens eſt diſputatio. Apoſtolica ſiquidem Eccleſia dicitur aliquando ratione primæ Inſtitutionis, quod nimirum a Chriſto ſit inſtituta, quem Paulus ad *Hebræos* 3. vocat *Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ*. Apoſtolum, inquam, propterea quod a Deo Patre ſit miſſus, Apoſtolus enim idem eſt ac miſſus. Apoſtolica quoque Eccleſia dicitur ratione doctrinæ, quam profitetur, propterea quod illam ab Apoſtolis acceperit, juxta Pauli dictum *ad Epheſ.* 2. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*.

Verùm non eſt illa veræ Eccleſiæ nota, de qua quærimus hodie, ſed illius ut ita loquar eſſentia eſt, atque natura. Apoſtolica demum Eccleſia dicitur, quod Paſtorum Præſulumque ſuorum ſucceſſionem recta ſerie ab Apoſtolis ducat, ſuoſque Pontifices & Epiſcopos quibus regitur hodie, ordine veluti retrogrado, ad Petrum uſque, cæteroſque Apoſtolos, quibus ſucceſſere, perducat atque recenſeat, atque hæc ipſa quarta Nota eſt de qua nobis eſt diſputandum.

Hanc itaque veræ Eccleſiæ a Chriſto Domino inſtitutæ Characteriſticam notam eſſe oportere palam oſtendo, atque demonſtro. Cum enim Chriſtus Dominus Eccleſiam inſtituerit, ad finem uſque ſæculi duraturam; (*ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*) *Matthæi ultimo:* aliunde vero Apoſtolos inſtituerit primos illius Paſtores atque Rectores: *ad Epheſ.* 4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti. Johann.* 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, inſufflavit: & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Impoſſibile eſt apud eos veram Eccleſiam eſſe, qui originem ſuam ab illo primo fonte, a prima, inquam, Apoſtolica

lica

Digitized by Google

lica Miſſione non ducunt. Quod ſanè argumentum adverſus ætatis ſuæ quoſcumque hæreticos urget Tertullianus in *Præſcriptione hæret. cap.* 32. *Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum : evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit auctorem, & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſicut Smirnæorum Eccleſia habens Polycarpum ab Joanne conſecratum refert : ſicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit: proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici. Quid enim illis poſt blaſphemiam inlicitum eſt?*

Jam verò Eccleſiæ Romanæ congruere notam illam, ductam ſcilicet ab Apoſtolis ſucceſſionem, adeo perſpectum eſt, ut inficiari nemo poſſit. Romanorum enim Pontificum ſeriem imperturbatam producimus ad Petrum uſque Apoſtolorum Principem a Chriſto Domino conſtitutum. Epiſcopos quoque noſtros ab aliis Epiſcopis gradatim conſecratos oſtendimus ordine ducto ad Apoſtolos uſque; ſuamque juriſdictionem & auctoritatem ab illo primo fonte continuata ſucceſſione derivantes. Quod & ex publicis Hiſtoriis, & ex privatarum Eccleſiarum monumentis oſtendimus.

Verùm ex adverſo, non poſſe perinde notam illam Lutheranæ & Calvinianæ ſectæ ulla ratione congruere, (quod præſentis Controverſiæ caput eſt) ita paucis evinco. Succeſſio Miniſtrorum ſeu Paſtorum Eccleſiaſticorum duplicis eſt poteſtatis. Ordinis nimirum & juriſdictionis : Porro neutram ſucceſſionem Calviniani ab Apoſtolis habent. Nec enim Calvinus, quique primùm illi adhæſere Miniſtri Sectæ ſuæ fabricatores, in Eccleſia Romana, quæ ſola Apoſtolis ſucceſſerat fuerant ordinati; imò nec ab ullis Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus juriſdictionem acceperant, ſed ſacrum Miniſterium uſurparunt, ſurripuerunt, ac veluti deprædati ſunt. Imò nullam modò ſuorum Miniſtrorum inaugurationem faciunt Calviniani, ſed a ſolo ipſorum Conſiſtorio ad id muneris deputantur illorum Miniſtri. Longè minùs ſucceſſionem Juriſdictionis ab Apoſtolis ductam oſtentare poſſunt Lutherani. Quamquam enim Lutherus, illique primùm adhærentes aliqui, ordinati fuiſſent in Eccleſia Romana; ac fortè etiam prædicandi juriſdictionem & auctoritatem obtinuiſſent, antequam per nefarium ſchiſma a nobis præciſi eſſent; Ex quo tamen ſchiſma fecere, omni juriſdictione exuti ſunt ab Eccleſia; eamque idcircò in ſucceſſores ſuos tranſmittere nequiverunt, quam amplius non habuerunt.

Reponunt illi : Eccleſiam Romanam juriſdictionem Luthero antea datam revocare ſubinde nequiviſſe, propterea quòd illa in infini-

ſinitas hæreſes lapſa eſſet, Chriſtique Eccleſia eſſe deſiiſſet. At ſi ſic eſt, nec juriſdictionem dare Luthero antea potuit, dum illum primum Sacerdotio initiaverat; cum jam tunc in illas, quas fingunt hæreſes incidiſſet, veraque Chriſti Eccleſia jam tunc eſſe deſiiſſet: atque itaque quocumque res cadat, ſucceſſionem juriſdictionis nullam habere comminantur Lutherani.

Succeſſionem juriſdictionis dico: quod enim ſpectat ſucceſſionem ordinis præſertim Epiſcopalis, dubium eſſe poſſet, num extet illa penes Lutheranos aliquos Confeſſionis Anglicanæ, apud quos etiamnum Epiſcopi conſecrantur. Si enim nuſquam apud eos interrupta eſſet ſucceſſio primorum quorumdam ſuorum Epiſcoporum, qui validè prius apud nos conſecrati in illorum Sectam apoſtatando declinarunt, ſuoſque in Secta ſua ſucceſſores ſervato aliàs debito ritu, conſecrarunt, ſucceſſionem characteris, & ordinis tenerent hodierni Epiſcopi Anglicani; cum in ipſa quoque hæretica Secta character Epiſcopalis antea ſuſceptus, ſervetur intactus. Verum ab annis amplius centum, interruptam eſſe primorum illorum Epiſcoporum ſucceſſionem oſtendunt Theologi noſtri, qui hoc de argumento in Galiis ſcripſere nuper ad Corrojerii audacem lucubrationem refellendam.

Utcumque tamen de illarum Ordinationum ab iis Anglicanis Epiſcopis hodie factarum validitate, aut invaliditate ſtatuatur, ſatis eſt, eas ab Hæreticis & Schiſmaticis Epiſcopis factas eſſe, ut nullam ſaltem juriſdictionem ordinatis largiri poſſint, ut & ipſimet ordinatores Epiſcopi nullam habent. Atque ita nullam juriſdictionis ſucceſſionem habere convincuntur in præſentia Lutherani etiam Confeſſionis Anglicanæ.

Iis preſſi momentis Luterani & Calviniſtæ benè multi, reponunt, juriſdictionem ſeu miſſionem ordinariam non habuiſſe Lutherum atque Calvinum; habuiſſe tamen juriſdictionem & miſſionem extraordinariam contendunt; quæ a Deo ipſo in caſibus extraordinariis aliquando datur, nulla accedente Eccleſiæ conceſſione.

Lepidè verò atque feſtivè? Do ego Miſſionem extraordinariam dari aliquando poſſe; at Miſſio extraordinaria ſignis mirabilibus, ac prodigiis probari debet. Chriſtus enim ipſe a Deo Patre extraordinariè miſſus, ſui ipſius miſſionem miraculis confirmandam exiſtimavit, adeo ut *Joann.* 15. dixit: *Si opera non feciſſem, in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent;* Et *cap.* 10. *v.* 38. *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.*

Cui adderem ego, Patres hoc ipſo momento uſos eſſe, ut ætatis ſuæ Novatorum Miſſionem, uti nullam exploderent. Hinc D. Pa-

Digitized by Google

Pacianus *in Epiſtola* 3. *Contra Novatianos: Novatianus ..... linguis loquutus eſt? Prophetavit? Suſcitare mortuos potuit?* Et *Tertull. lib. de Præſcr. cap;* 30. *Probent ſe novos Apoſtolos eſſe: dicant Chriſtum iterum deſcendiſſe, iterum ipſum docuiſſe, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum reſuſcitatum. Sic enim Apoſtolos ſolet facere, dare illis præterea virtutem eadem ſigna edendi, quæ & ipſe. Volo igitur & eorum virtutes proferre, niſi quod agnoſco maximam virtutem eorum, qua Apoſtolos in perverſum emulantur. Illi enim de mortuis vivos faciebant, iſti de vivis mortuos faciunt.*

Inquient fortaſſis aliqui: tam ſubitam, tamque repentinam Lutheraniſmi, & Calviniſmi propagationem prodigii loco habendam eſſe, qua divina Lutheri, & Calvini Miſſio probata eſt. Quandoquidem Patres ipſi tam ſubitam Chriſtianæ Religionis propagationem ab Apoſtolis factam, inſtar ingentis miraculi habent.

Apage nugaces argutationes? Ideo enim Patres tam ſubitam Chriſtianæ Religionis propagationem ab Apoſtolis factam, inſtar ingentis miraculi habent; quia hujuſmodi propagatio ſtabilita fuit martyrum innumerabilium patientia, inermium ac ſimplicium hominum prædicatione. Cum è contra Lutheraniſmus, & Calviniſmus Principum auctoritate, vi & armis ſuam propagationem obtinuerit.

Reponunt alii, ſolam veritatis prædicationem extraordinariæ Miſſionis notam eſſe etiam abſque Miraculis: atque ita, cum vera Lutherus, & Calvinus prædicaverint, a Deo miſſi cenſendi ſunt.

Quaſi vero? præterquàmquod falsò ſupponunt, vera illos prædicaſſe: quod probandum illis eſſet: id quoque falſiſſimum eſt, ſolam veritatis prædicationem, divinæ Miſſionis Notam eſſe. Primò: Quia Schiſmatici plerumque initio Schiſmatis vera prædicant: & habere illos miſſionem, negat Auguſtinus, toto paſſim Libro de *unitate Eccleſiæ*. 2. Dathan, Chore, & Abiron non propter prædicationem falſitatis, ſed propter publici miniſterii uſurpationem perierunt.

Iis depulſis munimentis, alii alio confugiunt: Privati quandoque fideles, ajunt iſti, laici, nulla miſſione accepta Evangelium nunciarunt, ut divinum mandatum implerent, quo *mandavit Deus unicuique de proximo ſuo:* hinc *Act.* 8. *Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Jeroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per Regiones Judææ, & Samariæ, præter Apoſtolos ..... Igitur qui diſperſi erant pertranſibant evangelizantes Verbum Dei.*

Act. 18. Aquilla & Priſcilla laici docebant Apollinem: ex quibus inferunt, quemlibet Eccleſiaſtico miniſterio, abſque ulla miſſione fungi poſſe.

Quibus tamen reſpondeo, præter Apoſtolos fuiſſe quoque diſcipulos, qui legitima Miſſione donati erant. Secundò: alia eſt prædicatio privata ex charitatis officio, alia publica & ſolennis, ac velut ex Cathedra magiſtrali, cum regimine animarum, & Sacramentorum Adminiſtratione, & arrogato Paſtoris officio. Ut qui porro ex charitatis officio doceant, non eſt cur externa, ſeu vocatione, ſeu miſſione donati ſint, quæ tamen neceſſaria eſt, ut ſibi cathedram erigant, populum fidelem regant, ut eum Sacramentis paſcant, animarumque Paſtores fiant. Quod verò ad Aquilam & Priſcillam pertinet, dico, docuiſſe hos quidem ex motivo charitatis, non verò ex chatedra magiſtrali, ac ſibi arrogato paſtoris officio.

Et en quod nihil ex hoc contra nos Adverſarii extundere poſſunt.

Atque hæc de Notis Eccleſiæ ſat multa ſint dicta. Quoniam verò ſolent hic Theologi aliam non incurioſam quæſtionem, ſive appendicem adjungere, num ſcilicet miracula ſint ſigna certa Religionis, ideo in ſæquentibus, diſputabimus.

Digitized by Google

PRÆLECTIO XVI.

Utrum Miracula ſigna certa ſint, invictæque probationes Religionis atque Doctrinæ, in cujus confirmationem, & probationem eduntur?

LIs nobis eſt hodie cum Lutheranis, & Calvinianis, qui cum nulla in ſecta ſua patrari miracula videant; multa verò in Eccleſia Romana atque Catholica in dies fieri non ignorent, eo petulantiæ, atque audaciæ venere, ut, non eſſe Miracula veræ Religionis atque doctrinæ ſigna demonſtrantia, contendant.

Quid illos ad tam abſurdam impiamque Sententiam animo imbibendam induxerit, dicam ingenuè: Nec vereor ne ad invidiam illorum loqui videar. Rem enim aperiam, Scriptorum Proteſtantium teſtificatione conſtantem. Scribunt enim verò plerique Proteſtantes, Lutherum atque Calvinum initio quidem Reformationis ſuæ, ultro citroque noviſſe, Miracula veræ Religionis, atque Doctrinæ argumenta eſſe planè demonſtrantia: adeo ut & ipſi Miracula in ſuæ Reformationis confirmationem patrare tentarint: Sed cum id illis malè ceſſiſſet, illorumque fraudes, fictaque miracula deluſa fuiſſent, mutato de repente conſilio, non eſſe miracula veræ Religionis argumenta, protervè contenderunt ac propugnarunt.

Et certè Joannes Cochleus in *Lutheranæ Reformationis Hiſtoria* memoriæ prodidit, Lutherum anno 1523. omni qua potuit arte tentaſſe, miſellum quemdam, *Neſenum* nomine, aquis ſuffocatum, atque extinctum ſuſcitare, conatu tamen irrito, quamquam Deos omnes Superoſque in auxilium advocaſſet.

Staphilus etiam in *abſoluta Reſponſione contra Jacobum Smidelinum* refert, Lutherum e corpore viri obſeſſi Dæmonem fugare tentaſſe; tantumque abfuiſſe, ut res illi proſperè caderet, ut potius in Lutherum Exorciſtam irruerit Dæmoniacus, eumdemque malè mulctarit.

Bolſerus in *vita Calvini cap.* 3. refert, Calvinum inaudita fraude miſellum quemdam *Bruleum* nomine mercede conduxiſſe, ut ſeſe mortuum fingeret, feretroque componeret, quem ille ſuſcitare ſimularet, adſtanteſque ficto miraculo luderet. At qui ſe mortuum finxerat, re ipſa mortuus, atque extinctus de repente inventus eſt. Teſtis de viſu Bolſerus ipſemet fuit, qui & idcirco Calvinianam Sectam, quam antea profeſſus fuerat ejuravit, Eccleſiæque Catholicæ adjunctus eſt.

Quin etiam Deſiderius Eraſmus, vir lubricæ fidei, quique ova foviſſe dicitur, quæ poſtmodum Lutherus excluſit, in *Collatione de libero arbitrio* ſententiam hanc de gravi ſupercilio fudit, *Nullus eorum adhuc extitit, qui vel equum claudum ſanare potuerit.*

En quæ cauſſa Lutheranis, & Calvinianis extiterit, ut qui antea Miracula veræ Religioni argumenta demonſtrantia eſſe benè noverant; non ita tamen eſſe poſtmodùm propugnarint.

Jam verò, (quod præſentis Inſtituti noſtri eſt) quam iniquè, quam ſtolidè in eam tandem ſententiam venerint Lutherani, & Calviniani, uſque adeo planum eſt, ut otioſi argutatoris videatur eſſe, velle ea de re prolixiùs diſputare.

Si enim, ut illi volunt, non ſunt patrata Miracula veræ Religionis, in cujus confirmationem eduntur, argumenta demonſtrantia; quid quæſo Chriſtus D. verum ſe Deum eſſe, verumque Meſſiam Mortalibus adpromiſſum patratis Miraculis comprobavit; ut diceret *ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, Joan.* 15.

Quid Chriſtus idem Diſcipulis Joannis, tam ſollicitè quærentibus. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* eum ſe talem eſſe probavit, renunciatis Joanni miraculis antea editis: *Euntes renuntiate Joanni, quæ audiſtis, & vidiſtis, Lucæ* 7.

Quid Nicodæmus Chriſti divinitatem, non alio luculentiori argumento, quam ex patratis ab ipſo miraculis novit, ut diceret; *Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo, Joan.* 3.

Quid Paulus Apoſtolatui ſuo auctoritatem conciliavit ſignis ac miraculis, ut diceret, *Signa tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus,* 2. *Corinth.* 12.

Cur demum Apoſtolorum prædicatio confirmata a Deo eſt, *ſequentibus ſignis*, hoc eſt portentis, atque miraculis, ſi non ſunt miracula, atque portenta veræ Religionis certa ſigna, & probationes invictæ.

Certè cum Miraculum, inſigne aliquod opus ſit, ſuperans omnem naturæ vim; quod idcirco ſola Dei virtute patrari poteſt; conſequens omnino eſt, Miraculum omne a Deo ipſo patrari, qui ſua veluti teſtificatione id omne confirmat, in cujus probationem editur. Deus autem errori, aut cuivis alteri falſitati, teſtimonium præſtare nequit.

Age tamen videamus, quid Lutheranos, & Calvinianos in tam impiam ſtultamque ſententiam induxerit, ut Miracula fidei, ac Religionis, in cujus confirmationem eduntur, argumenta demonſtrantia eſſe negent.

Ho-

Horum momenta in ſummam collegit noviſſimus Calvinianæ Sectæ Miniſter apud Helvetios, Jacobus Piceninus in ſua *Reformationis Apologia part.* 1. *cap.* 1. *de ſignis veræ Religionis*.

1. Quod patratio Miraculorum gratia gratis data ſit, quæ perinde poteſt etiam hominibus perditiſſimis a Deo conferri.

2. Quod plerique Gentiles miracula patraſſe legantur, ut de Veſpaſiano Imperatore, nonnulliſque Veſtalibus fertur.

3. Quod priorum ſæculorum hæretici nonnulli, atque in iis maximè Donatiſtæ, miracula nonnulla patraſſe dicantur a D. Auguſtino *lib. de Unit. Eccleſ. cap.* 19. ubi pluribus oſtendit litem inter Catholicos & Hæreticos ex miraculis non eſſe dirimendam, cùm utrobique inveniri poſſint; quin imò poſtquam dixit non eſſe credendum miraculis Donatiſtarum, addit, nec fidem eſſe adhibendam miraculis Catholicorum, quia *quæcumque*, ut ipſe ait, *talia in Catholica fiunt*, *adeo ſunt approbanda*, *quia in Catholica fiunt*; *non ideo ipſa manifeſtatur Catholica*, *quia hæc in ea fiunt*; *& Tractatu* 13. *in Joann.* ubi per contemptum eos *Mirabiliarios vocat.*

4. Quod Antichriſtus ipſe, Chriſto ipſo teſtificante, ingentia ſigna atque miracula ſit patraturus.

Non eſt tamen difficile utrumque refellere. Ad id ergo, quod primo loco poſitum eſt, reponi poteſt: Miracula ex eo, quod ſint gratiæ gratis datæ, poſſe abſolutè ab impiis etiam fieri, non poſſe tamen ab iis fieri in confirmationem erroris, falſæque religionis, ſed ut ut maximè in confirmationem alicujus veritatis, ad quam prædicandam Deus etiam pravo Miniſtro uti poteſt.

Quod ad ſecundum pertinet, dico, miracula quæ a nonnullis gentilibus patrata narrantur, aut falſa omnia fuiſſe, aut certè non ad confirmationem & approbationem gentilitatis fuiſſe patrata, ſed ad vindicationem alicujus virtutis, quam gentiles illi coluerunt. Falſa inquam, quia cum nativam hominis virtutem non ſuperarent, & occulta Dæmonum virtute peracta fuiſſent, miracula ab imprudentibus ſunt reputata; aut certè ſi vera ſuere miracula, non ad confirmationem gentilitatis peracta ſunt, ſed ad alicujus virtutis probationem. Quod utrumque maximè patuit in iis miraculs, quæ a nonnullis Virginibus Veſtalibus patrata dicuntur. *Valerius Maximui lib.* 8. *de judiciis publicis*. Fertur enim earum aliquas de violata Virginitate accuſatas, Virginitatem probaſſe ſuam: alteram quidem aquam cribro contentam proferendo; alteram Navem ingentem cingulo trahendo. Quæ ſi fortè vera dicuntur eſſe, ecquis non videt in probationem puritatis, quam profitebantur, non in confirmationem gentilitatis, qua involutæ erant.

Illud porrò, quod dicitur ab Imperatore Veſpaſiano patratum miraculum, ſi Tacito credendum nobis eſt, verum non fuit, cum cæcus

cus verè non fuerit, qui lumen ab ipſo recepit; idque, ut obſervat Cornelius Tacitus *lib.* 4. *Hiſtoriarum n.* 81. aſſeruerunt tunc temporis Medici. Ad illud verò, quod referunt de miraculis Donatiſtarum: Vult tantùm eo primo loco Auguſtinus, *libro* ſcilicet *de Unitate Eccleſiæ cap.* 19. miracula Scripturis Sacris præponenda non eſſe. Cum enim opponerent Donatiſtæ, & Præſulum ſuorum ſanctitatem, & Concilia, & miracula benè multa apud ſuos patrata; ne prolixior eſſet diſputatio, ſi Catholicorum ſanctitatem cum Hæreticorum hypocriſi, ſi Catholicas Synodos cum Hæreticis Conciliabulis, uno verbo, ſi illorum miracula cum horum præſtigiis, aut prodigiis conferre voluiſſet, quamquam aliis in locis hac de re fuſiùs diſſeruiſſet; ideòque, ut breviùs eam diſputationem expediret Sanctiſſimus Doctor, provocat Donatiſtas ad Scripturarum oracula, ut ab iis longè apertiùs convincerentur.

Quin etiam illud alterum, quod ex eo Auguſtini loco, momentum petunt, ubi *Mirabiliarios* Donatiſtas appellat, plenum inſulſitatis eſt; nam per contemptum in eum modum loquebatur Sanctiſſimus Doctor, ob eas fortè occultas viſiones, ſeu revelationes, quas Donatiſtæ nulla habita probatione, prolataque teſtificatione a ſe habitas fingebant. Liquet hoc maximè ex eo quod addit citato loco Auguſtinus. *Nemo ergo*, inquit, *vobis fabulas vendat. Et Pontius fecit miraculum; & Donatus oravit, & reſpondit ei Deus de Cœlo*. Nam, inquit, *aut falluntur, aut fallunt*.

Illud idem dicendum de iis ingentibus ſignis, atque miraculis, quæ ab Antichriſto patratura, Chriſto teſtificante, fabulantur. Nam & illa falſa erunt, atque mendacia opere Dæmonum facta, ut monet Apoſtolus 2. *ad Theſſalonicenſes* 2. *v.* 8. ubi de Antichriſto ſic loquitur. *Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui eum, cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt*.

At ſatis, ut arbitror, de Eccleſiæ Notis diſputavimus, eaſdemque ſoli Romanæ Eccleſiæ minimè Lutheranæ & Calvinianæ Sectæ pertinere demonſtravimus.

D I-

DIVUS

AUGUSTINUS

DIVO THOMÆ,

EJUSQUE ANGELICÆ SCHOLÆ

SECUNDIS CURIS

CONCILIATUS,

In Quæſtione de Gratia primi Hominis
& Angelorum.

OPERA, AC STUDIO

F. JACOBI HYACINTI SERRY,

Ordinis Prædicatorum, Doctoris Sorbonici,

*Et in Academia Patavina primarii Sacræ
Theologiæ Profeſſoris.*

Editio multò auctior, magnaque rerum acceſſione illuſtrata;
& contra nonnullos obſcuros prioris impugnatores
vindicata, aſſerta, confirmata.

Digitized by Google

TRIUMVIRIS LITTERARIIS

JOANNI FRANCISCO
MAUROCENO
E Q U I T I,

ALOYSIO PISANO,
PETRO GRIMANO

EQUITIBUS, AC ÆDIS D. MARCI PROCURATORIBUS.

F. JACOBUS HYACINTHUS SERRY
FELICITATEM.

C*Um primùm in florentiſſimo Gymnaſio veſtro, de Divina Gratia, ex mente Divi Thomæ dicere juſſus ſum,* REI LITTERARIÆ

Digitized by Google

CURATORES , AC PRÆSIDES SAPIENTISSIMI , id mihi negotii credidi potiſſimùm dari ; ut in eo pertractando argumento , periculoſæ aleæ pleno , omniumque hac noſtra ætate difficillimo , cum Divo Auguſtino ſenſiſſe Doctorem Angelicum demonſtrarem . Cum enim Hipponenſem Epiſcopum , cœleſti munere Divum , ſummum Divinæ Gratiæ Doctorem , Eccleſiæ Catholicæ datum noverim ; cujus dicta , ac pronunciata , in Romanorum Pontificum oracula , in Synodorum canones , in fidei regulas tranſiere ; haud alia meliori ratione , ac via , juſſa veſtra docendo facturus mihi viſus ſum , quàm ſi Divum Thomam , in tradenda Divinæ Gratiæ Doctrina , Divi Auguſtini ore , ac lingua locutum oſtenderem .

Id , ut ego in omni mota quæſtione executus ſum diligenter , ita in ea pertractanda , quæ Princeps creditur cœterarum , intentiore animo feci ; quò demandato mihi munere ritè defungerer , & quam in obſequio Veſtri Spartam nactus ſum difficillimam adornarem . Divum Auguſtinum , in quæſtione de Gratia primi Hominis , & Angelorum , Divo Thomæ , ejuſque Angelicæ Scholæ conciliari eò diligentius , & accuratius , quòd illos in ea tractanda ſolvendaque , toto cœlo disjunctos dictitent Theologi præſtantiſſimi ; quos idcircò ſingulari Commentatione , ſecundis curis recognita , illuſtrata , atque incudi ut ajunt reddita , refellere conatus ſum .

Nunc , STUDIORUM PRÆSIDES SAPIENTISSIMI , quæ nutu veſtro , ac

prope

propè dixerim juſſu , in Scholarum umbraculis concepta eſt Theologica Commentatio, meliorem in formam reducta , novoque opere retractata , ac perpolita , publicam in nomine veſtro lucem ſubire ambit ; hoc ſaltem uno , ſi alio nequit titulo , Eruditis omnibus placitura . Satis illa ſe ſe , adverſus ſaeculi livorem , ingeniorumque venena tutam exiſtimabit , ſi tantæ nomina famæ , MAUROCENI , PISANI, GRIMANI , fronte præferet : qui ut olim obitis ad Cæſares , Regeſque , ſummoſque Pontifices , ſplendidiſſimis Legationibus , Venetæ Reipublicæ majeſtatem , procerum comitatu , aulæ pompa , familiæ ſtipatu , paratu , cultuque prope regio retulere ; Ejuſdemque gloriam , conſiliorum altitudine , grandibus auſis , magnarumque rerum molimine , in exteras quaſque Gentes , ac mundi ultima extenderunt ; ita nunc Patriæ redditi , omneſque honorum , ac dignitatum gradus emenſi , litterarium Regnum , Muſarumque Imperium Domi obtinent ; idemque ſingulari æquitate , incredibili ſapientia , provida vigilantia , conſilio terrarum regimini non impari , moderantur.

Favete itaque , MECOENATES OPTIMI . Qua eſtis in Litteratos omnes prolixa humanitate , umbratilem ſeneſcentis jam animi fætum , in Veſtri tutela , atque præſidio , publicam lucem ſubire permittite ; ut tot inclitarum virtutum titulos fronte præferens , tota libertate ſe prodat . Ore illo veſtro gratiarum pleniſſimo , herilique vultu , quo litteræ noſtræ , Muſæque beantur , me peregrinum licet , & hoſpitem , inter Cul-

tores tamen veſtros dudum admiſſum , in clientelam accipite : meque Veſtri obſervantiſſimum perpetuò fovete . Valete Reipublicæ bono , & Academiæ .

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

DUdum jactatur in Scholis, D. Thomam, ejuſque Diſcipulos, in efficaci gratia ad omnes humanæ naturæ ſtatus, atque ad ipſos etiam Angelos dilatanda, procul ab Auguſtino, ſummo illo divinæ gratiæ Doctore, atque Magiſtro abſceſſiſſe; totoque ab illius mente, atque ſententia oſtio aberraſſe. Eo nos contumeliæ pleno convicio audacius omnibus oneravit Cornelius Janſenius Iprenſis Epiſcopus; qui contrarium Thomiſticæ Scholæ Syſtema, intentiore animo in Academias invexit, totiuſque Auguſtinianæ doctrinæ baſim, & clavim eſſe voluit; aut certè ſupra omnes in meliorem, ut fucum faceret, apertioremque lucem induxit: nihil ſcribere veritus *lib. 8. de gratia Salvatoris cap. 2. Gratiam efficacem, ad omnes humanæ naturæ ſtatus dilatatam, ab Auguſtini ſenſibus eſſe remotiſſimam, & vi potius humanæ Philoſophiæ, quàm Auguſtinianæ Theologiæ expreſſam, atque inventam ...... Totum fundamentum gratiæ medicinalis Chriſti ſubverti, & Scripturam ſubnervari, dum gratiæ neceſſitas, non ex vulnere voluntatis, ſed naturali ejus indifferentia, & omnium cauſarum ſubordinatione ſuſpenditur .... qui medicinalem Chriſti gratiam ſic defendere conantur, ut eam in prædeterminationem phyſicam transforment, omni ſtatui hominum lapſorum, & innocentum, ex vi cauſæ primæ*, & *indifferentiæ voluntatis neceſſariam, magis profectò Ariſtotelicos eſſe, quàm Auguſtinianos, &c.* Quæ tria D. Thomas, quique illi doctrinæ profeſſione juncti ſunt, diſertiſſimè docent.

Janſenium ſui memorem fuiſſe ſatis erat, ne eo Doctorem Angelicum convicio laceſſeret; quem toties ipſe, honoris cauſſa, *Auguſtinum contractum* appellat: in cujus etiam gloriæ cumulum, illud alterum addit: *Quidquid veræ Theologiæ in Scholaſtica S. Thomæ continetur, uſque ad ipſorum articulorum fundamenta, ex Auguſtino ita mutuatum eſt, ut quemadmodum novum Teſtamentum nihil eſt aliud niſi Vetus revelatum, & Auguſtini de gratia Dei doctrina, nihil præter Fidei principia, in ſuas deducta concluſiones: ita S. Thomæ Summa, ubi Theologiam tractat, pro magna parte nihil ſit aliud, niſi Auguſtinus contractus, certaque proportione naturalibus principiis alligatus. Lib. 2. Proœmiali de ratione, & authoritate cap.* 22. Itane quæſo contractus Auguſtinus ab ipſo divulſus eſt Auguſtino? Quique principia illius

lius omnia, totamque Doctrinæ ſummam in ſuas redegit concluſiones, digeſſitque ad Scholæ uſum; illius tamen baſim, & fundamentum, cui tota incumbit, nititurque, ab imo ſuffodit, disjecit, ac diruit? Imò, & regiam, ſi Superis placet, clavim amiſit, qua ſola in ejus penetralia poſſet induci, illiuſque myſteria fidelibus reſerare?

Nihil itaque foret, quod ad Scholæ Thomiſticæ defenſionem adderemus, ſi ſola nos tangeret, urgeretque Janſenii criminatio; quem nec in ferenda cenſura ſecum ipſo conſentientem habemus, nec ſatis probatum Auguſtini interpretem novimus. Verùm quia Viri non deſunt ſummè Catholici, doctrinæ integri, erroriſque puri, ipſiuſque Auguſtini ſtudioſiſſimi, qui, quod ſummè dolemus, Janſenium ea in parte (qua tamen ab Eccleſia proſcriptus non eſt) exſcribere geſtiunt, novumque ab eo verſatilis gratiæ, Protoparentibus, & Angelis datæ ſyſtema procuſum, in cœlum evehunt, magnoque verborum honore proſequuntur; Thomiſticæ vero Scholæ turpem illam notam affricant, quod in aſſerenda gratia ſe ipſa efficaci, ſanis perinde, ac lapſis hominibus neceſſaria, Ariſtotelem prætulerit Auguſtino, totaque a ſummo divinæ gratiæ Doctore abſceſſerit via: injuriam ſurda aure præterire non licuit, ſed defenſionem ſcripto ſuſcipere coacti ſumus.

Erit illa quidem, ſi molem operis ſpectes, tenuis, exilis, ac perexigua: at ſi artificium attenderis, haud ita fortaſſe levis, ac mollis; imò verius abſolutiſſima, cumulatiſſimaque judicabitur: quæ plus in receſſu rerum iſtarum peritis, atque intelligentibus dabit, quàm fronte promittat. Dum etenim Auguſtinum, quod unicè ſpondet, D. Thomæ, ejuſque Angelicæ Scholæ conciliat, Auguſtinum quoque a ſe ipſo per falſos interpretes abalienatum, ac prope divulſum, Auguſtino reſtituit: palamque demonſtrat, vulgatam diu, jactatamque humanæ naturæ ſtatuum differentiam, qualis ab ipſis exponitur; binaque adjutoria, *quo fit*, *& ſine quo non fit opus*, qualia illi interpretantur, adeo non eſſe Auguſtinianæ doctrinæ baſim, ut dictitant, cui tota incumbit, ac nititur; non clavim, qua ſola in gratiæ ſacrarium aperiendus eſt aditus; non annulum, qui cœterorum catenam dogmatum ſecum trahit; non filum demum, ut vocitant Ariadneum, quo niſi regamur, tota Præſulis Hipponenſis ſumma librorum nobis eſt labyrinthus: ut contra potius, Auguſtinianæ Doctrinæ fundamenta ab imo ſuffodiant; ſacra divinæ gratiæ adyta nobis occludant; præcipuorum dogmatum colligationem, nexumque diſſolvant: permulta demum SS. Doctoris de ſcientia Dei, de voluntate, de decretis, de prædeſtinatione, demonſtrata Theoremata, incredibili, ac pluſquam Babelica confuſione perturbent.

Id

Digitized by Google

Id ſi minus ſuſcepta iſta Scholæ Thomiſticæ defenſione demonſtravero; meam ſaltem in utrumque Eccleſiæ Doctorem venerationem, pietatem, & cultum æquis rerum æſtimatoribus approbabo: quòd illos in præcipuo Doctrinæ capite ſtatuendo, quo ſecum invicem pugnare creduntur, conciliare tentaverim. Nihil enim magis ad decus utriuſque cedere puto, quàm ſi ambo in ſtatuendis dogmatibus conveniſſe demonſtrentur. Pariſque gloriæ eſſe arbitror, Auguſtino, Thomam fidum in omnibus habuiſſe diſcipulum; & Thomæ, Auguſtinum ſummum in omnibus Doctrinæ Magiſtrum, ducemque tenuiſſe.

Cæterum de curata nunc ſecunda Opellæ hujus Editione, nonnulla præfari libet. Ac primùm quidem, tametſi poſteriores curæ priores emendare vulgò dicantur, nihil tamen nos habuiſſe profitemur, quod in priori Editione emendaremus: adeo ſcilicet omnia primùm ad amuſſim dicta judicavimus. Una nobis de facienda acceſſione cura fuit, ut quod probandum initio aggreſſi ſumus, novis momentis confirmemus; quæ objecta diluimus, novis reſponſis convellamus; quæ recentium Theologorum effugia præcluſimus, novis occupatis diverticulis occludamus.

Ubi tamen manum de tabula ſubduxeram, nihilque quod dictis adderem occurrebat, perlatus ad me eſt Scriptoris Anonymi libellus, necdum typis editus, ſed manu tantum exaratus, & Mediolani ut audio quaquaverſum diſſeminatus; in quo ignotus mihi Auctor, jactis primùm, poſitiſque novis de divina gratia Theologiæ principiis, novoque de gratia efficaci, deque perſeverantiæ dono, ſyſtemate conſtituto, momenta ſubinde noſtra, quibus gratiam ſe ipſa efficacem, in ſtatu naturæ innocentis neceſſariam demonſtravimus, vellicare nititur, atque diſpungere.

Potueram ego, ac etiam fortaſſe debueram, obſcuram ſcriptiunculam, intactam, & inemendatam relinquere; quæ ſi recte penſetur, nihil fermè nos tangit, dum videtur maximè tangere; momentaque noſtra nihil infirmat, dum videtur penitus enervare. Ego enim adverſus nonnullos Auguſtinianæ Scholæ Profeſſores unicè diſputo, poſitiſque ſuis ipſorum principiis, quibus gratiæ ſe ipſa efficacis neceſſitatem, in ſtatu naturæ lapſæ propugnant, illos ipſos ad hominem urgeo, & apertæ ſecum repugnantiæ revinco, niſi eamdem in ſtatu naturæ innocentis admittant. Quare ſi quis alia principia ponere velit, uti profecto ponit Anonymus Annotator, non eſt mihi cum illo præſens controverſia. Imò eſt quod illi gratias referam longè maximas, quod in illa ſua Argumentorum meorum vellicatione, tam ſæpe fateatur, ea vim prorſus invictam, in Janſenium, cæteroſque Auguſtinianæ Scho-

læ

læ Profeſſores habere, etſi non ita in ſuorum ipſius principiorum hypotheſi. Quo verbo, integram mihi victoriam adjudicat, pro qua hic unice pugno.

Poteram igitur operæ parcere. Ex abundanti tamen, ne quid negligere videar, calamum reſumpſi, ut ignoti Annotatoris, Andabatarum more pugnantis, bruta tela ſe ipſis in irritum caſura retundam ſuis locis, ac prout occaſio tulerit, repellam, longèque propulſem.

FA-

Digitized by Google

FACULTAS

Reverendiſſimi Patris Generalis Ordinis Prædicatorum.

CUm, ut nobis exponitur, Rev. Adm. Pater Magiſter Fr. Hyacinthus Serry, in Univerſitate Patavina Publicus Theologiæ Profeſſor, Opus cui titulus, *Divus Auguſtinus Divo Thomæ, ejuſque Angelicæ Scholæ conciliatus, in quæſtione de Gratia primi hominis, & Angelorum* compoſuerit, illudque prælo ſubjicere deſideret: Nos harum ſerie, noſtrique authoritate officii, quantum in nobis eſt, & ſervatis aliàs ſervandis, paternè indulgemus, dummodo ab Adm. R.R. P.P. Magiſtris, Fratre Donato Dominico Savoldelli Exprovinciali, & Fratre Vincentio Boſio Regente, luce dignum judicetur; eorumque cenſorio in ſcriptis calculo approbetur. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem &c.

Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam die 2. Januarii 1723.

Fr. Auguſtinus Pipia Mag. Ord.

Reg. fol. 1.

Fr. Bernardinus Membrive
Magiſt. & Socius.

Digitized by Google

APPROBATIO

Theologorum Ordinis Prædicatorum.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Generalis Ordinis noſtri, legimus, & examinavimus, qua potuimus diligentia librum, ab Admodum Rev. Patre, Fratre Hyacintho Serry Academiæ Patavinæ Theologo primario editum, cui titulus eſt, *Divus Auguſtinus Divo Thomæ, ejuſque Angelicæ Scholæ conciliatus, in quæſtione de Gratia primi hominis, & Angelorum*. In quo nihil deprehendimus catholicæ Fidei, boniſque moribus adverſum; imò potius longè multa obſervavimus Scholis noſtris admodum profutura; utpote quæ miram Divi Thomæ cum Divo Auguſtino conſenſionem oſtendunt, ac etiam invictè probant. Quare Opus publica lucè digniſſimum judicamus.

Datum Venetiis die 30. Januarii 1723.

Fr. Donatus Dominicus Savoldelli Mag. Exprovincialis.

Fr. Vincentius Boſius Mag. & Regens Studii Generalis Patavini.

DI-

Digitized by Google

DIVUS AUGUSTINUS DIVO THOMÆ, EJUSQUE ANGELICÆ SCHOLÆ *SECUNDIS CURIS* CONCILIATUS,

In Quæſtione de Gratia primi Hominis & Angelorum.

CAPUT I.

Conſilium Auctoris, operiſque conceptus.

1. DE Gratia primi Hominis, & Angelorum dicere inſtituenti, non eſt mihi animus, de intima divinorum auxiliorum efficacia, adverſus Molinæ Diſcipulos diſputare; & unde originem habeat, diligentiùs inquirere. Iſtud argumenti genus, ut in Scholis tractare Pontificio interdicto vetitum eſt, ita nec velim attingere diſputando, ſed pio ſilentio religioni litare. Cum nonnullis, iiſque pauculis Auguſtinianæ Scholæ Profeſſoribus mihi ſermo eſt; qui cum gratiam a ſe ipſa, atque ex intimis efficacem, ad ſingulos pietatis actus neceſſariam fateantur, totiſque viribus in ſtatu naturæ lapſæ adſtruere adnitantur, & Molinianos, quòd eam negent, acriùs inſectentur; ubi tamen de ſtatu naturæ innocentis ſermo venit, nullam id genus efficacitatem agnoſcunt; ſed eam tantùm gratiam homini neceſſariam profitentur, cujus efficacitas ex humanæ voluntatis aſſenſu, vel diſſenſu ſuſpenditur. Atque ita de ſtatu nataræ lapſæ dum agunt, Thomiſtæ ſunt; de naturà innocenti dum diſputant, Moliniani: verius forte dixerim, nec Moliniani, nec Thomiſtæ; qui neutrius Scholæ princi-

piis ſtant firmiter, atque conſtanter, dum utramque ex parte ſectari videntur. Exemplo hujus, qui cum Senatorem Monachi cucullo induiſſet, utriuſque jacturam fecit: de quo idcirco per deriſum ferebatur, *& Senatorem perdidiſſe, & Monachum non feciſſe*.

Unde hæc verò tam feſtina mutatio, tam libera Metamorphoſis? Dicam breviter. Thomiſtæ gratiæ per ſeſe, atque ex intimis efficacis neceſſitatem triplici ex capite repetunt: Primò ex liberi arbitrii in partem alterutram indifferentis verſatilitate activa, qua tamdiù hæret anceps, ac veluti ſuſpenſum, & pendulum, donec altiori virtute in partem alteram feratur, determinetur, ac moveatur; idque præſertim in pietatis operibus, quæ ſupra naturæ vires, & ingenitas facultates poſita ſunt. Secundò ex Creaturæ a Deo neceſſario pendentis conditione; quæ nihil boni ſe ſola, niſi Deo opitulante poſſit. Tertiò ex fauciatæ, & vulneratæ voluntatis infirmitate, depravatione, corruptione; quæ cum in privatum bonum tota propenſa ſit, inclinata, ac velut incurva, in Deum erigi, niſi adjuta, & ſublevata non poteſt. Laudati vero Auguſtinianæ Scholæ Profeſſores, gratiæ per ſeſe efficacis neceſſitatem ex hoc uno poſtremo capite repetunt: ex naturæ videlicet vulneratæ, & originis vitio corruptæ conditione; nullo autem pacto ex activa, ut ajunt, indifferentia voluntatis, aut ex naturæ creatæ a Deo pendentis ſubordinatione, ac ſubjectione. Quo fit ut, cùm nulla in ſtatu innocentiæ voluntatis creatæ corruptio eſſet, depravatio nulla; nullam quoque eo in ſtatu efficacis gratiæ neceſſitatem agnoſcant, in homine primo, ac etiam in Angelis. Una enim illorum omnium ratio eſt.

Quare non eſt mihi modò, ut monui, de intima divinorum auxiliorum efficacitate diſputandum; quam ii potiùs certo ſaltem titulo compertiſſimam habent, quibuſcum tota mihi lis eſt; ſed de doctrinæ Auguſtinianæ, atque Thomiſticæ conſonantia, principiorumque, quibus illa nititur, colligatione, & conſenſione. Quæ quidem vera ne ſint, an falſa, Romanorum Pontificum decretis obtemperans, non expendam; ſed ex ſola argumentationis lege, pro certiſſimis ponam; ex iis plerumque ad hominem, ut dici ſolet, diſputaturus.

II. Indolui ego non ſemel ſuper eo Scholarum noſtrarum divortio. Quæ cùm adverſus Molinianos, pro gratia ſe ipſa efficaci, tanquam pro aris, & focis decertare, concordi conſilio, conjunctiſque viribus inſtituerint, hoc demum enato diſſidio exarmantur, ac penè dixerim ſubnervantur, viribuſque deficiunt. Sic enim momenta potiſſima, eaque numero multa, quibus intima divinæ gratiæ efficacia defendi poteſt, imò, & debet, in fumum abeunt; ac

ac veluti tela plumbea, bruta fulmina, exeſa rubigine ferramenta deſpiciuntur, ac etiam pedibus conculcantur.

De eo ſedando, tollendoque fatali diſſidio diu multumque cogitavi: tum quod nullam velim eſſe, Auguſtinianos inter atque Thomiſtas opinionum diſſenſionem: imò nullum verum Divi Auguſtini diſcipulum putem, qui perinde Divi Thomæ non ſit: tum quòd non omnium, ſed quorumdam duntaxat, atque paucorum de Schola Auguſtiniana diſſidium illud ſit; qui ab avita Majorum ſuorum ſententia deſciverunt, novoſque calles, in exponenda SS. Patris mente aperuerunt, regia ut ajunt relicta via. Neque enim a Scholæ Thomiſticæ doctrina deflectunt, eo in capite, Ægidius Columna S. R. E. Card. Archiep. Bituricenſis, quem poſt D. Auguſtinum, Scholæ ſuæ Magiſtrum agnoſcunt, *in Hexameron p.* 1. *cap.* 15. *& p.* 2. *cap.* 3. *&* 31. Thomas de Argentina *in* 2. *ſentent. diſt.* 4. *&* 5. *a.* 3. Gaſpar Caſalius Epiſc. Leirienſis *lib.* 1. *de quadrip. juſtitia capp.* 5. 9. 11. 32. Leonardus Coquæus *in Comment. ad cap.* 9. *lib.* 12. *de Civit. Dei*. Fridericus Nicolaus Gavardi, *in Theologia exantiquata quæſt.* 5. *de Volunt. Dei conſequente art.* 3. Nicolaus Girken *Tom.* 1. *Summæ Theol. tract.* 10. *quæſt.* 3. *de neceſſitate gratiæ dub.* 1. Quibus adjungendi ſunt alii, ſin minus vitæ inſtituto, at certè doctrinæ profeſſione Auguſtiniani, Gulielmus Eſtius in *prim. ſentent. diſt.* 41. §. 14. *& in* 2. *diſt.* 26. §. 7. Franciſcus Sylvius *tr. de primo Motore*, *& in* 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 1. *&* 9. Thomas Angelus *Opuſc. de mente Auguſtini circa gratiam Adami*.

Imo rem gratiſſimam facturus mihi viſus ſum florentiſſimæ Scholæ Auguſtinianæ, cui adſcribi, & volo, & ſumma in laude pono, ſi pauculos alios, quos a ſuis ſegreges doleo, ad Majorum ſuorum ſententiam hac mea lucubratione revocarem. Quod ut aſſequerer, ſatis fortaſſe foret, ſi primi Legum Latoris monitum darem: *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; majores tuos, & dicent tibi. Deuter.* 32.

Quia tamen & a ſuis, & a noſtris divortium illos feciſſe video, Sanctiſſimi Patris Auguſtini authoritate perperam intellecta preſſos, ac ductos; quòd illum in contraria Divo Thomæ ſententia verſatum exiſtiment: haud alia meliori via eos in concordiam revocandos exiſtimavi, quàm ſi palam omnibus facerem, Auguſtinum non modò cum D. Thoma, illiuſque Angelica Schola hac in parte ſenſiſſe; gratiamque ſe ipſa efficacem, utroque in ſtatu, homini variis titulis neceſſariam docuiſſe; verùm etiam ea poſuiſſe doctrinæ ſuæ principia, quæ ſi gratiam ſe ipſa efficacem in ſtatu naturæ lapſæ neceſſariam probant; eamdem quoque in ſtatu naturæ innocentis neceſſariam evincant: imò hæc ipſa ſua efficacitatis gra-

tiæ

tiæ principia, innocentiæ ſtatui accommodaſſe Auguſtinum, ut eamdem cum Thomiſtis conſecutionem eliceret.

III. Quod utique opus aggrediar, ubi primùm proludii loco dederim manifeſtum, quàm falsò, quam temerè, ea Doctori Angelico nota a nonnullis inuſta ſit; quod Ariſtotelem ſecutus potiùs, quàm Auguſtinum, efficacis gratiæ neceſſitatem ex ſola, ut ajunt, cauſſarum ſubordinatione petierit; nullo autem pacto ex humanæ naturæ originis vitio ſauciatæ corruptione, carniſque infirmitate, ejuſque in Spiritum pugna derivarit. Vah tetram, futilemque Sycophantiam! Quid itaque ſibi vult quod habet ille 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 2. *in corpore? Sic igitur virtute gratuita, ſuperaddita virtuti naturæ indiget homo in ſtatu naturæ integræ, quantum ad unum, ideſt ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale: ſed in ſtatu naturæ corruptæ, quantum ad duo; ſcilicet ut ſanetur, & ulterius ut bonum ſupernaturalis virtutis operetur, quod eſt meritorium. Ulterius autem in utroque ſtatu indiget homo auxilio Divino, ut ab ipſo moveatur ad benè agendum.* Cujus etiam notæ eſt quod ibidem addit, *in reſponſione ad* 1. ubi cùm philoſophica ratione demonſtraſſet, non ita hominem ſuorum actuum dominum eſſe, quin ab externo principio moveri debeat, ita demum colligit: *Unde mens hominis etiam ſani non ita habet dominium ſui actus, quin indigeat moveri a Deo: & multò magis liberum arbitrium hominis infirmi, poſt peccatum, per quod impeditur a bono, per corruptionem naturæ.*

Quid hoc alterum 1. 2. *eadem quæſtione articulo* 9. *Homo in gratia exiſtens non indiget alio auxilio gratiæ, quaſi aliquo alio habitu infuſo. Indiget tamen auxilio gratiæ, ſecundùm alium modum, ut ſcilicet a Deo moveatur ad rectè agendum. Et hoc propter duo: Primò quidem ratione generali, propter hoc quod, ſicut ſupra dictum eſt, nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis Divinæ: ſecundò ratione ſpeciali, propter conditionem ſtatus humanæ naturæ; quæ quidem licet per gratiam ſanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem, per quam ſervit legi peccati, ut dicitur ad Romanos* 7.

Quid illud quoque *ex Quæſtionibus diſputatis quæſt.* 3. *de Malo. art.* 1. *ad* 9. *Dicendum quod aliter loquendum eſt de homine ſecundùm ſtatum naturæ conditæ, & aliter ſecundùm ſtatum naturæ corruptæ. Quia ſecundùm ſtatum naturæ conditæ, homo nihil habebat impellens ad malum; licet bonum naturæ non ſufficeret ad gloriæ conſecutionem. & ideo indigebat auxilio gratiæ ad merendum, non autem indigebat ad peccata vitanda; quia per hoc quod naturaliter acceperat, poterat ſtare. Sed in ſtatu naturæ corruptæ*

ha-

Digitized by Google

habet impellens ad malum ; & ideo indiget auxilio gratiæ, ne cadat.

Quid illud tandem *ex Quæſtione* 27. *de Veritate art.* 5. *ad* 3. *Quantumcumque homo habeat habitum gratiæ, ſemper tamen indiget Divina operatione, qua in nobis operatur modis prædictis*, operando ſcilicet, & cooperando. *Et hoc propter infirmitatem noſtræ naturæ, & multitudinem impedimentorum; quæ quidem non erant in ſtatu naturæ conditæ: unde magis tunc poterat homo ſtare per ſe ipſum, quam nunc poſſint habentes gratiam: non quidem propter defectum gratiæ, ſed propter infirmitatem naturæ: quamvis etiam tunc indigerent Divina providentia eos dirigente, & adjuvante.*

Et erit modò qui dicat, Doctorem Angelicum Divinæ motionis neceſſitatem, ex ſola creaturæ a Deo pendentis conditione petiiſſe: de contracta verò per peccatum originis infirmitate, quam millies Auguſtinus inculcat, ne vel leviter cogitaſſe? Non dicet profectò qui frontem habet. Ad rem itaque, quam tractandam ſuſcepimus, accedamus; & quid viciſſim Auguſtinus de gratia primi hominis, & Angelorum ſenſerit, expendamus.

CA-

Digitized by Google

C A P U T II.

Primum D. Auguſtini principium expenditur: primaque inde, pro gratia efficaci primi hominis demonſtranda, conſecutio elicitur.

I. EXordium a generalibus D. Auguſtini principiis duco: quæ ſi gratiam ſe ipſa efficacem in ſtatu naturæ lapſæ neceſſariam probant, uti profectò perſuaſum habent illi ipſi, quibuſcum res iſta agitur, eamdem quoque in ſtatu naturæ innocentis neceſſariam evincunt.

Principium itaque Auguſtini firmiſſimum; cui gratiæ ſe ipſa efficacis doctrinam incumbere fatentur, ac docent quotquot illo Doctore, atque Magiſtro gloriantur, iſtud eſt: *Non poſſe hominem ſe ipſum meliorem facere, quam Deus eum fecerit*. Ex quo ſic illi in Molinianos argumentantur. Cum melior ille ſit, qui re ipſa boni aliquid agit, quàm qui ſimpliciter poteſt agere; melior, qui in accepta juſtitia perſeverat, quàm qui perſeverare ſimpliciter poteſt: meliorem profectò ſe ipſum faceret homo, quàm Deus eum fecerit, ſi benè faciendi poteſtatem, gratiæ merè ſufficientis, ac merè verſatilis ope, ſuſcepiſſet a Deo; a ſe ipſo vero boni operis actum haberet, nullo alio potentiori ſuſcepto præſidio. Meliorem pari ratione ſe ipſum faceret juſtus, ſi perſeverandi poteſtatem, gratiæ merè verſatilis ope ſuſcepiſſet a Deo, a ſe ipſo vero perſeverandi voluntatem, & actum haberet, nullo alio potentiori accepto præſidio, quo Deus in eo operaretur, ut vellet. Eximiis Theologis gratulor, quod invicto planè momento, ex ſummo Divinæ gratiæ Doctore petito, Molinianos verſatilis gratiæ defenſores exagitent. Ita quippe compendio diſputat Auguſtinus, *lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſ. cap.* 18. ut gratiæ ſe ipſa efficacis neceſſitatem, in hocce præſenti ſtatu demonſtret: *Si nobis libera quædam voluntas ex Deo eſt, quæ adhuc poteſt eſſe vel bona, vel mala: bona vero voluntas ex nobis eſt, melius eſt id, quod a nobis, quàm quod ab illo eſt.*

II. Quidni porrò hoc idem Auguſtini principium, idemque ex eo petitum argumentum, ſtatui naturæ innocentis accommodemus; ut ejuſdem gratiæ efficacis neceſſitatem, ad bonum agendum, & perſeverandum in bono pariter colligamus? Abſit enim ut vel Protoparentes, vel Angelos viatores, meliores ſemetipſos facere potuiſſe putemus, quàm illos fecerit Deus.

Quan-

Digitized by Google

Quanquam quid ego hæc moror? cum hoc idem principium bonis Angelis viatoribus accommodaverit Auguſtinus ipſe; eamdemque ex illo conſecutionem elicuerit; eos ſcilicet perſeverandi voluntatem ex peculiari Dei gratia habuiſſe: *lib. 12. de Civit. Dei. cap. 9. Si non potuerunt ſe ipſos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit profectò, & bonam voluntatem, qua meliores eſſent, niſi operante adjutorio Creatoris, habere non poſſent*. Quo vel uno SS. Patris dicto, ita mentem ejus in aperto poſitam puto, ut nulla tergiverſatione, nullis poſſit cavillationibus obſcurari. Quidquid enim Auguſtiniani illi, quibuſcum res nobis eſt, Theologi repoſuerint, ut vim hujus argumentationis effugiant, qua parte gratiam efficacem in ſtatu naturæ innocentis neceſſariam probat, hoc idem pari fidentia Moliniani reponent, ut ejuſdem gratiæ neceſſitatem, pro ſtatu naturæ lapſæ, ab Auguſtino minimè probatam evincant: Si qua illi diverticula quærunt, ut effugiant, quærent & illi, ut elabantur. Quod cuique refractariolo in ſequentibus demonſtrabo. *Cap.* 12. 13. 14.

III. Futilitatis verò plenum eſt quod nonnulli reponunt; Auguſtinum de prima Voluntate bona Angelis initio infuſa, qua nimirum juſti, ac ſancti a Deo ſunt conditi, fuiſſe locutum; non de altera, qua liberè, & meritoriè in hac ipſa voluntate bonæ, ſeu amore caſto, cum quo conditi ſunt, permanſerunt: rectèque idcirco probaſſe Doctorem Sanctiſſimum, primam illam voluntatem bonam a Deo Angelis factam eſſe, non eam illos a ſe ipſis habuiſſe: quod tamen de altera voluntate, ex hoc ipſo principio probari non poſſe arbitrantur. Hoc inquam reſponſum futilitatis, ac etiam falſitatis plenum eſt. De utraque etenim voluntate bona, toto illo *Capite 9.* diſputat Auguſtinus, & utramque in Angelis a Deo factam eſſe contendit; ne ſi vel alterutram a ſe ipſis, Deo non donante, haberent Angeli, meliores facerent ſemetipſos, quàm illos fecerat Conditor Deus. De prima, inquam, ſub ipſum ſtatim initium diſputat, verbis illis: *ſi dixerimus nullam eſſe efficientem cauſſam etiam voluntatis bonæ, cavendum eſt, ne voluntas bona bonorum Angelorum, non facta, ſed Deo coæterna eſſe credatur. Cum ergo ipſi facti ſint, quomodo illa non eſſe facta dicetur? Porro quia facta eſt, utrum cum ipſis facta eſt, an ſine illa fuerunt prius? Sed ſi cum ipſis, non dubium quod ab illo facta ſit, a quo & ipſi; ſimulque ut facti ſunt, amore cum quo facti adhæſerunt: eoque ſunt iſti ab illorum ſocietate diſcreti; quod hi in eadem voluntate bona manſerunt, illi ab ea deficiendo mutati ſunt, mala ſcilicet voluntate, hoc ipſo quod a bona defecerunt; a qua non defeciſſent, ſi utique noluiſſent. Si autem boni Angeli fuerunt prius ſine bona voluntate, eamque in ſe ipſis Deo non operante fecerunt;*

ergo meliores a ſe ipſis, quàm ab illo facti ſunt? abſit &c. Tum de altera Angelorum voluntate, de qua nobis in præſentia quæſtio eſt, e veſtigio ſubjungit: *Aut ſi non potuerunt ſe ipſos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit; profectò, & bonam voluntatem, qua meliores eſſent, niſi operante adjutorio Creatoris, habere non poſſent. Et cum id egit eorum voluntas bona, ut non ad ſe ipſos, qui minus erant, ſed ad illum, qui ſummè eſt, converterentur, eique adhærentes magis eſſent, ejuſque participatione ſapienter, beatèque viverent: quid aliud oſtenditur, niſi voluntatem quamlibet bonam inopem fuiſſe, in ſolo deſiderio remanſuram, niſi ille, qui bonam naturam ex nihilo ſui capacem fecerat, ex ſe ipſo faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem.*

Ecquis enim non videat, de actu illo voluntatis Angelicæ, id ultimum eſſe dictum, quo Angeli boni jam, juſtique a Deo conditi, caſtique amoris habitu in ipſa ſui creatione perfuſi, ad Deum uti finem ultimum ſe ſe liberè ac meritoriè converterunt; eoque actu viam ſuam, ut loquuntur Theologi, conſummarunt, & in accepta juſtitia perennarunt? Id quippe ex quadruplici capite liquet apertè.

1. Quia de ea bona Angelorum voluntate loquitur Auguſtinus, quam *non niſi operante adjutorio Creatoris habere potuerunt*. Solus porro voluntatis actus meritorius, ac liber, a Creatoris adjutorio, ſeu a gratia illius adjuvante eſſe potuit: cum non adjuvetur, niſi qui aliquid agit, ac etiam liberè. Bona vero voluntas habitualis, ſeu caſtus amor, quo boni, & juſti in ipſa ſui creatione facti ſunt Angeli, etſi a Deo habitum gratiæ infundente eſſe dicatur, a Deo tamen ut adjuvante eſſe non dicitur.

2. De ea Angelorum voluntate bona loquitur Auguſtinus, qua ad Deum *converſi ſunt*, eique tanquam fini ultimo *adhæſerunt*. Id autem actu libero, & meritorio voluntatis Angelicæ factum eſſe, nemo negaverit.

3. De ea voluntate bona loquitur SS. Doctor, qua *ſummi boni participatione ſapienter beatèque vixerunt*. Quod quis non videat illos eſſe conſecutos, actu illo libero ac meritorio, de quo præſens nobis eſt diſputatio?

4. De ea loquitur voluntate, quæ *in ſolo deſiderio inops non manſit, ſed melior, avidiorque* a Deo facta eſt. Quod utique factam in creatione caſti amoris infuſionem non indicat, ſed inſpiratum, inditumque poſt creationem, amoris actum planè liberum, ac meritorium ſonat apertè.

Quatuor hæc, datum a nonnullis Auguſtinianis reſponſum, falſitatis arguunt patentiſſimæ. Sed etſi nihil toto illo Capite, de meri-

meritorio, ac libero Angelicæ voluntatis actu, quo ad Deum converſi ſunt, pronunciaſſet Auguſtinus; ſed de habituali, ut ajunt, voluntate bona, caſtoque amore, quo juſti ac ſancti a Deo ſunt conditi, unicè diſputaſſet; id nobis ad præſens ſufficeret unum, quod eam bonam voluntatem habitualem, a ſe ipſis habere Angelos non potuiſſe, probaverit Auguſtinus; quia *non potuerunt ſe ipſos facere meliores, quàm Deus eos fecerit*. Cum enim hoc idem Auguſtini principium mutuentur illi ipſi quibuſcum res nobis eſt, Theologi recentiores, ſuoque accommodent inſtituto, dum de gratiæ ſe ipſa efficacis neceſſitate in ſtatu naturæ lapſæ, adverſus Molinianos argumentantur: quidni nobis hoc ipſum mutuari liceat, & illos mutuæ ſecum repugnantiæ, ac diſſonantiæ arguamus? Si enim gratiam ſe ipſa efficacem homini lapſo neceſſariam dictitant, ne ſe ipſum meliorem faciat homo lapſus, quàm illum fecerit Deus; quidni eamdem homini ſano, & Angelis neceſſariam agnoſcunt, ne in hoc idem labantur abſurdum, quod a ſtatu innocentiæ eliminatum voluit Auguſtinus? Generale enim SS. Patris principium illud eſt: *Non potuerunt Angeli ſe ipſos facere meliores, quam Deus eos fecerit*: inquit enim loco ſuperius laudato: *Ergo meliores a ſe ipſis, quàm a Deo facti ſunt? Abſit*. Quod confirmat. *Enarr. in Pſalm.* 70. inquiens: *Tibi debent, quod ſunt, tibi debent, quod vivunt, tibi debent, quod juſtè vivunt, tibi debent, quod beatè vivunt*.

IV. Futilius reponunt alii, ut ab eo argumento expediant ſe ſe: Non poſſe quidem homines, Angeloſve, *ſine Deo* ſe ipſos facere meliores, quàm Deus eos fecerit; *cum Deo* tamen poſſe omnino: idque re ipſa contingere, dum homo, Angeluſve gratia ſanctificante informatus, auxiliiſque duntaxat ſufficientibus, ac verſatilibus inſtructus, in re ipſa bonum agit, aut perſeverat in bono: cum tunc non ſe ſolo, ac *ſine Deo*, meliorem ſe faciat, quàm ſit factus a Deo. Id inquam futilius, & ab Auguſtini mente, atque ſententia penitus alienum. Dum enim non poſſe Angelos docet, ſe ipſos facere meliores, quàm illos fecerit Deus; ſatis profectò non habet, ſi id illi utcumque *cum Deo* faciant; ſed id eos facere vult, cum Deo in illis *operante*, ut faciant. *Profectò*, inquit, *& bonam voluntatem, qua meliores eſſent, nonniſi Operante adjutorio creatoris, habere potuerunt*. Porro in ea, quam impetimus Recentiorum hypotheſi, etſi non *ſine Deo*, meliores ſe facerent Angeli, homineſve; non tamen cum Deo in illis operante, ut faciant: cum Deus auxiliis hujuſmodi ſufficientibus, ac verſatilibus, non operetur in illis velle, & perficere pro bona voluntate.

Quibus & illud addiderim: hoc ſi reſponſum valeat, ſolvendoque momento ex Auguſtini principio petito ſufficiat; idem planè Molinianos, verſatilis gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ, defenſo-

Vv 2 res,

res, Auguſtinianis Theologis reſponſuros, dum pari ab iis urgentur argumento. Quidni enim & ipſi reponant, lapſum hominem auxiliis duntaxat verſatilibus, ac ſufficientibus inſtructum, ſeu boni quid agat operis, ſeu perſeveret in bono, meliorem quidem ſe ipſum facere, quàm illum fecerit Deus, non tamen *ſine Deo*: cum ab eo gratiam illam verſatilem, ac ſufficientem acceperit, ſine qua nihil etiam boni facit, nec perſeverat in bono? Sed de hoc nonnullorum reſponſo, quæſitoque ſuffugio pleniùs *Capite* 13.

V. At ecce interim alius mihi ex adverſo inſurgit, nullius ſcholæ principiis hærens, ſed novam de Divina Gratia Theologiam pro arbitrio cudens, in Manuſcriptis Annotationibus, Mediolani diſſeminatis, quæ ad manus meas paucis ante diebus pervenere. Is ſcilicet Auguſtini principium agnoſcit quidem, *Neminem ſuis ipſius viribus poſſe ſe ipſum facere meliorem, quàm Deus eum fecerit*: Verum ad negotium perſeverantiæ transferri poſſe, omnino negat; ne inde colligatur, neminem ſine ſpeciali gratia, ſuiſque ipſius viribus poſſe in accepta juſtitia perſeverare; ne ſe ipſum perſeverando meliorem quis faciat, quàm Deus eum fecerit: quia, inquit, qui perſeverat in juſtitia, non idcirco fit melior, quàm qui ſimpliciter juſtus eſt, ſed remanet qualis erat. Quod etiam ex D. Thoma adſtruere nititur, *lib.* 3. *contra Gentes cap.* 155. aſſerente, *Perſeverare autem non dicit aliquid ut nunc operabile, ſed continuationem operationis per totum tempus*: ſeu, ut loquitur *in* 2. *ſent. diſt.* 29. *a.* 3. *ad* 2. *Non ponit ſpecialem virtutem; ſed continuationem quamdam virtutis uſque ad mortem*. Quin & hoc addit Anonymus Obſervator, *Ex illa ſanctiſſima, & fundatiſſima veritate, (Omne bonum etiam in ſanctis Angelis eſt a Deo) perperam inferri, quod ipſa illorum perſeverantia fuerit ſpeciale donum Dei; cum ex dictis perſeverantia non includat niſi bona præbabita*.

Horrendum ſanè paradoxum! Undè non modò, quam hic defendimus, de Angelis, primiſque parentibus, Doctrina Thomiſtica peſſum eat, ſed, & ipſa Eccleſiæ Catholicæ fides, de inæſtimabili perſeverantiæ dono, contra Semipelagianos definita, atque ſancita, funditùs collabatur. Quod enim laudatis locis aſſerit D.Thomas, *Perſeverantiam non dicere aliquid, ut nunc operabile, ſpecialemque virtutem, ſed continuationem operationis, atque virtutis uſque in finem*, de perſeverantia Juſtorum in ſtatu naturæ lapſæ, apertiſſimè dictum eſt: Atque ita, ſi ex ea perſeverantiæ notione, a Doctore Angelico data, colligere licet, non eſſe Angelorum perſeverantiam ſpeciale Dei donum, imò nec ſpeciale aliquod bonum; an non idem de Juſtorum præſentis hujuſce ſtatus perſeverantia colligendum? Sed, & illud in Annotatore noſtro multò lepidius, quòd ex ea perſeverantiæ notione fidentiſſimè colligat, non eſſe perſeveran-

ran-

rantiam in Angelis ſpeciale donum Dei; cum contra, ſpeciale Dei donum eſſe exinde colligat Doctor Angelicus. *Perſeverare autem*, inquit SS. Doctor, *non dicit aliquid ut nunc operabile, ſed continuationem operationis per totum tempus. Iſte igitur effectus, qui eſt perſeverare in bono, eſt ſupra poteſtatem liberi arbitrii. Indiget igitur homo ad perſeverandum in bono auxilio divinæ gratiæ.*

Tollenda igitur novi Annotatoris hallucinatio, luduſque verborum. *Qui perſeverat*, inquit ille, *in juſtitia, non idcirco fit melior, ſed remanet qualis erat:* utique non fit melior additamento juſtitiæ, novique cujuſpiam gradus ſanctitatis acceſſione, quem antea non haberet: fit tamen melior, novo, perfectiorique modo juſtitiam, ac ſanctitatem jam habitam retinendo; ſeu, ut clariùs dicam, fit melior ipſa continuatione juſtitiæ præcedentis. Cum enim continuatio illa bonum aliquod ſit, facit utique juſtum hominem meliorem. Juſtus etiam perſeverando, non remanet ſimpliciter qualis erat: Non enim erat antea perſeverans, ut eſt poſtea; ſed novum habet ſanctitatis, atque juſtitiæ modum, continuationem ſcilicet, quam antea non habebat. Is porro novus juſtitiæ modus uſque adeo de genere bonorum eſt, judice D. Thoma, ut ſit potius excellentiſſimum bonum, & *nonniſi ab aliquo agente ſuperiori, atque ſupremo cauſari poſſit.*

C A-

Digitized by Google

CAPUT III.

Alterum expenditur Auguſtini principium, ex quo eadem colligitur conſecutio.

I. PRiori Auguſtini principio proximum eſt alterum, ejuſdem fermè ſenſus, atque ſententiæ : Non poſſe ſcilicet hominem homini eſſe meliorem, quàm Deus ipſe ſit homini. Quo utique utitur Auguſtinus, ut omne ſibi bonum ex efficaci Dei gratia eſſe, non a ſe ſibi eſſe demonſtret: *Enarrat. in Pſal.* 58. *ſerm.* 2. *Totum quidquid ſum, de miſericordia tua eſt . . . . . . Feciſti ut eſſem, & non tu feciſti ut bonus eſſem? Dediſti mihi ut ſim, & potuit mihi alius dare, ut bonus ſim? Si tu mihi dediſti ut ſim, & alius mihi dedit, ut bonus ſim, melior eſt ille, qui mihi dedit, ut bonus ſim, quam ille, qui mihi dedit, ut ſim. Porro quia te nemo melior, nemo te potentior, nemo te in miſericordia largior; a quo accepi, ut eſſem, ab illo accepi, ut bonus eſſem. Deus meus miſericordia mea!* Jam quid vetat totum illud Auguſtini ratiocinium, ad cauſſam, quam hic agimus, mutuari? Annon enim Adamo melior eſſet Adam, Angelus Angelo, quàm utrique ſit Deus, ſi Angelo, & Adamo dediſſet duntaxat Deus, ut poſſet uterque benè agere, ac perſeverare in bono, a ſeipſo autem habuiſſet uterque, ut re ipſa & perſeveraret, & ageret? Si utrique dediſſet duntaxat Deus, poſſe quod vellet, uterque tamen a ſeipſo habuiſſet velle, quod poſſet? Is enim cuique melior eſt, qui donat illi quod melius: viciſſimque melius eſt re ipſa benè agere, re ipſa perſeverare, quam ſimpliciter poſſe perſeverare, vel agere; meliuſque in ordine moris eſt, bonum velle, quod poſſis, quàm ſimpliciter poſſe, quod velis.

Si quid autem Auguſtinianæ Scholæ Theologi repoſuerint, ne quid ex illo SS. Patris principio colligatur, ad efficacem gratiam Adamo, & Angelis neceſſariam oſtendendam; hoc idem Moliniani perinde reponent, ne quid inde colligat Auguſtinus, ad neceſſariam lapſis hominibus gratiam efficacem demonſtrandam. Quod ſuo loco planiſſimum faciam. *Cap.* 12. 13. 14.

II. Illud nunc ad promulſidem obſervare juvat, quod hujus eſt loci, & inſtituti: Nullum ſcilicet fore quod expendimus Auguſtini principium; niſi ad ipſum quoque innocentis naturæ ſtatum transferri poſſet, eidemque accommodari. Probat enim vero SS. Do-

Doctor, non poſſe hominem ſibi eſſe meliorem, quàm Deus ipſe ſit homini; non quia lapſus nunc, vulneribuſque confoſſus eſt homo; ſed quia Deus ſummum eſt bonum, quo nemo melior, némo potentior, nemo benefaciendo largior, miſerendoque profuſior. Quod cum Dei perinde ſit proprium, (ejus enim natura bonitas eſt), ſeu hominem ſanum, & innocentem providentia ſua regat, doniſque gratuitis cumulet; ſeu lapſum, proſtratumque hominem erigat, ſanetque gratiæ ſuæ ope, atque virtute: conſequens profectò eſt, perinde non poſſe ſanum, innocentemque hominem ſibi meliorem eſſe, quàm illi ſit Deus; uti lapſus, ſauciuſque vulneribus homo non poteſt.

III. Ais tamen mihi, ex hoc Divi Auguſtini principio, *Non poteſt homo ſibi eſſe melior, quam illi ſit Deus*, minus rectè colligi, omne bonum opus, ac pium ex efficaci Dei gratia ſoboleſcere. Quia, inquis, tametſi melior ſibi ipſi foret homo, ſi ex ſe ſolo boni piique operis actum haberet, quàm illi ſit Deus, a quo non haberet benè agendi poteſtatem: non illico tamen ſibi ipſi homo cenſendus eſt melior, quàm ſit illi Deus; ſi boni operis actum, ſe ſolo, hoc eſt, ſolis naturæ viribus, non exerat homo, ſed ex accepta a Deo ipſo benè agendi poteſtate: Sic enim, qui hanc illi benè agendi contulit poteſtatem, *mediatè* ſaltem, ut Schola loquitur, & *radicaliter*, boni operis actum dediſſe cenſendus eſt. Ita porro, inquis, ſeſe res habet in hypotheſi Moliniana. Nempe dum re ipſa boni operis actum exerit homo, non ſe ſolo, ſuiſque duntaxat nativis viribus exerit; ſed ex accepta a Deo (per auxilia verſatilia) poteſtate, ac facultate: Atque ita poteſtatis hujuſce largitor Deus, adhuc homini ſic agenti cenſendus eſt melior, quàm ſibi ipſi ſit homo.

Subtiliter quidem, ingenioſèque excogitatum! Verùm nihil ea, qualiſcumque tandem ſit, conſideratio nos movet: qui eo Auguſtini principio, non Molinianos, verſatilis gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ defenſores, impetimus; ſed Auguſtini Diſcipulos, de ſtatu naturæ innocentis contendentes urgemus; & in eos, velut ad hominem, ex conceſſis argumentamur. Cum enim hanc ipſam conſecutionem ex laudato Auguſtini principio colligant; eoque momento, veluti planè decretorio, Molinianum Syſtema impetant, & impugnent: quidni quoque nos, illud idem, qualecumque tandem ſit, in illos ipſos contorqueamus; eoſdemque ſuis ipſorum armis aggrediamur?

Quamquam tamen Conſideratio illa ludicra omnino eſt, ac planè futilis. Etſi enim, qui benè agendi contulit poteſtatem actuoſam, & efficacem, *mediatè* ſaltem, ut ajunt, & *radicaliter* boni operis actum dediſſe cenſendus ſit, quantum neceſſe eſt, ut melior

lior ſit agenti homini, quàm ſibi ipſi ſit homo: ubi tamen otioſam ſe ipſa, inertem, & inefficacem duntaxat contulit poteſtatem, (qualis profectò auxiliis merè verſatilibus, atque indifferentibus datur) non illicò homini agenti ſit melior, quàm ſibi ipſi ſit homo; qui inertem illam, otioſamque poteſtatem aſſenſu ſuo reddidit efficacem, ut ageret. Ille etenim agenti ſit melior, qui quod melius eſt illi tribuit: melior autem eſt actus, quàm agendi poteſtas, iners præſertim ſe ipſa, otioſa, atque inefficax: cùm propter actum poteſtas ipſa ſit, facultas propter uſum facultatis.

Stat itaque invicta ratio, ex ſecundo Auguſtini principio delibata; qua Molinianum Syſtema Auguſtiniani Theologi ſoliti ſunt impugnare. Eademque meliori titulo in eos ipſos, de ſtatu naturæ innocentis contendentes, regeritur, retorquetur.

C A-

Digitized by Google

C A P U T IV.

Idem ex tertio Auguſtini principio demonſtratur.

I. TErtium Auguſtini principium, undè gratiæ ſe ipſa efficacis neceſſitatem in ſtatu naturæ lapſæ probabat SS. Doctor, (ſi Theologis ipſis, quibuſcum res nobis eſt, fidem damus,) iſtud erat: quod nihil in ordine ſupernaturali a ſe ipſo habeat homo, de quo in ſemetipſo gloriari poſſit: Nihil a ſemetipſo habeat, ratione cujus poſſit ſeſe ab altero quocumque diſcernere. Hinc ſcilicet meritò colligebat, agi nunc hominem in bonis operibus exerendis, ac multo magis ad perſeverandum in bono, ſpeciali quodam, efficacique divinæ gratiæ adjutorio. Si etenim una, eademque verſatilis gratia duobus e. g. hominibus datur, cujus ope rectè operandi potentiam, & perſeverandi facultatem unuſquiſque recipiat; horum verò unus rectè agat, non item alter; perſeveret ille, non iſte; quia videlicet ille ſuæ voluntatis aſſenſu verſatilem gratiam reddidit efficacem, iſte ſuo diſſenſu caſſam, & inutilem fecit; is certè ab alio ſe diſcernit ex ſuo, non ex gratia, quæ in utroque eadem reperitur: *gratia enim, quæ eſt communis bonis, & malis, non diſtinguit bonos a malis:* inquit Auguſtinus *lib. de nupt. & concupiſc. cap.* 3. & *lib. de prædeſt. Sanctorum c.* 5. Si ſe diſcernit ex ſuo, poterit etiam gloriari de ſuo. Principium illud millies urget SS. Doctor, ac potiſſimùm *lib. de dono perſeverantiæ c.* 13. atque ex Apoſtolo delibaſſe gloriatur, 1. *ad Cor. cap.* 4. *Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?*

At quidni quæſo principium illud ſtatui naturæ innocentis accommodemus, ut ejuſdem efficacis gratiæ neceſſitatem pariter colligamus? Pari quippe titulo ita poſſumus argumentari: Si una eademque Angelis ſtantibus, & cadentibus verſatilis gratia data eſt, quam illi voluntatis aſſenſu fecerint efficacem, ut ſtarent, alii diſſenſu inefficacem fecerint, ut exciderent; illi profectò ſua ſe voluntate ab aliis diſcreverunt, atque ita in ſe ipſis poſſunt, non in Domino gloriari.

II. Eccur vero Angelis, & hominibus innocentibus non accommodemus principium illud? cùm hoc ipſum illis accommodaverit Auguſtinus, bonoſque Angelos a malis ſola Dei virtute diſcretos docuerit, *lib.* 11. *de Civ. Dei c.* 19. *Non mihi videtur*, inquit, *ab operibus Dei abſurda ſententia, ſi cum lux illa prima facta eſt,*

Digitized by Google

Angeli creati intelliguntur; & inter ſanctos Angelos, & immundos fuiſſe diſcretum, ubi dictum eſt, & diviſit Deus inter lucem, & tenebras; & vocavit Deus lucem diem, & tenebras vocavit noctem. Solus quippe ille iſta diſcernere potuit, qui potuit etiam priuſquam caderent præſcire caſuros, & lumine privatos veritatis in tenebroſa ſuperbia remanſuros. Nam inter iſtum nobis notiſſimum diem, & noctem, id eſt, inter hanc lucem, & has tenebras, vulgatiſſima ſenſibus noſtris luminaria cæli, ut dividerent, imperavit . . . . . . Inter illam vero lucem, quæ ſancta ſocietas Angelorum eſt illuſtratione veritatis intelligibiliter fulgens, & ei contrarias tenebras, id eſt, malorum Angelorum averſorum a luce juſtitiæ teterrimas mentes, ipſe dividere potuit, cui etiam futurum, non naturæ ſed voluntatis malum, occultum, aut incertum eſſe non potuit. Quod non modo debet intelligi de diſcretione a Deo facta, per largitionem gloriæ bonis conceſſæ, dum ad terminum pervenere; & per inflictionem pœnæ malis impoſitæ; ſed per largitionem potentioris gratiæ bonis in via conceſſæ, ad meritum boni operis comparandum. Aliàs (ſi quid Auguſtini, quod expendimus modò, principium valet,) de hoc ipſo bono opere, meritoque potuiſſent boni Angeli in ſe ipſis, non in Domino gloriari.

III. Nec eſt quod mihi reponat aliquis: Deum bonos Angelos à malis diſcreviſſe præſcientia ſola,] non gratia uberiori aliquibus præ aliis data; propterea quod ab Auguſtino dictum ſit, *potuit præſcire caſuros . . . . . . cui futurum voluntatis malum occultum, aut incertum eſſe non potuit.* Tantum enim abeſt, ut præſcientiam illam Dei Angelos diſcreviſſe ſignificaverit Auguſtinus, eamque factæ inter Angelos diſcretionis cauſſam dixerit; ut potius eam, veluti quidpiam ab ipſa facta diſcretione longè diverſum innuerit. *Solus*, inquit ille, *iſta diſcernere potuit, qui potuit etiam præſcire caſuros . . . . . . ipſe dividere potuit, cui etiam futurum non naturæ, ſed voluntatis malum, occultum, aut incertum eſſe non potuit:* Quin etiam unum probavit ex altero; ut qui attributum omnipotentiæ, a qua diſcretio illa fuit, ex attributo ſcientiæ demonſtraret. Adeo ſcilicet præſcientiam illam, quidpiam ab ipſa Angelorum diſcretione diverſum exiſtimavit. Quid etiam quod Auguſtinus eam Angelorum diſcretionem, Dei opus fuiſſe dixerit, ex ſupremo illius imperio profectum: præſcientia autem mali, quam illic obiter indicat, ſpeculatrix duntaxat eſt, non imperioſa, non operans: ea itaque præſcientia, Angelorum diſcretio facta non eſt; nec Dei opus diſcretio illa cenſenda foret, ſi eam Deus nudè, ac ſimpliciter præſciviſſet.

IV. Multò minus cum Anonymo Annotatore reponere juvat, Auguſtinum diſcrimen omne, bonos inter, & malos Angelos petiiſſe,

tiiſſe, ex ſola mala voluntate cadentium, non ex aliquo dono, quo Deus bonos præ malis inſigniverit: dum ait *lib. 12. de Civitate Dei cap. 9. Eoque ſunt iſti*, ſcilicet boni, *ab illorum ſocietate diſcreti, quod hi*, nempe boni, *in eadem voluntate bona manſerunt: Illi*, nempe mali, *ab ea deficiendo mutati ſunt, mala ſcilicet voluntate, hoc ipſo quod a bono defecerunt.* Iis quippe verbis, immediatam, ut ita loquar, diſcretionis cauſſam duntaxat aſſignat Sanctiſſimus Doctor, quam nemo ambigit fuiſſe voluntatem Angelicam, in illis quidem bonam, in iſtis malam; non totam cauſſam, & integram, maxime verò primariam, quam nemo neget Deum eſſe. Uti planè dum *capite 6.* ejuſdem libri, de duobus Adoleſcentibus loquens, eadem carnis tentatione pulſatis, ita demum pronunciat: *Si eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat atque conſentiat, alter, idem qui fuerat, perſeveret; quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe a caſtitate deficere?* Nemo profectò non videt, ea loquendi formula alteri omnino perſimili, cauſſam diſcretionis immediatam duntaxat indigitari, utriuſque ſcilicet adoleſcentis voluntatem, unius quidem bonam, alterius malam; non ſupremam, atque primariam; cujus omnipotenti, & efficaci gratia factum eſt, ut adoleſcentum illorum alter nollet a caſtitate deficere: juxta inconculcatam millies Auguſtini Doctrinam: *Certum eſt nos velle cum volumus: ſed ille facit, ut velimus bonum . . . . . . præbendo vires efficaciſſimas voluntati. Lib. de grat. & lib. arb. cap. 16.*

Stat ergo quod hic expendimus, inconcuſſum Auguſtini principium, de bonorum a malis diſcretione, per ſolam Dei gratiam facienda, Angelis bonis, hominibuſque innocentibus accommodatum.

Si quis autem conſecutionem a nobis inde deductam cavillari voluerit, is certè communem Scholæ ſuæ cauſſam prodet, ſuiſque adverſariis dabit. Quamcumque enim diſtinctionem excogitabit, ut evincat, non rectè ex eo principio colligi efficacis gratiæ neceſſitatem, in ſtatu naturæ innocentis; eamdem quoque obtrudent Moliniani, ut oſtendant, eamdemque quoque minus rectè deduci, in ſtatu naturæ corruptæ: uti loco ſuo manifeſtum fiet. *Cap. 12. 13. 14.*

CAPUT V.

Idem ex quarto Auguſtini principio confirmatur.

I. SUperioris Sanctiſſimi Doctoris principio finitimum iſtud eſt, & ex Sacris litteris delibatum: Spem noſtram omnem in Deo ſolo, illiuſque gratia, non in nobis, noſtriſque viribus eſſe reponendam. *Abſit autem a vobis, ideo deſperare de vobis, quoniam ſpem veſtram, in ipſo* (Deo) *habere jubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis, qui ſpem habet in homine: Et, bonum eſt confidere in Domino, quam confidere in homine: quia beati omnes, qui confidunt in eo ...... An verò timendum eſt, ne tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes ejus ponenda demonſtratur in Deo, non autem deſperaret, ſi eam in ſe ipſo ſuperbiſſimus, & infœliciſſimus poneret? Lib. de Dono Perſeverantiæ cap.* 22. Ex hoc quippe principio, concordi ſententia colligunt Theologi Auguſtiniani, nullam prorſus in nobis ſpem veri nominis fore, quæ Theologicæ Virtutis titulo cenſeatur; ſi ſtaret Hypotheſis Moliniana, de Divinis auxiliis verſatilibus, atque indifferentibus, quæ ex humanæ voluntatis aſſenſu ſuam efficaciam ſortiantur. Nec immeritò colligunt. Ex quo enim motivum, ſeu ut Schola loquitur, *ratio formalis* habitus deeſt, illiuſve fundamentum, habitum quoque deeſſe, neceſſe eſt: deeſt autem in hac hypotheſi. Eſt enim motivum ſpei, illiuſve fundamentum, *divina omnipotentia, ut auxilians*, ſeu ut auxilia illa præbens, quibus fœlicitatem æternam ſumus aſſecuturi. Unde Apoſtolus *ad Romanos* 4. Abrahamum *non hæſitaſſe diffidentia* dicit, quòd *pleniſſimè ſciret, quia quæcumque promiſit Deus, potens eſt & facere*. Talia porro non ſunt auxilia verſatilia, & ex humanæ voluntatis aſſenſu pendula. Cùm enim fœlicitatem æternam nobis fore poſſibilem non ſperemus; (eſt enim hoc objectum fidei noſtræ, non ſpei,) ſed re ipſa potius nobis obventuram expectemus; eamque nos per Dei gratiam conſecuturos confidamus: inniti iis auxiliis debet ſpes noſtra, quæ nos ad æternam fœlicitatem certò ſint perductura: qualia profectò ſunt efficacia per ſe ſe; non quæ fœlicitatem nobis duntaxat poſſibilem adpromittant; qualia ſunt verſatilia, & ex humanæ voluntatis aſſenſu pendula. Imò cum effectum ſuum aſſequi nequeant auxilia verſatilia, & indifferentia, niſi ex incerto, atque fallaci humanæ voluntatis aſſenſu, a quo determinationem ſuam, & efficaciam ſortiantur: quiſquis

in

in iis obtinendæ ſalutis ſpem reponeret; non jam in Deo, ſed in ſe ipſo, non in Divina omnipotentia, indifferenter, ut ita loquar, & indeterminatè auxiliante; ſed in ſua ipſius induſtria, ſuoque aſſenſu, efficaciam indifferentibus auxiliis addituro, ſpem ſuam atque fiduciam collocare convinceretur: ex eo enim duntaxat futurum eſſet, ut re ipſa fœlicitatem æternam conſequeretur. Uti planè amens ille fuerit, qui obtinendi muneris ſpem, in hujus benevolentia Principis collocaret, qui nihil ſe ipſo largiretur, nihil ſe ipſo daret, nihil ageret; (qualem Childericum Gallorum Regem fuiſſe ferunt) ac non potius in Regni Adminiſtri, (qualis tunc erat Carolus Martellus) benefica voluntate ſpem reponeret; cujus nutu, atque arbitrio cuncta fierent, cuncta penderent.

II. Porro ſi ſic eſt, uti ratio diſertiſſima probat, ac planè convincit; ab Auguſtinianis Theologis, ita in Molinianos diſputantibus ſcire velim, fueritne in Adamo innocente, aut certè debuerit eſſe ſpes vera, atque firmiſſima, quæ Theologicæ virtutis titulo cenſeretur? Si negent fuiſſe, ac etiam eſſe debuiſſe; Adamumque in ſe ipſo potius, ſuiſque ipſius viribus, ſpem ſuam omnem ponere debuiſſe contendant; impium faciunt, ac ſuperbiſſimum; Divoque Auguſtino, qui hanc illi virtutem neceſſariam dixit *lib.* 14. *de Civ. Dei c.* 27. palam, apertèque repugnant. Si verò fuiſſe, aut certè eſſe debuiſſe in Adamo virtutem illam fateantur; oſtendant, ſi ſuperis placet, quo tandem pacto, quave ratione, Auxilia duntaxat indifferentia, & verſatilia, quæ ſola in eo primævæ fœlicitatis ſtatu comminiſcuntur, Theologicæ ſpei motivum, ac fundamentum eſſe potuerint; quæ in hocce præſenti ſtatu, iis ipſis fatentibus, eſſe non poſſunt.

Nullum hìc, ad eludendam difficultatem, locum habet variorum naturæ ſtatuum differentia. Quod enim *omnipotentia Dei*, obtinendæ ſalutis auxilia præbens, unicum ſpei noſtræ motivum eſſe poſſit, non humanæ voluntatis vires; non inde eſt, quòd læſæ illæ nunc ſint, & ex peccato primi Parentis debilitatæ: ſed quod ſpes Theologica virtus ſit, quæ uti Deum ſolum objectum habet, ita & illum unum, uti motivum, ſeu *rationem formalem* habere poteſt. Quare tametſi majoris impietatis, majoriſque ſuperbiæ nota ſit, ſpem ſalutis in fractis, læſiſque nunc viribus ponere; quam ſi ante lapſum poſita fuiſſet in ſanis, & integris: adhuc tamen ſacrilegii genus eſt, in integris ſaniſque viribus ſpem reponere, certumque Theologicæ virtutis excidium.

CA-

CAPUT VI.

Idem ex quinto principio colligitur.

I. QUintum Auguſtini principium, quo gratiam ſe ipſa efficacem in ſtatu naturæ lapſæ demonſtrari contendunt, quotquot ejus magiſterio gloriantur, atque triumphant, iſtud eſt: Stare ſcilicet penes Deum omnipotentiſſimam poteſtatem, quæ nullius creaturæ adverſa voluntate vinci, ac ſuperari poteſt: cui volenti ſalvum facere, nullum humanum reſiſtit arbitrium. Sexcentis plus minus locis apud Auguſtinum occurrunt phraſes illæ, *lib. de grat. Chriſti cap.* 24. *Legant ergo, & intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina ſonante forinſecus, ſed interna & occulta, mirabili, atque ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolùm veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates. Lib. de grat. & libero arbitr. cap.* 21. *Agit enim omnipotens Deus in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit. Lib. de correpr. & grat. cap.* 14. *Deo volenti ſalvum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium. Sic enim velle, ſeu nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Quibus omnibus gratiam illam verſatilem, quæ ex aſſenſu, & diſſenſu liberi arbitrii efficax vel inefficax redditur, in ſtatu naturæ lapſæ, ab imo ſubverti, Auguſtiniani quique contendunt. Si enim, inquiunt illi, Deus iis duntaxat gratiis verſatilibus, hominis lapſi moveret arbitrium ad bonum quodcumque peragendum, aut perſeverandum in bono, ruerent planè quæcumque de omnipotentiſſima Dei in voluntates hominum poteſtate prædicat Auguſtinus: cùm hujuſmodi gratiis verſatilibus omnipotentiam ſuam in voluntates hominum non exerceat.

Sed, & quid vetat hoc idem Auguſtini principium, de Divinæ voluntatis omnipotentia, ſtatui naturæ innocentis accommodare, ut eamdem pro illo ſtatu conſecutionem eliciamus? An enim Deus eo in ſtatu minus omnipotens eſt, minus ſupremo pollet imperio, ut Angelorum, & innocentium hominum voluntates, quò vellet, quando vellet, & quomodo vellet inflecteret? ut a nullo corde ejus gratia reſpueretur? ut nullum illi creatum arbitrium obſiſteret? ut motum denique voluntatis eorum operaretur? Nihil profectò valet hîc ſtatuum diverſitas, atque diſtinctio: primum hominem, Angelos ipſos, creaturas eſſe ſatis eſt, ut illud in eos imperium

Deus

Deus exerceat. Quod ipſemet faſſus eſt Auguſtinus, noſtroque accommodavit inſtituto, *in Enchir. ad Laurentium cap. 96. Neque enim ob aliud veraciter vocatur omnipotens* Deus, *niſi quoniam quidquid vult poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus*, & *capit.* 102. *Quantælibet ſint voluntates vel Angelorum, vel hominum, vel bonorum, vel malorum .... omnipotentis voluntas Dei ſemper invicta eſt: & lib.* 14. *de Civ. Dei cap.* 27. *Quis enim audeat credere, aut dicere, ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei poteſtate non fuiſſe?* Pro ſuprema itaque poteſtate ſua agit Deus in Angelorum, & innocentum hominum voluntates, ut eas etiam quocumque velit inflectat; idque invicto planè modo, ne Divinæ voluntatis impediatur effectus. Quod certè auxiliis merè ſufficientibus, indifferentibus, ac verſatilibus non præſtatur.

II. Reponit Anonymus Annotator, aut potius a Janſenio, cum quo mihi res eſt, reponi poſſe fidenter ait: ex omnipotentiſſima Dei poteſtate, quam Deus in univerſas creaturas rationales exercet, perperam gratiæ ſe ipſa efficacis neceſſitatem oſtendi; cum ſat benè potuerit Deus pro poteſtate efficere, *ut nec Angelus, nec homo caderet*, nulla illis efficaci collata gratia, ſed ſuum duntaxat concurſum denegando, qui neceſſarius illis erat ad gratiam verſatilem reſpuendam; eaque denegatione, pravum illorum aſſenſum ad malum cohibendo.

At nec id quidem Janſenius repoſuerit, niſi ſua velit Doctrinæ principia demoliri. Ille etenim ipſe eſt, qui ex omnipotentiſſima Dei poteſtate, quam modò in hominum voluntates exercet, gratiæ ſe ipſa efficacis neceſſitatem adverſus Molinianos evincit: Ille ipſe eſt, qui Divinam illam omnipotentiam in hominum voluntates exerceri non poſſe contendit, ſola gratiarum indifferentium, ac verſatilium largitione. Cum itaque eamdem omnipotentiam exerceri a Deo doceat Auguſtinus, in movendis Angelorum, & innocentum hominum voluntatibus: quidni quoque argumento velut ad hominem colligamus contra Janſenium, ejuſdem efficacis gratiæ neceſſitatem, ad convertendas Angelorum, innocentumque hominum voluntates? Quidve ille, niſi ſecum ipſe pugnans repoſuerit; Deum pro poteſtate ſua efficere potuiſſe, *ut neque Angelus, neque homo caderet*, nulla illis efficaci collata gratia, ſed ſolo negato concurſu, ad pravum voluntatis aſſenſum neceſſario? Quaſi verò denegatio concurſus naturalis ad peccandum neceſſarii, Divinæ omnipotentiæ actus ſit: aut etiam, quod abſurdius eſt, Deus hominem, Angelumque ne cadant impediat, nullo ſuæ gratiæ dato præſidio, ſed ſolo denegato naturali concurſu ad peccandum neceſſario. Si ſic eſt, dum Deum oramus, *ne nos inducat in tentationem*, non gra-

gratiam dari nobis aliquam poſtulamus, ut peccatum devitemus; ſed naturalem concurſum denegari nobis efflagitamus. Quo nihil abſurdius excogitari a quoquam poteſt.

III. Tolerabilius fortè reponeret Adnotator, ad hujuſce Argumenti vim eludendam, ſi ſimpliciter diceret: ſupremam quidem Deo ineſſe, pro quocumque humanæ, atque Angelicæ naturæ ſtatu omnipotentiam; cùm hoc illi ſit attributum indivulſum: at non perindè quocumque ſtatu ſuam illam omnipotentiam exercere; quòd æqua ubique non ſit illius exercendæ neceſſitas, maximè ubi tanta non eſt creatæ naturæ infirmitas. At nec ſic quidem difficultatem eluderet. Suam enim omnipotentiam Deum optimum maximum exercere, in quibuſcumque creaturis, ac in ipſis etiam Angelorum voluntatibus regendis, flectendis, & quocumque voluerit permovendis, laudatis locis prædicat Auguſtinus, cujus hîc unicè mentem inquirimus. Qua de re plenius *Cap.* 17.

CAPUT VII.

Idem probatur ex ſexto principio.

I. SExtum Auguſtinianæ doctrinæ principium; quo gratia illa verſatilis a ſtatu naturæ lapſæ prorſus eliminata dicitur, & gratiæ cujuſpiam efficacis neceſſitas ſtabilita, inſcrutabilitas eſt quæſtionis hujus profundiſſimæ, cur unus præ altero Divinæ vocationi conſentiat; cur unus in accepta juſtitia perſeveret, non item alter? In ſyſtemate quippe gratiæ verſatilis, omnibus promiſcuè conceſſæ, quæ unius aſſenſu redditur efficax, alterius diſſenſu inefficax redditur, nulla profectò eſt quæſtionis hujus inſcrutabilitas. Facilè enim reſpondetur, ideò vocationi conſentire unum, non item alterum; ideò in accepta juſtitia perſeverare illum, non item iſtum; quia is gratiam verſatilem ſuo aſſenſu reddit efficacem, iſte diſſenſu inefficacem. In hypotheſi duntaxat gratiæ efficacis, ad aſſentiendum, & perſeverandum neceſſariæ, alta quæſtionis hujus profunditas eſt: quia ad inſcrutabilia Dei judicia pertinet, cur uni potius, quàm alteri denegata ſit gratia, qua vocationi conſentiret, aut perſeveraret in bono. Principium hoc ſæpius videas ab Auguſtino poſitum, maximè verò *lib. de dono perſev. c. 9. Ex duobus itaque parvulis originali peccato pariter obſtrictis, cur iſte aſſumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iſte ita vocetur, ut vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur; inſcrutabilia ſunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perſeverantia uſque in finem, illi non donetur, inſcrutabiliora ſunt judicia Dei: & cap. 12. Sed quare illos potius quam illos? Iterum, atque iterum dicimus, nec nos piget:* O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. *Et hoc adjiciamus:* Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: *& lib. de ſpiritu, & littera cap. 33. Si quis me interroget, cur illi ſuadeatur, ut perſuadeatur, iſti autem non; duo ſolùm occurrunt, quæ reſpondere mihi placeat:* O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! *& nunquid iniquitas apud Deum? cui hæc reſponſio non placet, quærat Auguſtino doctiores, ſed caveat ne inveniat præſumptiores.*

Jam, inquio ego, hanc Divinorum judiciorum profunditatem; in ſtatu naturæ innocentis, perinde agnovit Auguſtinus, & inſcrutabilem quæſtionem dixit, cur Angelorum aliqui ad Deum incom-

mutabile bonum converſi ſint , non item alii : cur illi ſteterint ; iſti non ſteterint .

Quod enim generatim , & universè de mala peccantium voluntate docet *lib.* 11. *de Geneſi ad litteram Cap.* 10. id conſequenter de malis peccantium Angelorum voluntatibus intelligi vult : *Poſſet etiam ipſorum voluntatem in bonum convertere , quoniam omnipotens eſt . Poſſet planè . Cur ergo non fecit? Quia noluit . Cur noluerit , penes ipſum eſt .* Quaſi dicat , potuit quidem Deus peccantium etiam Angelorum voluntates , in Deum tamquam finem ultimum actu libero conſequendum , perinde convertere , uti in eum convertit ſtantium Angelorum voluntates : (non enim de converſione poſt lapſum , & per pœnitentiam illic ſermo venit) potuit illud , inquam , quia ſupremam in quaſcumque voluntates poteſtatem exercet : non fecit tamen , quia facere noluit , ob inſcrutabilia judicia ſua . Ea ergo converſio a Deo præſtanda erat , gratiæ cujuſdam ſpecialis , & efficacis largitione , non nutu , atque aſſenſu voluntatis Angelicæ , gratiam verſatilem omnibus communiter datam efficacem reddentis . Maximè cum Auguſtinus illud ipſum converſionis opus , Divinæ omnipotentiæ , & voluntati adſcribat : *Convertere poterat Deus , quia omnipotens eſt ...... Non convertit , quia noluit .* Quod quàm ſit ab eo quod impetimus ſyſtemate alienum , nemo non videt , niſi qui in meridiana luce cœcutiat.

II. Hinc videas , quàm futiliter ludat , illudatque Anonymus Annotator , dum Quæſtionis hujus , *Cur Angelorum alii præ aliis ſteterint* , profunditatem , & inſcrutabilitatem aliunde oriri vult , quàm ex neceſſitate gratiæ alicujus per ſe efficacis ad ſtandum ; ſed ex eo potius oriri ait , *quod noluerit Deus uti poteſtate , quam habebat pleniſſimam , ad impediendum , ne mali Angeli , & primus homo ab ipſo recederent* . Quaſi verò aliud poteſtas illa ſit , quàm gratiæ efficaciſſimæ ab ipſo pro arbitrio conferendæ ; qua ſola poterat impedire , ne in peccatum aliqui laberentur ? Hanc itaque , velit nolit , hujuſce profunditatis rationem agnoſcit , quam repudiare videri vult ; alteraque , ut ajunt , manu ædificat , quod altera demolitur .

Illudit multò magis , dum alteram profunditatis hujus rationem obtendit : quod nempe cadentibus Angelis pœnitentiæ locus datus non ſit , qui datus eſt homini . Ecquis enim non videat , rationem hanc nihil cum præſenti quæſtione habere commune ; in qua id quæritur unicè , *cur Angelorum alii præ aliis ſteterint* ; non cur nulla data ſit cadentibus veniæ ? Ut ſileam , non eſſe quæſtionem illam ſecundam penitus inſolubilem , cujus rationem plauſibilem Theologi proferunt : quod nempe ex mera malitia peccarint Angeli , homo non item , ſed magis ex infirmitate .

III. Sed

III. Sed neque feliciùs Argumenti noſtri difficultatem elident Auguſtiniani Theologi, quibuſcum res nobis eſt, ſi fortè dixerint: inſcrutabilem perinde fore ſua in hypotheſi quæſtionem, *Cur Angelorum alii ſteterint, alii non ſteterint:* quia ſatis intelligentia non poſſumus aſſequi, cur, cum eſſent omnes Angeli verſatilibus auxiliis ex æquo inſtructi, iiſdem tamen aſſenſum alii præ aliis dederint, alii præ aliis denegarint. Non ſic, inquam, difficultatem elident. Primò, quia, & hoc idem reponere Moliniani poſſent, ut alteram quoque quæſtionem, *Cur unus præ altero Divinæ nunc vocationi conſentiat*, inſcrutabilem ſua in hypotheſi nobis oſtendant. Quandoquidem, & ipſi ſatis ſe intelligentia aſſequi non poſſe inquient, cur cum ſint ambo homines iiſdem verſatilibus auxiliis inſtructi, atque vocati, iis præ altero alter donet aſſenſum, alter præ altero neget. Secundò, quia Auguſtinus, qui utramque quæſtionem perinde inſcrutabilem dixit, non ex aſſenſu dato potiùs, quàm negato inſcrutabilitatem argumentatus eſt; ſed ex omnipotentiſſima Dei voluntate, quæ cum poſſit omnes perinde trahere, omnes perinde convertere, alios tamen præ aliis convertit, & traxit, inſcrutabili judicio, miſericordi ſimul, & juſto. Seu ut expeditiùs dicam, Divinorum Judiciorum, in vocandis, trahendiſque Angelorum, & hominum voluntatibus, profunditatem, & inſcrutabilitatem agnovit Sanctiſſimus Doctor; non ipſas Angelorum, & hominum voluntates, in aſſenſu dando, vel denegando inſcrutabiles dixit. Uti profectò ea in parte inſcrutabiles re ipſa non ſunt.

Quare nec illud veritatem habet, quod inſinuata reſponſio ponit. Ut enim intelligamus, cur etſi omnes Angeli verſatilibus auxiliis ponerentur inſtructi, iis tamen aſſenſum alii præ aliis dederint; ſatis ſuperque eſt, ſi eos liberos, imò liberrimos fuiſſe noverimus. Quod non modò Divina revelatione Sacris in Litteris facta didicimus, verùm etiam naturali lumine novimus.

CAPUT VIII.

Inſignis profertur Auguſtini locus, & contra nonnullorum cavillos defenditur.

I. GEneralia Auguſtinianæ doctrinæ principia congeſſimus hactenus, quibus uti gratiæ ſe ipſa efficacis neceſſitas ſuperſtruitur in ſtatu naturæ lapſæ, ita quoque in ſtatu naturæ innocentis ſuperſtrui, neceſſe eſt: cum hæc ipſa principia utrique perinde ſtatui accommodaverit Auguſtinus. Nunc ſuſceptam quæſtionem paulò intimiùs attingimus, atque in ipſa, ut ita loquar, difficultatis viſcera ingredimur; SS. Doctoris mentem, de gratia ſe ipſa efficaci, primis parentibus, & Angelis neceſſaria, magis, ac magis exploraturi.

II. Candenti lapillo ſignandus mihi viſus eſt inſignis Auguſtini locus, ex *cap. 9. libri 12. de Civit. Dei* petitus, ubi quæſtionem iſtam tractat ex inſtituto: Cur ex Angelis in gratia ſanctificante conditis, ceciderint alii, alii ſteterint; undè hæc illorum tam diverſa fortuna? Certè ſi Theologos, quibuſcum res nobis eſt, conſuleremus, illico reſponderent, utriſque perinde Angelis verſatilem gratiam eſſe datam; ſed illos eam liberi arbitrii aſſenſu efficacem feciſſe, iſtos diſſenſu inefficacem; eaque de cauſſa ſtetiſſe illos in accepta juſtitia, iſtos cecidiſſe. Verùm longè aliter quæſtioni ſatisfacit Auguſtinus, confugitque ad majus Divinæ gratiæ adjutorium, ſtantibus Angelis datum, quàm cadentibus. *Iſti autem*, inquit, *qui cum boni creati eſſent, tamen mali ſunt, mala propria voluntate .... aut minorem acceperunt amoris Divini gratiam, quàm illi qui in eadem perſtiterunt; aut ſi utrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem pervenerunt, undè ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent*. Quem locum uſque adeò, ad gratiæ ſe ipſa efficacis neceſſitatem in Angelis aſſerendam, decretorium agnovit Leonardus Coquæus, Auguſtiniani inſtituti Profeſſor, librorumque *de Civit. Dei* Commentator omnium celeberrimus, ut de D. Auguſtini mente dubitari non poſſe fateatur.

III. Dubitant nihilominus aliqui, utque locum illum diſertiſſimum cavillentur, reponunt: Angelos ſtantes amplius quidem adjutorium habuiſſe, quàm cadentes; non tamen adjutorium in ſtatu viæ, qualis eſt gratia actualis efficax, ſed adjutorium in ſtatu

pa-

patriæ; quale eſſe ajunt, vel lumen gloriæ, quod iſti recepere non illi; aut etiam certam de beatitudinis perennitate notitiam. Ne quis porro id ab eis futiliter excogitatum exiſtimet, obſervatione dignum ajunt, Auguſtinum majus illud adjutorium ſtantibus Angelis datum aſſerentem, atque docentem, lectores mittere ad librum præcedentem: *Sicut jam*, inquit, *etiam in libro quem ſequitur iſte, tractavimus:* porro eo *in libro* 11. ſcilicet *cap.* 13. conceptiſſimis verbis habet, bonos Angelos certam ſcientiam ſuæ ſempiternæ fœlicitatis accepiſſe.

At nebulas illi offundunt lucidiſſimæ veritati. Quamquam enim certò certiùs ſit, Angelos ſtantes, a ſtatu viæ ad ſtatum gloriæ translatos, lumine gloriæ fuiſſe donatos, certamque perennitatis beatitudinis ſuæ notitiam accepiſſe: repugnat tamen, D. Auguſtinum nomine adjutorii, quod ſtantibus Angelis datum dicit, ullum adjutorium patriæ intellexiſſe: ſeu ſit illud lumen gloriæ, ſeu certa ſit de beatitudinis perennitate notitia. Ex toto quippe Auguſtini contextu perſpectum eſt, agere illum de Angelis bonis, & malis, quales in via erant; idque inveſtigare, quid illi præ aliis habuerint, ut in bona voluntate perſiſterent. Quare dum ultimò pronunciat, fuiſſe illos magis adjutos, adjutorium intelligit datum illis in via: alioquin propoſitæ quæſtioni minimè ſatisfaceret. Uti planè ſi quærenti, quid Petrus præ Juda habuerit, ut præ illo ſalvaretur, reponerem, Petrum æternam ſalutem adeptum, gloriæ lumen accepiſſe, non Judam; non utique quæſito ſatisfacerem. Nec enim id a me quæritur, nec quæri prudenter poteſt.

Ad hæc: agit Auguſtinus de adjutorio Angelis dato, ut in bona voluntate perſiſterent; ſeu, quod idem eſt, ut in accepta juſtitia perſeverarent: ſed quæcumque fingantur adjutoria patriæ, ea profectò non dantur, ut quis in accepta juſtitia perſeveret, ſed ſunt potius adeptæ perſeverantiæ præmia: de iis itaque non loquitur Auguſtinus, ſed de adjutorio in via dato. Quid plura? Verbis conceptiſſimis aſſerit Auguſtinus, Angelos ſtantes *amplius adjutos ad beatitudinem perveniſſe:* de adjutorio itaque loquitur, quo pervenitur ad beatitudinem: ſed repugnat planè, adjutorium patriæ medium eſſe, quo pervenitur ad beatitudinem; cùm contra potius detur, dum ad beatitudinem ventum eſt: de eo itaque non loquitur Auguſtinus. Certè quod non habetur niſi in termino, medium non eſt, quo pervenitur ad terminum: lumen autem gloriæ, quod ab Auguſtino adjutorii nomine intellectum effutiunt, non habetur niſi in termino, ſeu in gloria: quomodo ergo medium eſſet, ſeu adjutorium, quo pervenitur ad gloriam?

Qua-

Quare toto aberrat oſtio Anonymus Annotator, dum inquit, D. Auguſtinum evidenter docuiſſe, *Angelos bonos, amplius hoc adjutorium, tanquam permanſionis præmium accepiſſe*. Seu ut paulò antea dixerat, *hoc amplius adjutorium Angelos recepiſſe, pro merito permanſionis ſuæ:* ut hinc colligere illi liceat, adjutorium eſſe patriæ, non viæ. Ubinam verò, ubinam id docuit, id aſſeruit Sanctiſſimus Doctor, cujus ne leve quidem veſtigium extat, cum in libris de *Civitate Dei*, tum in libro de *Correptione & gratia*, ubi hoc ipſum pertractat argumentum? Imò ſcribit ille vice verſa *Cap. 11. de Correp. & gratia: Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus permanſionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certiſſimum ſit, ſemper ſe in illa eſſe manſuros*. Quibus verbis apertè ſignificat, non amplius illud, de quo hìc agimus, adjutorium, permanſionis præmium in ſanctis Angelis extitiſſe; ſed beatitudinis plenitudinem, certamque de illius perennitate notitiam.

IV. Cernitis jam quot ea reſponſio, ſeu potius evaſio ferat abſurda: ſed & majoribus abſurdis implicantur, qui alteri datæ reſponſionis parti adhærent: quique D. Auguſtinum, majoris adjutorii nomine bonis Angelis dati, intellexiſſe comminiſcuntur certam de ſuæ beatitudinis perennitate notitiam. Tantùm enim abeſt, ut certa de beatitudinis perennitate notitia adjutorium ſit, quo pervenitur ad beatitudinem, ut potius non niſi adepta jam beatitudine poſſit haberi, beatitudiniſque jam poſſeſſæ corollarium ſit. Prius enim eſt, quempiam eſſe beatum, quàm certò ſcire, ſe de ſua beatitudine nunquam eſſe caſurum. Nec ſatis advertunt, qui eam Auguſtino mentem affingunt, quàm eſſet abſurda, quàm inepta SS. Doctoris propoſitio, ſi eum, quem illi fabulantur, ſenſum haberet. Ea quippe Auguſtini propoſitio, *boni Angeli amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem pervenerunt, unde ſe nunquam caſuros certiſſimi ſcirent*, hunc ſenſum redderet: *boni Angeli accepta certa notitia perennitatis ſuæ beatitudinis, ad beatitudinem pervenerunt, unde ſcirent ſe nunquam eſſe caſuros*. Concinnè profectò, & eleganter! Scilicet cùm ſcirent boni Angeli, ſe de ſua beatitudine jam adepta nunquam eſſe caſuros, ad beatitudinem pervenerunt, undè ſcirent ſe nunquam eſſe caſuros? Quæ major, per fidem Numinum! quæ putidior battologia fingi poteſt? Itane ſenſiſſe, ita dixiſſe putabimus Auguſtinum?

Neque refert quod alicubi Auguſtinus beatitudinem *adjutorium* vocet. Aliud namque eſt, beatitudinem adjutorium dicere, *quo quis continuò fit beatus:* quod ait ille *cap. 12. lib. de corrept. & gratia*, utique non incongruè; cùm viſio beatifica, quæ vera eſt bea-

beatitudo, formalis ratio cenſeatur, qua quis beatus eſt, diciturque: aliud eſt beatitudinem adjutorium dicere, *quo pervenitur ad beatitudinem:* quod eſt abſurdiſſimum. Qualem tamen Auguſtino ſenſum affingunt, qui locum ex *cap. 9. lib.* 12. *de Civit. Dei*, de adjutorio patriæ, quod ipſamet beatitudo eſt, intelligi volunt.

V. Quare iis relictis diverticulis ac ſuffugiis, reponunt alii, Auguſtinum de majori adjutorio Angelis bonis in via dato fuiſſe locutum; non ideo tamen adjutorium illud efficax extitiſſe, quia majus eſt dictum: ſed majus duntaxat ab Auguſtino fuiſſe dictum, intra lineam, ut ajunt, auxilii merè ſufficientis, atque verſatilis. Verùm nec ii feliciùs difficultatem elidunt; quamquam auxilia ſufficientia, & verſatilia, aliis alia majora poni poſſint. Auguſtinus enim non modò Angelos ſtantes magis adjutos fuiſſe pronunciat, verùm etiam majus illud adjutorium, tanquam certam cauſſam aſſignat, cur ii præ aliis in bona voluntate perſtiterint: de hoc enim quæſtio movebatur: At pone mihi qualecumque libuerit adjutorium indifferens, atque verſatile; ex quo tamen indifferens ſupponitur, atque verſatile, certa bonæ voluntatis cauſſa eſſe non poteſt: cum potius ab ipſa pendeat voluntate, ut ejus indifferentia tollatur, ad effectum aliquem producendum. Quandoquidem ab agente indifferenti, ut indifferens eſt, actus prodire non poteſt: Stat ergo inconcuſſum illud D. Auguſtini teſtimonium, nec ulla poteſt cavillatione declinari.

Sunt denique qui reponant, Auguſtinum de majori adjutorio ſtantibus Angelis in via dato fuiſſe locutum, non interno tamen, ſed externo duntaxat: hoc eſt, ut ipſi quidem interpretantur, *de externa protectione Dei, ne ſcilicet tam graviter, ut cæteri tentarentur*. Quis id ferat? Stantium ſiquidem Angelorum plurimi nulla externa tentatione pulſati ſunt, pro qua ſuperanda, externa Dei protectione fuerit illis opus: Illi ſcilicet qui aliquo ſaltem momento viam conſummarunt, antequam reprobi a Deo refugæ fierent; ii quippe, a quo tentarentur, non habuerunt. Sed & quotquot Angeli tentati dicuntur, eadem prorſus externa tentatione pulſati ſunt; nimirum malorum a juſtitia excidentium exemplo; quod omnium mentibus perinde, atque ex æquo obverſabatur. Perperam ergo externa Dei protectio major ſtantibus Angelis data dicitur, ne tam graviter ut cæteri tentarentur.

VI. Neque vero quidquam roboris habet, quod ad illa ſuffugia cohoneſtanda obſervatum volunt: D. Auguſtinum, majus adjutorium ſtantibus Angelis datum aſſerentem, atque docentem *lib.* 12.

de

de Civit. Dei cap. 9. lectores mittere ad librum præcedentem, ubi ſimpliciter docet, bonos Angelos certam ſuæ ſempiternæ felicitatis ſcientiam accepiſſe. Quaſi verò id nobis quidquam officiat. Neque enim id inficiamur, habuiſſe ſtantes Angelos certam æternæ ſuæ felicitatis notitiam: ſed hanc ipſam notitiam fuiſſe negamus maius illud auxilium, quo adiuti ad beatitudinem pervenerunt: cùm potius non niſi adepta iam beatitudine, notitiam illam acceperint. Itaque primo illo D. Auguſtini teſtimonio bona in luce poſito, præcluſiſque ſuffugiis omnibus, pergamus ad reliqua.

C A-

CAPUT IX.

Alia D. Auguſtini teſtimonia proferuntur.

I. AUdientiam aliis Auguſtini oraculis faciet quod extat in proximo, eodem ſcilicet *nono capite lib.* 12. *de Civit. Dei*; quod ut indictum relinquere piaculum fuerit, ita reliquis præmittere neceſſarium. De voluntate ſcilicet in univerſum tam Angelorum, quàm hominum, ut primùm a Deo conditi ſunt, ita pronunciat SS. Doctor: *Voluntatem quamlibet bonam inopem fuiſſe in ſolo deſiderio remanſuram, niſi ille qui bonam naturam ex nihilo ſui capacem fecerat, ex ſeipſo faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem.* Si porro otioſa eſt, judice Auguſtino, bona voluntas a Deo condita, niſi eam Deus meliorem ex ſeipſo faciat, avidioremque: non itaque iſtud operis relictum eſt in ſolis liberi arbitrii viribus, nulla nova Dei opitulante gratia: quod contraria ponit opinio.

Quin etiam quæſtionem ex inſtituto movens, *An ſancti Angeli, quem habent Creatorem naturæ, eumdem habeant bonæ voluntatis* (illius ſcilicet volitionis, qua perſeverarunt) *authorem, per Spiritum Sanctum in eis Charitate diffuſa?* ita demum quæſito reſpondet: *Confitendum eſt igitur cum debita laude Creatoris, non ad ſolos ſanctos homines pertinere, verùm etiam de ſanctis Angelis poſſe dici, quod Charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus eſt eis.* Deus igitur novæ cujuſdam Charitatis Actualis effuſione, bonam in Angelis voluntatem eſt operatus; qua ii ad Deum converſi, in bono in quo conditi ſunt, perennarunt, eo planè modo, quo eam *in ſanctis hominibus* operatur; quibus hac in parte ſanctos Angelos pares eſſe vult Auguſtinus. Gratia porro, qua Deus operatur bonam voluntatem, non eſt nudæ poſſibilitatis gratia, ſed actionis; adjutorium eſt, quo fit opus, non adjutorium tantùm, ſine quo non fit; Auxilium uno verbo efficax, non merè ſufficiens: quod vel ipſi Auguſtiniani Theologi profitentur.

II. Accedunt nunc ſecundo in ordine ea SS. Doctoris locupletiſſima teſtimonia, quibus bonorum Angelorum perſeverantiam, non liberi arbitrii facultati, quæ verſatilem, & ancipitem gratiam fixerit, ac determinarit, adſcribit; ſed adjutorio prorſus efficaci. Sic *Enarrat. in Pſal.* 32. exponens illud Prophetæ Regii, *verbo domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum,*

Digitized by Google

verba hæc ad Angelos per allegoriam inflectit: *verbo domini*, inquit, *cæli*, *ideſt Angeli ſolidati ſunt*. *Non a ſe ſibi ſolidamentum fuerunt*, *nec ipſi firmitatem propriam ſibi præſtiterunt*. *Non enim habuerunt aliquid ex ſe tanquam ſupplementum*, *quod non a Domino perceperint: ſpiritu enim oris ejus*, *non pars*, *ſed omnis virtus eorum*. En Angelos non modò a Domino ſolidatos aſſerit Auguſtinus; ſed, & illos nihil a ſe ipſis inſtar ſupplementi habuiſſe docet; nec partem duntaxat virtutis, ſed omnem a Domino ſúſcepiſſe virtutem affirmat. Cœterum, ſi non niſi verſatilem gratiam, cujus virtus ex liberi arbitrii conſenſu ſuſpenſa eſt, accepiſſent Angeli boni, a ſe ipſis ſin minus ex toto, ſaltem ex parte ſolidati dici poſſent; utpote qui liberi arbitrii facultate indifferentem gratiam, efficacem omnino reddidiſſent. Supplementum ad minus a ſeipſis addidiſſent: aliquid a ſemetipſis, atque ex proprio naturæ penu attuliſſent: uti profectò Theologi illi fatentur quibuſcum res nobis eſt. At hæc omnia Auguſtinus eliminavit, ut divinæ gratiæ totum adſcriberet etiam in Angelis; quemadmodum totum gratiæ adſcripſit in nobis; juxta illud quod *lib. de Dono perſeverantiæ cap. 6.* tam piè, quàm verè ſcripſit: *Tutiores igitur vivimus*, *ſi totum Deo damus*, *non autem nos illi ex parte*, *& nobis ex parte committimus*. Non ſic tamen ut nihil agamus; ſed quòd ex efficaci Dei gratia ſit, quod agamus. Sic enim totum eſt gratiæ: uti *cap.* 13. *ejuſdem libri* disertè ſignificat: *Nos ergo volumus*, *ſed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur*, *ſed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate*. *Hoc nobis expedit & credere*, *& dicere: hoc eſt pium*, *hoc verum*, *ut ſit humilis*, *& ſubmiſſa confeſſio*, *& detur totum Deo*.

III. Diſertiùs longè multò hoc idem exequitur Auguſtinus, *lib. de Novo cantico cap.* 8. de Homine primo, in ſtatu innocentiæ condito ſermonem habens. *Quid enim valeat*, inquit, *liberum arbitrium non adjutum*, *in ipſo Adam demonſtratum eſt*. *Ad malum ſufficit ſibi*, *ad bonum non*, *niſi adjuvetur a Deo*. Quo ex loco duo colligo, quibus oppoſitum ſyſtema funditus evertitur. Primùm, defuiſſe Adamo aliquod adjutorium, quo neceſſariò erat adjuvandus, ut perſeveraret in bono: *quid valeat*, inquit, *liberum arbitrium non adjutum*, *in Adam demonſtratum eſt:* at non illi profectò defuit gratia illa verſatilis, quam ſufficientem Schola vocitat, *auxilium ſine quo*, ut loquitur Auguſtinus, quod utique ſi defuiſſet, *nunquam homo ſua culpa cecidiſſet:* erat ergo Adamo, ut perſeveraret in bono, neceſſarium aliud adjutorium, quod utique defuit: Illud vero quodnam quæſo erit, niſi efficax; cum præter efficax, & ſufficiens, nullum ſit? Alterum quod ex illo Auguſtini teſtimonio colligo, iſtud eſt: Adamum tametſi in juſtitia ori-

originali conditum, ad malum ſatis ſibi fuiſſe, ad bonum minimè, niſi Dei adjutorio juvaretur: erat igitur adjuvandus Adamus novo quodam auxilio, ultra illud quod ipſi continuò præſto erat: ſi novo egebat, profectò efficaci, quandoquidem ſufficiens jam habebat.

Quare, ut liberè dicam ipſe quod ſentio, recentium Thologorum illorum, quibuſcum res nobis eſt, ingenium ſatis demirari non poſſum, qui datam Adamo verſatilem gratiam, ejuſque arbitrio quoad uſum ſubditam dicunt: (quam ſcilicet ille pro nutu, & ingenita facultate efficacem reddere poſſet, ad bonum edendum, & perſeverandum in bono) ut vel hoc pacto Deus oſtenderet, quid poſſet liberum ejus arbitrium, præſertim ad bonum: Cùm contra, tam apertè, tamque disertè pronunciet Auguſtinus, Deum tunc potius oſtendiſſe quid poſſet liberum arbitrium duntaxat ad malum, non itidem quid poſſet ad bonum: imò hoc ipſum primi hominis arbitrium nihil ſe ipſo, ſuiſque relictum viribus, ad bonum valuiſſe. Quod verbis etiam amplioribus explicat *Serm. 26. de verbis Apoſt. Hoc modo ergo oſtendere voluit homini Deus, quid valeat liberum arbitrium ſine Deo*, (per auxilium efficax adjuvante.) *O malum liberum arbitrium ſine Deo! Experti ſumus quid valeat ſine Deo. Ideo miſeri facti ſumus, quia ſine Deo quid valeat experti ſumus.*

IV. In eumdem planè ſenſum loquitur Auguſtinus *in Enchir. ad Laurentium cap.* 106. eaſdemque ex verbis ejus conſecutiones elicere licet. *Homo*, inquit, *in Paradiſo ad ſe occidendum relinquendo juſtitiam idoneus erat per voluntatem, ut autem ab eo teneretur vita juſtitiæ* (hoc eſt, ut in juſtitia perſeveraret) *parum erat velle, niſi ille, qui eum fecerat, adjuvaret:* utique novo adiutorio, præter illud, quo iam erat inſtructus. Imò quod mirere magis, cum *lib.* 14. *de Civit. Dei cap.* 27. dixiſſet Auguſtinus, Adamum a Diabolo fuiſſe victum, quia de Dei adiutorio confidere noluit, ſtatim addidit, *quia & ipſum fidere de adjutorio Dei, non quidem poſſet ſine adjutorio Dei:* ut intelligamus, ipſum gratiæ uſum in homine primo fuiſſe ex gratia: atque ita nullam in ſtatu innocentiæ fuiſſe gratiam verſatilem, atque indifferentem, quæ ingenita liberi arbitrii facultate determinanda eſſet. Sic enim bonus uſus gratiæ non ab ipſamet gratia eſſet, ſed a libero arbitrio, gratiæ verſatilitatem, atque indifferentiam determinante.

V. Doctrinam poſtrema huiuſce Capitis parte a nobis explicatam, ac defenſatam, ne relinquat intactam Anonymus Annotator, quærit admirabundus: *Quomodo adjutum non erat liberum arbitrium Adami peccantis, ſi jam receperat gratiam, & quidem magnam, fatente Auguſtino? Quomodo illi defuit aliquod adjutorium,*

CAPUT X.

Novo Auguſtini Oraculo Fulgentii teſtimonium adnectitur.

I. Dictis robur, & quidem non minimum addit præclara D. Auguſtini ſententia, *Epiſt. 186.* quam etiam Concilii ſecundi Arauſicani Patres in ſuos Canones transfuderunt. *Natura enim humana etiamſi in illa integritate in qua condita eſt permaneret, nullo modo ſe ipſam Creatore ſuo non adjuvante ſervaret. Cum igitur ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit; quomodo ſine gratia Dei poteſt reparare, quam perdidit?* Quo ex loco duplex ego momentum elicio. Primum iſtud eſt: Natura humana, judice Auguſtino, etiam integra, qualis nimirum primitus condita eſt, non poterat ſeipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervare; ſed ſi non eguiſſet auxilio per ſe efficaci, ſe ipſam Creatore ſuo non adjuvante ſervaſſet: quandoquidem auxilium ſufficiens quod habebat, non ei dabat actu perſeverare, ſed poſſe perſeverare duntaxat. Quid etiam, quod Auguſtinus his verbis apertè pronunciat, hominem in integritate conditum, deſtitutum fuiſſe aliqua gratia, ſeu aliquo adjutorio, quod illi ad perſeverandum in ea integritate neceſſarium erat? *Creatore ſuo non adjuvante*, inquit, ... *ſine gratia Dei ſalutem cuſtodire non potuit:* at deſtitutus non fuit gratia, ſeu adjutorio ſufficienti, & *ſine quo non:* igitur deſtitutus fuit adjutorio efficaci, eoque ad perſeverandum neceſſario. Alterum, & quidem longè gravius inde momentum elicio. Probat eo loci D. Auguſtinus adverſus Semipelagianos, argumento, quod ajunt a minori ad majus, hominem ſine Dei gratia reparare in præſenti ſtatu non poſſe, quod perdidit, quia ſine Dei gratia in ſtatu innocentiæ cuſtodire non potuit quod acceperat: diſertiſſima verba ſunt: *natura humana, etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo tamen modo ſeipſam Creatore ſuo non adjuvante ſervaret:* ejuſdem itaque, quantum ad efficaciam, gratiæ neceſſitatem agnoſcit utroque in ſtatu: aliàs argumentum ex ea amborum ſtatuum comparatione petitum, frivolum eſſet: at ultro citroque fatentur Theologi, quibuſcum res nobis eſt, gratiam ſe ipſa efficacem prorſus eſſe neceſſariam ad reparandam nunc innocentiam amiſſam: igitur eamdem quoque fateantur neceſſariam oportet, ut Adamus acceptam innocentiam cuſtodiret.

Et quidem ſi Auguſtinus non niſi verſatilem gratiam in ſtatu inno-

Digitized by Google

innocentiæ agnoviſſet, tantum abeſt ut eo argumento preſſi fuiſſent Semipelagiani, ut reparationis gratiam efficacem in nobis agnoſcerent; ut potius illud idem argumentum in Auguſtinum retorſiſſent, in hunc fermè modum: Eadem, te ipſo judice, deſideratur gratia, ut homo poſſit modò reparare quod perdidit, quæ in Adamo deſiderabatur, ut poſſet ſervare quod acceperat: ſed ut poſſet ille ſervare quod acceperat, non niſi gratia verſatilis, liberoque arbitrio ſubdita deſiderabatur: igitur & hæc ſola deſideratur modò, ut poſſit homo reparare quod perdidit. Quo vel uno totam Auguſtini doctrinam ab imo ſuffodiſſent. Verùm ſtat, æternumque ſtabit Auguſtini in Semipelagianos argumentum, alteri quod modò defendo principio nixum, gratiæ ſcilicet efficacis, in ſtatu etiam naturæ innocentis penitus neceſſariæ.

II. Hinc videas quantùm aberret a ſcopo Anonymus Annotator, qui ut Auguſtini ſimul & ſacræ Synodi oraculum cavilletur, reponit: de gratia habituali, ſeu de continua, ut ait, Dei operatione, & inſpiratione amoris Divini, quo Deus hominem creando uberiùs informaverat, illic agi; non de peculiari, & actuali adjutorio, quo fuerit Adamus, dum a juſtitia excidit, deſtitutus. Agunt enim verò contra Semipelagianos; utque illos acriùs exagitent, Adami exemplum urgent: qui cum ſine gratia Dei, juſtitiam, quam primùm acceperat, cuſtodire nequiverit; multò minus lapſus homo, ſine gratia Dei, poterit juſtitiam reparare quam perdidit. Porro Semipelagiani, non gratiæ habitualis, ſed actualis, & quidem efficacis neceſſitatem inficiabantur, ut poſſet lapſus homo amiſſam juſtitiam reparare: nec adeò erant hebetes, ut habitualem gratiam, ſeu inſpirationem habitualis amoris, ad amiſſæ juſtitiæ reparationem, neceſſariam negarent; cùm hanc ipſam habitualem gratiam, habitualemque charitatem, formam eſſe reparationis illius, ſeu juſtificationis peccatoris agnoſcerent; quod ſoli ætate noſtra negarunt Lutherani, & Calviniſtæ. Hanc igitur actualem, efficacemque gratiam Adamo, ad juſtitiam retinendam, neceſſariam poſuit Auguſtinus, & cum illo Synodus Arauſicana: aliàs nihil in Semipelagianos, de hac ipſa unicè diſputantes, productum Adami exemplum valuiſſet.

III. Novit id profectò D. Fulgentius, Sancti Auguſtini diſcipulus, ejuſdemque doctrinæ admirator, & hæres, *lib. 2. ad Thraſymundum Regem cap. 2.* ubi Angelos univerſos perinde caſuros, fuiſſe docet, niſi Deus aliquos, quos vellet ex illis, virtute ſua muniviſſet, ne & illi cum cæteris caderent: *Profectò cognoſcitur uniformi cunctos opprimi potuiſſe ruinæ conſortio, niſi quos vellet, a caſu pravitatis virtus illa defenderet, quæ ſola naturaliter mutari, depravarive non poſſet.* Peculiari itaque virtute, aliquibus Angelis,

lis,

lis, quibus ſingulariter voluit, a Deo conceſſa, factum eſt, ut in bono perſeverarent. Ea porro virtus quænam fingi poteſt, niſi gratiæ efficacis? quandoquidem gratia ſufficiens, ſeu *adjutorium ſine quo non*, præterquamquod non eſt virtus agendi, non aliquibus duntaxat Angelis libera Dei voluntate data eſt, ſed planè omnibus.

Ludit enimverò, illuditque, qui virtutem illam, de qua illic Fulgentius diſſerit, Verbi Divinitatem eſſe reſpondet, *gratiamque* ut loqui libet *increatam*, ipſumque incommutabile Dei Verbum; cujus Divinitatem contra Arianos probandam ſibi ſumpſerat Ruſpenſis Epiſcopus: non virtutem ex ipſo Dei Verbo diffuſam, boniſque Angelis collatam, ut præ aliis in accepta juſtitia perſeverarent; quam gratiam, & quidem efficacem de more dicimus. Quamquam enim ita foret, ſtaret perinde quod ex D. Fulgentio petitur argumentum: bonos ſcilicet Angelos peculiariter, ſingulariterque *Divina virtute*, hoc eſt, a Deo ipſo fuiſſe protectos atque defenſos, ne & ipſi communi ruina involverentur: atque ita illorum perſeverantiam, ex liberi arbitrii virtute, generalibus, ac verſatilibus dumtaxat auxiliis adjuta, non eſſe profectam. Nec ſatis advertit, qui hoc nuper ſuffugium quæſiit, ut D. Fulgentii teſtificationem eluderet, tranſitum feciſſe Ruſpenſem Epiſcopum a Chriſto Domino, Verbo Dei, ſubſtantialique Dei virtute, gratiaque increata, ad creatam Dei gratiam, virtutemque accidentalem, quæ per Spiritum Sanctum, in Angelos, hominesque Divina liberalitate diffunditur. Unde & Chriſtum Dominum eſſe ait, *virtutem, quæ adjutorium præſtat*; hoc eſt, virtutem ſubſtantialem, quæ virtutem præſtat accidentalem; Angelo quidem ſtanti, ne cadat; Homini lapſo, ut ſurgat. Cum id abſque virtutis alicujus effuſione præſtare non poſſit.

Tum poſtea minutatim exponens, quæ gratia bono Angelo neceſſaria fuerit, ne caderet; eamdem illi neceſſariam fuiſſe reſpondet, qualis eſt homini lapſo neceſſaria, ut a peccato reſurgat: & hæc verò qualis eſt, niſi efficax? *Non alia* (virtus) Fulgentii verba ſunt, *cap.* 3. *ſtantem Angelum a ruina potuit cuſtodire, niſi illa, quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. Una eſt in utroque gratia operata, in hoc, ut ſurgeret; in illo, ne caderet. In illo, ne vulneraretur; in iſto, ut ſanaretur. Ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non ſivit. Illius eſca, iſtius medicina*. Efficacem itaque gratiam utroque in ſtatu neceſſariam novit fideliſſimus Auguſtini diſcipulus, quo nemo melius Magiſtri ſenſum ebibit, nemo feliciùs explicavit: idque tantùm inter utrumque ſtatum diſcriminis poſuit, quod Angelo, & homini ſano gratia cibus eſſet, lapſo, ac ſauciato medicina. Nec immeritò: Demus

mus enim hic duos homines, ægrum unum, ſanum alterum: ambobus verò neceſſitas incumbat in locum præruptum aliquem aſcendendi: utrique ſcala erit opus; ut aſcendat, nempe ob ingenitam corporis gravitatem, quod ſurſum ferri per ſe ſe non poteſt. Ægro tamen ultra ſcalæ ſubſidium medicina erit opus, ut ante ſanetur, quàm ſcalæ pedem admoveat. Non abſimili planè ſorte, gratia efficaci quovis in ſtatu eget Homo, vel ob id unum, quod pietatis, & ſanctitatis opus nativas cujuſque creaturæ vires excedat; tametſi novo inſuper titulo gratia egeat homo lapſus, ut ſauciatæ voluntatis infirmitas ſanetur, ac reparetur.

Expreſſit id eruditè Doctor Angelicus 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 9. *Sic igitur*, inquit, *virtute gratuita ſuperaddita virtuti naturæ indiget Homo in ſtatu naturæ integræ, quantum ad unum, ſcilicet ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale: in ſtatu autem naturæ corruptæ, quantum ad duo: ſcilicet ut ſanetur, & ulterius, ut bonum ſupernaturalis virtutis operetur. Ulterius autem in utroque ſtatu indiget Homo auxilio Divino, ut ab ipſo moveatur*. Quæ duo, & D. Fulgentii, & D. Thomæ teſtimonia alta mente defigere juvat, ne gratiam Conditoris actualem, Angelis, ac primis Parentibus neceſſariam, a gratia Salvatoris nobis nunc neceſſaria ideò diſtinctam putemus, quod illa ſufficiens duntaxat eſſet, atque verſatilis, iſta efficax a ſe ipſa. Cum contra, eo tantùm ex capite gratia Conditoris, & gratia Salvatoris diſcrimen habeant, quod prior adjuvans duntaxat eſſet, altera adjuvans ſimul & ſanans; illa quidem ad modum cibi, iſta ad modum medicinæ; illa ex liberalitate Conditoris, iſta ex miſericordia Salvatoris.

IV. Nec audiendi ſunt qui reponerent, Dei gratiam, quæ Fulgentio judice operata eſt, in ſtantibus Angelis, ut *ne caderent*, *ne vulnerarentur*, *nec infirmarentur*, peculiarem quamdam, ſingularemque gratiam non fuiſſe, iiſdem in ſtatu viæ conceſſam, qua præ cadentibus juvarentur, ut ad terminum pervenirent: ſed ipſam potius beatitudinem extitiſſe, iiſdem dum terminum aſſecuti ſunt, retributam. Adeo ut nihil aliud ſibi voluerit Ruſpenſis Epiſcopus, quàm Deum bonos Angelos firmaſſe, conſolidaſſe, atque ut ita dixerim, in bono fixiſſe, accelerata ac properata illis beatitudine; ne ſi longiores in via moras ducerent, ipſi quoque perinde ac cœteri laberentur.

Perſpectum enim eſt, de majori, uberiorique gratia, bonis Angelis in ſtatu viæ conceſſa locutum illic eſſe Divum Fulgentium.

1. Quia gratiam utrique ſtatui neceſſariam mutuò confert, ac ſecum invicem comparat SS. Doctor: *Una eſt*, inquit, *in utroque operata gratia*, *in hoc*, *ut ſurgeret; in illo*, *ne caderet:* Ea por-

porro collatio ; & comparatio inepta eſſet omnino ; ſi de gratia homini lapſo in ſtatu viæ conceſſa, de gratia verò Angelis in ſtatu patriæ retributa, loqueretur.

2. Quod de humana natura Fulgentius dixerat , hoc idem de Angelica dicit, ut illas ea in re pares faciat: Illam ſcilicet *alienæ opis indigam* pronunciaverat , iſtam *juvaminis egenam* affirmat . Ut ergo naturam humanam *viatricem* alienæ opis egenam intelligit, ita *viatricem* naturam Angelicam juvaminis egenam debuit intelligere: ne vel ſic diſpares eſſent ambæ naturæ, quas pares oſtendere vult.

3. De gratia Angelis neceſſaria ne caderent, Fulgentius loquitur . Cum enim dicat , *Ipſa Igitur etiam homini reparando fuit neceſſaria*; eam perinde Angelo neceſſariam fuiſſe ſupponit, ut ne caderent . Porro nemo eſt qui dixerit , beatitudinem fuiſſe bonis Angelis neceſſariam, ne & ipſi perinde ac cæteri caderent; quaſi verò longiores in via ducendo moras , abſtinere a peccato nequiviſſent. Nomine itaque gratiæ bonis Angelis a Deo conceſſæ, ne a juſtitia deciderent , beatitudinem illis in patria retributam non intellexit Ruſpenſis Epiſcopus; ſed viæ , ut Schola loquitur , adjutorium, gratiamque ſuapte natura operantem, & efficacem, quæ in illis operaretur, & velle, uti in lapſis hominibus operatur.

Totam hujuſce doctrinæ ſummam brevi verbo complexus eſt idem ille Fulgentius *lib. de Trinitate Cap. 9.* docuitque, qua cautela Auguſtini Magiſtri ſui dicta excipere debeamus , dum benè agendi , perſeverandique voluntatem in Adami facultate relictam affirmat. *Homo*, inquit, *rectus*, ... *habebat liberum arbitrium , ut poſſet bonus eſſe , ſi vellet ; non quidem ſine gratia Dei, qua ipſa regebatur voluntas, ut vellet.* Nempe ſubintellectam ſemper eſſe vult Dei gratiam actualem, eamque non ſubditam voluntati, ſed qua voluntas ipſa regatur, ut velit.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Rationibus Theologicis agitur ab Auguſtino delibatis. Prima ex Orationis neceſſitate petitur, & Gelaſii R. P. authoritate defenditur, confirmatur.

I. DIvi Auguſtini authoritate pugnavimus hactenus, jam nobis eſt ratione Theologica diſputandum. Ratione Theologica dico, non Philoſophica. Abſit enim ut eorum vitio laboremus, qui cum Theologiam ex officii, ac muneris debito tractandam ſibi ſumpſerint, ſpinis ac vepretis Philoſophicis perpetuò hærent: quidquid probandum habent, ex Philoſophiæ inſtitutionibus repetunt: quidquid decernunt, ad Philoſophiæ calculos revocant: quidquid argumentantur, ad Philoſophiæ quiſquilias per fas nefaſque traducunt; ut vix illos dimidiatos Theologos appellaveris. Miſſis ergo Philoſophiæ momentis, quibus creatæ cujuslibet voluntatis determinationem, non niſi ex prævia, & efficaci motione oriri poſſe demonſtrant Thomiſtæ noſtrates in *lib. de cauſſis*, quas fusè proſequitur Doctor Angelicus 1. 2. *quæſt.* 109. & *lib.* 3. *contra Gentes cap.* 155. quibus aſſentior & ego lubentiſſimè; ad ea momenta me revoco, quæ Theologici inſtituti propria ſunt, ut demonſtrem, Adamum in ſtatu naturæ innocentis, ac etiam Angelos gratia ſe ipſa efficaci eguiſſe, ut in accepta juſtitia perſeverarent: gratiamque verſatilem, libero arbitrio ſubditam, quæ pro recipientis aſſenſu, vel diſſenſu efficax, aut inefficax fieret, a ſtatu etiam innocentiæ eliminandam omnino eſſe.

II. Primum ex Orationis neceſſitate momentum repeto. Ponamus itaque Theologorum, cum quibus res nobis eſt, contrariam hypotheſim, vacat omnis in Adamo orandi neceſſitas. Erat ſiquidem primus homo, ut illi quidem ſtatuunt, gratia illa verſatili plenè inſtructus, quacum perſeveraturus erat, modò illam liberi arbitrii aſſenſu redderet efficacem: nihil ultra a Deo, ut perſeveraret, expectandum illi erat, totumque jam ex liberi arbitrii conſenſione pendebat. Utquid ergo Deum oraſſet, ut ab illo perſeverantiæ donum impetraret? *Nam quid ſtultius, quàm orare ut facias, quod in poteſtate habeas?* Ajebat aliàs Auguſtinus *lib. de nat. & grat. cap.* 18.

Eo momento ex Oratione petito Monachos Adrumetinos urgebat SS. Doctor, ut perſeverantiam non ex nobis, ſed ex Dei dono

Digitized by Google

no eſſe demonſtraret*: ſi dixerimus iſtam perſeverantiam tam laudabilem, tamque felicem ſic eſſe hominis, ut ei non ſit ex Deo; illud primitus evacuatur, quod ait Dominus Petro:* Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. *Quid enim ei rogavit niſi perſeverantiam uſque in finem? Quæ profectò ſi ab homine homini eſſet, a Deo poſcenda non eſſet. Lib. de correp. & grat. cap. 6.*

Non abſimili argumento Pelagianos exagitabat Auguſtinus, ut oſtenderet, converſionem ad fidem ex Dei gratia, & quidem efficaci pendere, *Epiſt. ad Vital.* 217. *Inaniter igitur, & perfunctoriè potius, quàm veraciter ...... Deo fundimus preces, ſi ad ejus non pertinet gratiam convertere ad fidem ſuam ipſi fidei contrarias voluntates ...... Prorſus non oramus Deum, ſed orare nos fingimus, ſi nos ipſos, non illum, credimus facere, quod oramus.*

III. Quid ergo? an fortè reponent eruditi Theologi, cum quibus iſta lis agitur, Adamum oratione non eguiſſe, ut diaboli tentatoris vitaret inſidias? ut in accepta juſtitia perſeveraret? Id ſi dicant, ipſum etiam naturæ ſenſum exuunt. Orandi quippe lex naturalis omnino eſt, ad omnem idcirco naturæ ſtatum attinens, ut ſupremum in nos Dei dominium agnoſcamus. Num fortè ſubjungent, oratione eguiſſe Adamum, non tamen ut perſeverantiæ donum impetraret a Deo, quod donandum non erat ab eo; ſed ut gratiæ verſatilis ſibi a Deo conceſſæ continuationem impetraret: quandoquidem ea ſola, modò ſibi continuaretur a Deo, ad perſeverandum egebat? Verùm id ſi dicant, nugas loquuntur. Utquid enim ſibi eam gratiam continuari, fuſa jugi oratione poſtulaſſet Adamus, quam, niſi peccaret, ſibi negari, ſubtrahive non poſſe certiſſimè noverat? Si enim hæc illi vel negata, vel ſubtracta fuiſſet, *jam ille ſine ſua culpa cecidiſſet*, uti diſertiſſimè ponit Auguſtinus *cap.* 11. *de correp. & grat.*

IV. Imo uſque adeò certum eſt; Adamum perſeverantiæ donum, novumque ad perſeverandum ſibi neceſſarium auxilium poſtulare a Deo debuiſſe, ut Gelaſius R. P. Auguſtinianæ doctrinæ approbator, & vindex, affirmare non dubitaverit, inde potiſſimum ortum eſſe Adæ peccatum, quòd errore practico, falsò exiſtimaverit, poſt acceptam a Deo primæ felicitatis gratiam, nihil ultra ad perſeverandum, Dei ope, & adjutorio indigere; ſe ſibi jam poſſe ſufficere; nec idcirco ad Deum oratione confugerit, ut gratiam ſibi neceſſariam efflagitaret. Gelaſii verba reddo, ex libello illius *adverſus Pelagianam hæreſim* adornato: *Illa primæ conditionis integritas dum ita de ſe fidit, tamquam ipſo, qui condiderat non egeret, nec de perceptis agit gratias, quod nuſquam feciſſe memoratur, nec de conſervandis, quæ ſumpſerat, poſcit auxilium, nec ad eum etiam pulſata tentatoris acceſſu devota concurrit, & conſulit, ſuæque ſe credit inter proſpera volunta-*

ti, facilè ſine præſidio Creatoris, patuit inſidiis deceptoris; & in prævaricationem tracta conſequenter illiciti, conditionem præfixæ mortis invenit. Et *Epiſtola 7. ad Epiſcopos per Picenum conſtitutos: Ecce ſine Divino ſuffragio, quod in illa beatitudine poſitus* (Adam) *numquam legitur expetiiſſe; non ſolùm homini naturale bonum prodeſſe non potuit, non ſolùm non effecit beatum; ſed cùm hoc ſolo confidit, atque ad ejus non revertitur largitorem, & beatitudinem potius amiſit, & malorum omnium ſumpſit exordium.* Ita Pontifex SS. idemque doctiſſimus. Quibus oraculis omnium diſertiſſimis, hanc ipſam, quam impeto, eruditorum Theologorum hypotheſim ab imo concuſſit, disjecit, proſtravit. Tria quippe tanquam certiſſima ponit, quæ illi maximè negant. Primò, hominem innocentem, & integrum novo eguiſſe auxilio, ut, quæ a Deo bona ſuſceperat, conſervaret; hoc eſt, ut in accepta juſtitia perſeveraret: Secundò, hominem innocentem, & integrum hoc ſibi neceſſarium auxilium ſummis precibus efflagitare debuiſſe: quod tamen quia ille non petiit, non obtinuit: Tertiò, hominem innocentem, & integrum, eo deſtitutum auxilio, e felici illo ſtatu præcipitem excidiſſe. Cum contra illi conſtantiſſimè negent, Adamum novo eguiſſe auxilio; Adamum novum auxilium poſtulare a Deo debuiſſe; Adamum neceſſario ſibi quodam auxilio fuiſſe ſecreto Dei judicio deſtitutum. Quandoquidem ſatis illi fuiſſe putant auxilium verſatile, quo nuſquam eſt deſtitutus.

Quin etiam verbis paulò ante præmiſſis, argumento, quod vocant a minori ad majus, probat idem Gelaſius R. P. non poſſe jam homines ægros in ſtatu naturæ lapſæ, ſine gratia (utique ſpeciali, & efficaci) perſiſtere in accepta juſtitia; quia & ipſi Protoparentes in primævæ felicitatis, & innocentiæ ſtatu, ſine gratia, quam precibus poſtulare neglexerant, incolumes ſtare, ſeu in accepta juſtitia perſeverare nequivere. *Si in ipſis primis hominibus*, Gelaſii verba ſunt laudato libello, *dum ſua nimium felicitate confidunt, & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes, non orando, quod utique nuſquam feciſſe referuntur, nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata durarent ſimpliciter implorando, incolumes conſtare nequiverunt: quanto magis poſt prævaricationis ruinam, in quam mala ſui confidentia, Creatorem nullatenus inquirendo, lethaliter inciderunt, abſque Divino munere ſuis viribus vel ægri, vel ſtare non poſſunt, ſine quo nec integri perſiſtere valuerunt?* Quodnam porro auxilium illud eſt, quod implorare Protoparentes neglexere, & quo demum deſtituti, ſtare incolumes nequivere, niſi peculiare, & efficax? cum ſufficiens, atque verſatile poſtulare ſuperfluum illis eſſet; eoque nunquam, antequam caderent, fuerint deſtituti. Aut quis non videat, futile prorſus, & ludicrum fore, quod

quod a Protoparentum exemplo argumentum Gelaſius petit, ut doceat, non poſſe jam ægros, & lapſos homines, abſque peculiari Dei dono, in accepta iuſtitia perſeverare, quia ſine eo nequidem integri perſiſtere potuerunt: niſi auxilium ſe ipſo efficax utrique perinde neceſſarium intelligeret?

V. Quocirca Theologorum illorum, quos Auguſtinianos de more vocitant, ingenium ſatis mirari non poſſum; qui eam ab Auguſtino inter geminos ſtatus antitheſim poſitam volunt, ut quæ in uno neceſſaria eſt gratia ſe ipſa efficax, non perinde ſit in altero neceſſaria. Cum contra, Gelaſius R. P., & Fulgentius, (de quo mihi ſuperiori capite ſermo fuit) duo illi Auguſtinianæ doctrinæ approbatores, ac vindices, geminos ſtatus in eo capite ita ſimul convenire, atque congruere velint, ut argumentum ex uno ad alterum, potiori iure, ac titulo petant. Sic enim illi ſummatim argumentantur: Fuit peculiaris, & efficax gratia ſanis hominibus neceſſaria, ut iuſti, ſani, & incolumes perennarent: quanto magis erit, & illa ægris nunc hominibus necesſaria, ut in accepta iuſtitia perſeverent? Fuit hæc ſanis hominibus ſuppliciter imploranda; quanto magis erit & ipſa ægris nunc hominibus, infimis precibus poſtulanda?

Noviſſimi Annotatoris ingenium miror multò magis, qui ut momentum hoc ex Orationis neceſſitate petitum expediat, frigidè pro more ſuo reſpondet: *Angelos, primoſque Parentes perſeverantiam petere debuiſſe a Deo, ſed quæ ſuo ſtatui congruebat;* dum interim, ſi ſuperis placet, eum Angelorum, primorumque Parentum ſtatum comminiſcitur, in quo nihil omnino esſet, quod ad perſeverandum poſtulari deberet. Quid enim ultra poſtulari debuit, ſi nullum aliud divinum præſidium illis erat ad perſeverandum necesſarium; totumque iam poſitum erat in illorum nutu, & asſentione voluntatis.

Stat igitur firmum, & inconcuſsum, quod ex orandi neceſſitate momentum petii, ut efficacem gratiam Adamo ad perſeverandum necesſariam demonſtrarem. Quippe quod a Gelaſio R. P. & D. Fulgentio, inconcuſſi principii loco poſitum eſt, ut Semipelagianos de dono perſeverantiæ pravè ſentientes debellarent.

VI. Neque eſt quod mihi quiſquam obtrudat: Gelaſium orationem Protoparentibus, ad perſeverantiæ gratiam obtinendam necesſariam asſerentem, non veri nominis orationem, ſeu ſupplicationem intellexiſſe, qua perſeverantiæ donum efflagitarent; ſed nudum, ac ſimplex perſeverandi deſiderium, quod illis ad perſeverandum ſatis eſſet, cum orationis quoque genus deſiderium ſit. Ecquo enim pacto glosſema illud Gelaſii Pont. verba ferant; tam diſertè pronunciantis, primos homines divinum munus ſuppliciter poſtulare debuiſse? Et quidem ſi orationis nomine nudum, ac ſimplex perſeverandi deſiderium intellexiſset Gelaſius, quod Protoparentibus ad perſeve-

ſeverandum ſatis eſſet; perperam prorſus inde duxiſſet argumentum, ut perſeverantiæ donum in ſtatu naturæ lapſæ neceſſarium oſtenderet, atque ita a nobis ſuppliciter poſtulandum demonſtraret. Quænam enim Dialecticæ leges conſecutionem iſtam ferant, quam ejus in ore ponunt, qui hunc illi ſenſum affingunt? *Adamo ad perſeverandum in accepta juſtitia ſatis erat, ſi vel hoc ipſum nudè, ac ſimpliciter vellet, atque deſideraret: igitur potiori titulo, ut nos in iſto ſtatu naturæ lapſæ re ipſa perſeveremus, neceſſarium eſt peculiare Dei donum, jugi oratione atque ſupplicatione poſtulandum.* Nec enim iſtud fluit ex altero. Ut ſileam, Gelaſium ſemel, & iterum profiteri, Protoparentes pro obtinendo neceſſario ad perſeverandum auxilio nunquam oraſſe. Si ergo orationis nomine nudum perſeverandi deſiderium intellexiſſet, conſequens profectò eſſet, Protoparentes deſiderium illud nuſquam habuiſſe, atque ita ne momento quidem in juſtitia ſtetiſſe: cum ſine perſeverandi in juſtitia deſiderio, juſtus eſſe nemo poſſit.

VII. Sed neque meliori titulo mihi quiſquam opponat: D. Auguſtinum *lib. 6. operis imperfecti cap.* 15. nullam in Adamo innocente orandi neceſſitatem agnoviſſe. Ex ipſo quippe contextu planum eſt, Auguſtinum de orandi neceſſitate diſputaſſe, ad vincendas interiores carnis tentationes, motuſque concupiſcentiæ ſuperandos, necnon ad præteritorum delictorum veniam impetrandam: pro quibus certè eo in ſtatu, oratione non erat opus: etſi ad juſtitiam contra externas tentationes diaboli retinendam, donumque perſeverantiæ impetrandum, jugi ad Deum ſupplicatione eſſet opus. *Dominica teſtatur oratio, ubi non ſolum dicimus, Dimitte nobis debita noſtra, propter mala, quæ fecimus; verùm etiam, ne nos inferas in tentationem, propter hoc utique, ne mala faciamus: Undè & Apoſtolus dicit, Oramus autem ad Deum, ne quid faciamus mali. Quod ſi ita eſſet in poteſtate, quomodo fuit ante peccatum, priuſquam eſſet humana natura vitiata; non utique poſceretur orando, ſed agendo potius teneretur.* Verba ſunt Auguſtini, Dominicam orationem humanæ naturæ nondum vitiatæ ſuperfluam aſſerentis, ut debita ſibi dimitti poſtularet, & in carnis tentationem nequaquam induci. De cæteris orationis dominicæ partibus nihil habet.

Quidni quoque dicamus, non eguiſſe quidem Adamum oratione, ut novas uberioreſque a Deo ſibi dari vires expoſceret, qui ſanis jam, & integris viribus erat, ut pugnare contra Diabolum poſſet: quocirca ait illic SS. Doctor: *In hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certare, quàm viribus; quia & ipſas vires, quantas hic habere nos competit, ipſe ſubminiſtrat certantibus, quem rogamus.* Etſi orandum Adamo foret, ut eam gratiam actualem haberet,

beret, qua vires ejus ſanæ & integræ operi applicarentur, ac determinarentur. Quod ſuo loco pleniùs explicabimus. *Cap.* 22.

VIII. Quod etiam reſponſum habeto, ad D. Thomæ dictum, *quæſt.* 3. *de malo art.* 1. *ad* 9. aſſerentis, Adamum divina gratia ad vitanda peccata non eguiſſe. Perſpectum namque eſt, agere Doctorem Angelicum de gratia duntaxat ad ſuperandas interiores concupiſcentiæ tentationes neceſſaria; quibus nunc plus nimio ad peccandum inducimur; qua certe Adamo non erat opus; non de gratia in univerſum, quæ, & ipſi ad externas ſaltem tentationes Diaboli ſuperandas neceſſaria erat. *Dicendum*, inquit, *quod aliter loquendum eſt de homine ſecundum ſtatum naturæ conditæ, & aliter ſecundum ſtatum naturæ corruptæ: Quia ſecundum ſtatum naturæ conditæ, homo nihil habebat impellens ad malum, licet bonum naturæ non ſufficeret ad gloriæ conſecutionem. Et ideo indigebat auxilio gratiæ ad merendum: non autem indigebat ad peccata vitandum, quia per hoc, quod naturaliter acceperat, poterat ſtare:* (ſat ſibi tutus ab internarum tentationum periculis:) *ſed in ſtatu naturæ corruptæ habet impellens ad malum, & ideo indiget auxilio gratiæ, ne cadat:* nimirum in quæcumque peccata, in quæ per quaſcumque tentationes, maximè verò interiores, inducitur.

Certè eguiſſe Adamum novo divinæ gratiæ adjutorio, ne tentationi ſuccumberet; eoque illum fuiſſe deſtitutum, dum tentationi ſuccubuit, adeo disertè docuit Doctor Angelicus, ut nullum ea de re ſuboriri dubium poſſit. 1. *p. q.* 94. *a.* 4. *ad* 5. *In tentatione non fuit ei ſubventum ne deciperetur, licet tunc maximè indigeret, quia jam præceſſerat peccatum in animo, & quia recurſum ad divinum auxilium non habuit. Et quæſt.* 18. *de veritate art.* 6. *ad* 13. *In ſtatu, quo peccavit, divinum ei auxilium non defuiſſet, ne ſeduceretur, ſi ad Deum ſe convertiſſet, quod quia non fecit, in peccatum, & ſeductionem cecidit.*

CA-

CAPUT XII.

Altera ex gratiarum actione petita ratio producitur.

I. PRimo huic ex orationis neceſſitate petito momento, quod hactenus executi ſumus, & contra quoſcumque cavillos probè defendimus, geminum eſt alterum, ex gratiarum actione petendum, quod nunc tandem exequamur oportet, ad ſtatutæ concluſionis confirmationem, & probationem.

Ponamus itaque quod Theologorum illorum, quibuſcum res nobis eſt, ſyſtema ponit; Angelos ſeu ſtantes, ſeu cadentes, eadem verſatili gratia fuiſſe donatos; ſed illos eam liberi arbitrii aſſenſu efficacem feciſſe, ut ſtarent, iſtos inefficacem, ut caderent; majores Deo gratias referre non deberet Angelus Sanctus, Deo jam in Patria fruens, quàm Angelus malus æternis ignibus deputatus. De perceptis quippe beneficiis gratias agimus; at nihil plus bonus, quàm malus Angelus percepiſſet ea in hypotheſi: cùm accepta perinde gratia verſatili, utrique communi, ſuum ille conſenſum, nullius novæ gratiæ ope, ſed ex ipſo naturæ penu addidiſſet. Quo recidunt aurea illa D. Auguſtini verba *Ep. ad Vit.* 217. *Non gratias agimus Deo, ſed nos agere fingimus, ſi undè illi gratias agimus, ipſum facere, non putamus.*

II. Quid ad hæc Theologi recentiores, quibus ab Auguſtino nomen eſt? Num fortè reponent, Angelos bonos, Deoque fruentes, non quidem de nova ſpecialique gratia, quæ in illis nulla fuit, ſed de hac ipſa liberi arbitrii facultate, & ſanitate, quæ gratiam verſatilem reddere poſſet efficacem, grates Deo reddere debuiſse? ſeu, ut loquitur Annotator, de ea ſuæ naturæ bonitate, felicitate, perfectaque fortitudine, ratione cujus non indiguerant ea ſpeciali protectione, quæ nunc neceſsaria eſt ad perſeverandum, gratias Deo agendas illis fuiſse? Benè eſt. At cum ea liberi arbitrii ſanitas, & facultas, ea naturæ bonitas, felicitas, perfectaque fortitudo, cadentibus æquè, ac ſtantibus Angelis communes eſsent, ſtat idem argumenti robur; majores Deo gratias rependere non debuiſse ſtantes Angelos, quàm cadentes, in ea recentium Theologorum hypotheſi. Sed & illud minimè omittendum: idem ſcilicet quondam olim fuiſse Pelagianorum effugium, dum ab Auguſtino premerentur, quod omnia Dei gratiæ ſurriperent, ut libero arbitrio largirentur. Reponebant ſcilicet vani homines, liberum arbitrium ſuis præditum viribus, quoddam eſse gratiæ genus. Nec ani-

animadvertebant imprudentes, quod nec ſatis in hacce controverſia recentiores advertunt, liberum arbitrium ſuis præditum viribus, naturæ beneficium eſse, non gratiæ; eaque idcirco authori gratiæ ſurripi, quæ in ingenitas liberi arbitrii vires refunduntur.

Num fortè ſubjicient, ut hoc idem argumentum eludant: Sanctos Angelos, tametſi in auxiliis actualibus, ac verſatilibus, Angelis cadentibus pares, majores tamen Deo gratias reddere debuiſſe, quòd habitualem gratiam ſanctificantem majorem a Deo recepiſsent? Sed & hoc tam falſum eſt, quàm quod maximè. Cum enim ex omnibus Angelorum ordinibus ceciderint aliqui; iique ſanctificantem gratiam habitualem ab initio ſint conſecuti, ſecundùm quantitatem donorum naturalium; adeò ut perfectioribus Angelis in natura, maior ſanctificationis gratia data ſit: ut habet Doctor Angelicus 1. *parte quæſt.* 63. *art.* 9. & *quæſt.* 62. *art.* 6. Perſpectum eſt, cadentium Angelorum aliquos, maiorem ſanctificationis gratiam, quàm pleroſque ex Angelis ſtantibus recepiſse. Adeoque non haberent ſtantium Angelorum plurimi, ut pro accepta maiori ſanctificationis gratia habituali, maiores Deo grates referant, quàm cadentes, qui minorem multis cadentibus acceperunt.

Inquient fortaſse nonnulli: ſtantes Angelos ampliores Deo grates agere debuiſse, pro conceſsa ſibi corona gloriæ, quæ cadentibus perinde conceſsa non fuit. At ſi id volunt ùnicè, illud ergo concedere compelluntur, quod piæ aures vix ferre poſſint: ſtantes Angelos pro beneficiis ſaltem in via ſuſceptis, maiores Deo gratias rependere non debere, qui nihil amplius in via, quam cadentes acceperint; etſi pro beneficiis in patria ſuſceptis, maiores ſint gratias relaturi. Imò ſi rectè calculum pono, non eſsent ea in hypotheſi, quam impugno, Angeli beati, Deoque fruentes, maiores Deo gratias, pro ſuſcepta corona gloriæ reddituri, quàm vel ipſimet Angeli inferis deputati. Pro gratuitis quippe beneficiis gratias agimus: pro gratia enim data, gratia reddi dicitur: æterna autem gloria ſeu Angelis, ſeu etiam hominibus data, per ſe ſe gratuita non eſt, & ex gratia; ſed ratione principii tantùm, primæque radicis; quatenus per gratiam in via parta ſunt merita, quibus ipſa tandem gloria in patria redditur. Niſi ergo beati Angeli maiores Deo gratias relaturi ſint, pro uberioribus gratiis in via ſuſceptis, (quod ea tamen hypotheſis negat) non erunt quoque, pro ſuſcepta tandem corona gloriæ, maiores gratias reddituri. Quod quàm ſit ab omni pietatis ſenſu alienum, nemo non videt, niſi qui omnem pietatem, & religionem exuerit.

III. Ais tamen mihi: cur igitur Auguſtinus *lib. de corrept. & gratia cap.* 11. diſertiſſimè docet, gloriam ſtantibus Angelis da-

tam, eamdemque primis parentibus innocentibus conferendam, *mercedem meriti fore*, quæ nobis vice verſa jam lapſis, *gratiæ donum eſt?* Ita quippe loquitur SS. Doctor, *gloria futura erat & homini, ſicut facta eſt Angelis ſanctis, merces meriti; in his qui liberantur, factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat*. Quorſum etiam *lib. de prædeſt. Sanctorum cap.* 15. Adami innocentis merita *humana* vocitat, noſtra vero gratuita? *Humana*, inquit, *hic merita conticeſcant, quæ perierunt per Adam; & regnet, quæ regnat Dei gratia, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Annon inde conſequens eſt, inquis, Angelorum ſtantium hominumque innocentium merita, ex naturæ duntaxat penu, non ex peculiari efficacis gratiæ dono, eſſe profecta? Atque ita Angelos ſanctos, Deoque fruentes, nullas Deo præ cadentibus peculiares gratias referre debere; cùm nullis in via peculiaribus gratiis ſupra cadentes donati a Deo fuerint, ut gloriam compararent.

Reſponſio in promptu eſt: Auguſtinum planam, abſolutamque antitheſim iis in locis minimè poſuiſſe: nec Angelorum hominumque innocentum gloriam, *mercede meriti* ſtricto ſenſu dixiſſe, ut gratiam efficacem excluderet, cujus ope fuerint ea merita comparata: nec innocentum hominum merita ſtricto ſenſu *humana* vocitaſſe; quaſi & ipſa gratuita quoque non fuerint, hoc eſt, ex gratia profecta. Sic enim omnia ſus deque miſcuiſſet: quod de ſummo gratiæ Doctore ſuſpicari nefas eſt. Imò quemadmodum dum gloriam lapſis hominibus conferendam, gratiæ donum appellat, mercedem tamen meriti eſſe non diffitetur: aliàs fidei caput, quo gloriam etiam nobis obventuram, coronam juſtitiæ credimus, abnegaret: rurſuſque dum merita noſtra gratuita, ſeu ex gratia profecta dicit eſſe, ea tamen humana, ſeu humanos actus eſſe non negat: aliàs horrendum induceret paradoxum: ita dum Angelorum gloriam *mercedem meriti* nuncupat, donum quoque gratiæ eſſe omnino non negat: hominiſque innocentis merita, *humana* dum vocat, gratuita quoque dona eſſe non diffitetur omnino. Maximè cum *lib.* 14. *de Civitate Dei Cap.* 10. de ſtatu Innocentiæ disertè pronunciet: *Sine gratia nec tunc quidem ullum meritum eſſe potuiſſe*. Ad certum itaque modum antitheſim ponit SS. Doctor, idque ſibi vult unum: facta gemini ſtatus comparatione, longè magis ad merendum, præmiumque reportandum, valuiſſe ſanam integramque naturam; paucioribuſque titulis fuiſſe tunc efficacem gratiam neceſſariam: naturam e contrario vitiatam, atque corruptam pluribus titulis efficacem gratiam poſtulare; minuſque nunc ad merendum, præmiumque reportandum, propriarum habere virium. Quamquam utroque in ſtatu & agat natura, & adjuvet gratia. Priori ergo in ſtatu abundat meritum, nec tamen deficit

ficit gratia: in altero abundat gratia, nec tamen deficit meritum. En tibi a D.Auguſtino poſitam antitheſim, ab eo, quod utroque in ſtatu majus eſt, non ab eo, quod ſolum ſit, explicatam.

Aut ſi mavis, majoris meriti fore Angelorum, primorumque Parentum perſeverantiam, aſſeruit Auguſtinus, quàm ſit modò perſeverantia Juſtorum: quia gratia, quæ utroque in ſtatu principium meriti debet eſſe, minus tunc gratuita erat, quàm ſit modò. Erat quippe primo in ſtatu, una tantùm ratione gratuita; ob naturæ nimirum indignitatem, ut Schola loquitur *negativam*; quia licet integra tunc eſſet, gratia tamen digna non erat: in hoc verò præſenti ſtatu, duplici ratione gratuita eſt gratia Dei; tum ob naturæ indignitatem, ut olim, tum etiam ob originalis peccati demeritum. Unde ea ex parte multò minus eſt meritum in lapſa natura, quàm in innocente; quamquam utroque in ſtatu non deſit.

IV. Potuit, & alio titulo Auguſtinus hominis innocentis merita, *humana* dicere, etſi propterea non neget eſſe gratuita, hoc eſt, ex gratia efficaci profecta. Quod nimirum ab homine agente ut homine fuerint comparata, longè aliter quàm nunc merita comparentur. Innocens quippe homo, juſtitiaque originali inſtructus, opera juſtitiæ dum edit, agit ſecundum naturæ ſuæ ſtatum; agit inquam ut homo, & quidem qualis reipſa tunc eſt, ex ſua ipſius origine innocens: Eaque ratione meritum, quod ſibi his operibus, comparat, *humanum* non incongruè vocitatur, quamquam ſine gratia efficaci eſſe non poſſit. Homo e contrario lapſus, juſtitiaque originali exutus, ſi qua juſtitiæ edit opera, ſupra naturæ ſuæ conditionem operatur; nec jam agit, ut homo, qualis reipſa nunc eſt, lapſus nimirum, ac læſus: Eaque de cauſſa meritum iis operibus partum, non tam humanum eſt, quàm divinum; nec tam hominis dicitur eſſe, quàm gratiæ: etſi non poſſit utriuſque non eſſe. Nihil igitur eſt, cur iis Auguſtini loquendi formulis moveatur aliquis, ad rationem illam invictam, ex gratiarum actione deſumptam, ullo pacto labefactandam, aut enervandam.

CAPUT XIII.

Tertia ex virtute humilitatis deſumpta ratio ſubjicitur , & contra nonnullorum objecta defenditur.

I. Dictis , probatiſque inſiſtimus , quamque ex orationis neceſſitate , gratiarumque referendarum obligatione , efficacem gratiam , in ſtatu naturæ innocentis neceſſariam oſtendimus ; ex virtute humilitatis , quam unicuique ſtatui congruere liquet, in præſentia demonſtramus. Iſtud quidem argumenti genus tetigimus obiter , dum de generalibus Auguſtinianæ doctrinæ principiis ageremus, quæ ſtatui innocentiæ accommodari ex æquo poſſunt: attingemus nunc multò pleniùs , & a quibuſvis cavillis, queis vim ejus eludere moliuntur aliqui, quantum Deus dederit , vindicabimus . Ad rem itaque noſtram accedamus.

Eſt illud inconcuſſum in re Theologica, de quo ſæpe diximus, axioma , quod non modo tradit Apoſtolus 1. *ad Cor.* 4. ſed ex ipſis intimis religionis ſenſibus notum eſt : nihil a ſe ipſa creaturam habere poſſe, præſertim in ordine ſupernaturali , unde ſe ipſam diſtinguat ab alia, ac de quo poſſit in ſe ipſa , non in Domino gloriari: *Quis enim te diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti , quid gloriaris , quaſi non acceperis ?* Auguſtinus *tract.* 85. *in Joan. Ab ipſo quidquid boni eſt donatur. Ergo quia & hoc bonum eſt, ab ipſo utique donatur, ut ſciatur, a quo bonum omne donetur : ut omnino de omnibus bonis , qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Quod quidem Apoſtoli dictum non ad Angelos tantùm, homineſque innocentes extendit Auguſtinus, *lib. de Novo Cantico c.* 8. & *lib.* 11. *de Geneſi ad litteram cap.* 30. Verùm etiam ad Chriſtum Dominum; a cujus exemplo ad cæteros univerſos argumentum petit, *Enarrat. in Pſalm.* 3. ubi exponens quod Chriſtus ibi ad Patrem dicit, *tu es gloria mea*, ita ſcribit: *Gloriam ſuam Deum dicit etiam ille, quem ſic ſuſcepit Dei Verbum, ut ſimul cum eo Deus fieret. Diſcant ſuperbi, qui non libenter audiunt, cum eis dicitur, quid autem habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis.* Jam, inquio ego, ponamus hic duos Angelos, quales nobis Theologorum illorum hypotheſis ponit, gratia verſatili æquè inſtructos, quorum alter gratiam liberi arbitrii conſenſu fecerit efficacem, ut ſtaret, alter diſſenſu inefficacem, ut caderet:

Digitized by Google

deret: is certè a ſe ipſo ſe ſe diſtinguit ab alio, aſſenſu ſcilicet ſuo; habebitque undè in ſe ipſo glorietur præ altero, non in Deo: cum a ſe ipſo, ab innata ſcilicet arbitrii facultate habuerit, ut gratiam redderet efficacem, ut ſtaret.

Reponunt Theologorum illorum aliqui, Angelum ſtantem, ea in hypotheſi, in ſe ipſo gloriari non poſſe præ alio; quia non ſe diſcrevit ab alio, ſine gratia ſaltem verſatili. Verùm futilis hallucinatio illa eſt. Quamquam enim, qui gratiam verſatilem ſuo ipſius conſenſu reddidit efficacem, non ſe diſtinguat ab alio, ſine gratia ſaltem verſatili, non tamen diſtinguit ſe ſe ab alio per gratiam illam verſatilem. Gratia enim verſatilis, utpote communis bono, & malo, non diſtinguit bonum a malo: diſtinguit naturalis libertatis aſſenſus, qui ita in bono eſt, ut non reperiatur in malo. Rem exemplo aperiam opportuno. Demus milites duos, quos enſe æqualiter muniverit Imperator exercitus: unus ingenita dexteritate enſe optimè uſus, de hoſte triumphet, alter ignavia torpens, nec enſe ſatis uti valens, ab hoſte vincatur: annon, amabò, qui vicit gloriari præ alio poterit, a quo ſe ſe tanta cum gloria diſcrevit? Poterit ſanè: attamen hic non ſine gladio ſe diſcrevit, nec niſi per gladium. Quorſum ergo gloriari præ alio poterit? Quia qui non ſe diſcrevit ſine gladio, gladio tamen, ut ita dixerim, otioſo non ſe diſcrevit, ſed ſuperaddita dexteritate, qua gladium eduxit, ac movit: quique per gladium ſe diſcrevit, non per eum tamen, qualis illi datus eſt, ſe diſcrevit; ſed per gladium, uti dexterè motus eſt. Qui enim generoſo, & ignavo communis eſt gladius, generoſum ab ignavo minimè diſcernit, ſed dexteritas ipſa, qua gladius exertus eſt. Id ipſum de gratia verſatili dicas, ut Theologorum illorum hallucinationem deprehendas.

Reponunt alii, ut allati jam argumenti vim effugiant: non poſſe hac in hypotheſi, ſtantem Angelum in ſe ipſo gloriari, & non in Domino; quia vim, ac robur liberi arbitrii, quo ſe diſcrevit ab alio, non habuit a ſe ipſo, ſed a Domino. At nonne quæſo pares a Domino liberi arbitrii vires, par ſanitatis, & integritatis robur accepit & ille qui cecidit? Qui itaque ſtetit, gloriari præ altero poterit; ſin minus quod tantas liberi arbitrii vires habuerit, ut verſatilem gratiam reddere poſſet efficacem; (in eo quippe ſunt pares) at ſaltem, quod iis viribus benè ſit uſus. Cum & uſus ille peculiaris illius fuerit, non alterius; eumque uſum habuerit a ſe ipſo, non a Deo, ſeu ab ejus gratia; quæ nulla in eo major, quàm in altero fuit.

Nec ſatis advertunt qui iis utuntur technis, ac ſtrophis, ut allati argumenti vim, ac robur elidant, ubi de ſtatu naturæ innocentis quæſtio vertitur; iiſdem prorſus uſuros, & Molinianos, ut ſuam

ſuam illam verſatilem gratiam, contra Auguſtinianorum oppugnationes, in ſtatu naturæ lapſæ defendant. Reponent enim & ipſi: illum etiam, qui modò gratia verſatili duntaxat inſtructus, adhibito voluntatis aſſenſu ſe ſe diſcernit ab altero, ſe ipſum ſine gratia verſatili non diſcernere: habereque illum a Deo, non a ſe ipſo reſiduas illas liberi arbitrii vires, quibus gratiam verſatilem aſſentiendo reddit efficacem. Itane, quæſo, ſpecioſis illis Molinianorum offuciis ſibi illudi Auguſtiniani patientur?

III. At ecce ex adverſo inquiet mihi aliquis: annon Auguſtinus ſtantes Angelos, primoſque Parentes, de ſuis ipſorum meritis in libero arbitrio gloriari potuiſſe, exiſtimavit: cum id ſtatui noſtro proprium eſſe dixerit, ut Sancti nunc non in ſuis viribus, ſed in Domino glorientur? ruit igitur ab imo allata probatio, ex humilitatis ſenſu petita. Auguſtini verba hæc ſunt *lib. de corrept. & gratia cap.* 12. *Placuit enim Deo, quo maximè humanæ ſuperbiam præſumptionis extingueret;* ut non glorietur omnis caro coram ipſo, *id eſt omnis homo. Undè autem non glorietur caro coram ipſo, niſi de meritis ſuis? quæ quidem potuit habere, ſed perdidit; & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc eſt per liberum arbitrium: propter quod non reſtat liberandis niſi gratia liberantis. Ita ergo non glorietur omnis caro coram ipſo ...... Hinc eſt quod in hoc loco miſeriarum, ubi tentatio eſt vita humana ſuper terram,* virtus in infirmitate perficitur: *Quæ virtus, niſi* ut, qui gloriatur, in Domino glorietur? *Ac per hoc nec de ipſa perſeverantia boni voluit Deus ſanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari: qui eis non ſolum dat adjutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare ſi velint; ſed in eis etiam operatur & velle: ut quoniam non perſeverabunt, niſi & poſſint, & velint, perſeverandi eis & poſſibilitas, & voluntas Divinæ gratiæ largitate donetur.*

Abſit ut Auguſtinum in tam abſurda, & ab omni pietatis ſenſu aliena ſententia fuiſſe putemus, ut creaturam aliquam, quantumlibet præcellentem exiſtimaverit poſſe in ſe ipſa, non in Domino gloriari. Quippe qui creaturas omnium maximè præcellentes, merita ſua omnia, virtutemque omnem Deo acceptam referre debere, atque ita in Deo ſolo gloriari oportere, diſertiſſimè docuit, *Enarrat. in Pſalm.* 70. illud Regii Vatis exponens, *Donec annunciem brachium tuum generationi omni, quæ ventura eſt, potentiam tuam, & juſtitiam tuam, Deus, uſque in altiſſima, quæ feciſti magnalia.* Quæ verba ſic ille commentatur: *In altis cœli ſunt, in altis Angeli ſunt, Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates: tibi debent quod ſunt, tibi debent quod vivunt ....* Potentiam tuam, juſtitiam tuam, *uſquequo?* Uſque in altiſſima, quæ feciſti ma-

magnalia. *Ne putes hominem ſolum pertinere ad gratiam Dei. Quid erat Angelus, ſi deſerat, qui creavit? Ergo* potentiam tuam, & juſtitiam tuam uſque in altiſſima, quæ feciſti magnalia. Et *lib.* 11. *de Geneſi ad litt. cap.* 8. tam de Angelis, quàm de hominibus loquens: *qui gloriatur, non niſi in Domino glorietur, cum cognoſcit non ſuum, ſed illius eſſe, non ſolum ut ſit, verum etiam ut nonniſi ab illo benè ſibi ſit, a quo habet ut ſit.*

Diſertiùs multò, atque diſtinctiùs, *lib. de novo Cant. cap.* 8. Apoſtoli ſententiam Adamo accommodat; ejuſque præſumptionem, quod ſuis nimium tribuerit viribus, aſperè carpit. *Cum Scriptura dicat*, maledictus homo, qui ſpem ſuam ponit in homine, &, qui gloriatur, in Domino glorietur: *iſti* (Pelagiani) *contra, hoc maledictum hominem non incurrere promittunt, ſi de ſe præſumpſerit, vel in ſe ipſo gloriatus fuerit. Sed quid contra hos multa dicamus? Hoc promiſit, & pater illorum Diabolus illi primo homini:* non morte, *inquit*, morieris: eritis ſicut Dii. *Deum contempſit* (homo,) *ſerpenti credidit, & quod acceperat perdidit. Si tunc ille homo non fuit cautus, nunc homo caveat vel expertus. Odit Deus præſumptores de viribus ſuis. Quid enim valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipſo Adam demonſtratum eſt. Ad malum ſufficit ſibi; ad bonum non, niſi adjuvetur a Deo .... Non ergo glorietur humana natura de ſe, ſed in eo glorietur, qui fecit ſe.*

Imò uſque adeo non putavit Auguſtinus, potuiſſe Adamum de ſua virtute in ſe ipſo non in Domino gloriari; ut potius primum Adæ peccatum in ea mentis elatione, ſuperbaque propriæ virtutis præſumptione poſuerit, *lib.* 11. *de Geneſi ad lit. cap.* 5. *Nec arbitrandum eſt, quod eſſet hominem dejecturus iſte tentator, niſi præceſſiſſet in anima hominis quædam elatio comprimenda, ut per humiliationem peccati, quam de ſe falsò præſumpſerit, diſceret. Veriſſimè quippe dictum eſt*, ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. *Et hujus fortè hominis vox eſt in Pſalmo*, ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum. *Deindè jam expertus, quid mali habeat ſuperba præſumptio propriæ poteſtatis, & quid boni adjutorium gratiæ Dei;* Domine, *inquit*, in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem, avertiſti faciem tuam a me, & factus ſum conturbatus. Quo quid apertius, quid diſertius? ut intelligamus, nuſpiam exiſtimaſſe Auguſtinum, ſtantes Angelos, primoſque Parentes, de ſuis ipſorum meritis gloriari in libero arbitrio potuiſſe.

IV. Qui ergo SS. Doctoris locus objicitur ex *cap.* 12. *lib. de corrept. & gratia*, non id aſſerit quod obtenditur: ſtatus ſcilicet noſtri id eſſe proprium, ac peculiare, ut Sancti nunc non in ſuis viribus, ſed in Domino glorientur; quaſi non ſit hoc idem uni-

cui-

cuique ſtatui commune. Sed cum Sanctos nunc de ſua perſeverantia in Domino, non in ſuis viribus gloriari dicat, nulla adjecta particula excludente; id profectò ſtatus noſtri proprium eſſe, ac peculiare non dicit: quod tamen illi dicendum ſuerat, ut quid contra nos ex hoc loco poſſet extundi: ſed ad quemcumque humanæ naturæ ſtatum perinde pertinere, pro certo ponit; ex generali ſcilicet naturæ a Deo conditæ conditione. Quin potius ſi hunc ipſum Auguſtini contextum cum aliis paulò ante laudatis mutuò conferamus, invictum pro tuenda, firmandaque concluſione noſtra argumentum eliciemus, in hunc modum: Probat SS. Doctor, idcirco Sanctos de ſua perſeverantia non in ſuis viribus, ſed in Domino gloriari, quia Deus eis non ſolùm dat adjutorium, ſine quo non poſſint perſeverare, ſi velint, ſed etiam adjutorium quo in eis operatur, ut velint: at contendit pariter idem ille, locis paulò ante laudatis, Angelos bonos de quibuſvis tandem bonis ſuis gloriari in ſemetipſis non poſſe, ſed in Domino tantùm: igitur iiſdem non ſolum dedit Deus adjutorium, ſine quo bona illa non poſſent præſtare ſi vellent, verùm etiam & illud, quo in eis operaretur ut vellent: atque adeò non ſolùm adjutorium verſatile dedit eis, verùm etiam efficax a ſe ipſo.

V. Neque obeſt quod Auguſtinus aliter ibi de Adamo ſtatuat, quàm de Sanctis, inquiens: *Eis non ſolum dat adjutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare ſi velint, ſed in eis etiam operatur & velle*. Aliter enim duntaxat ſtatuit quoad factum, de quo ambigit nemo; non itidem aliter ſtatuit quoad jus, de quo tota præſens eſt diſputatio. Hoc eſt, ut anticipato, ac breviter dicam, Adamo re ipſa negatum ait Auguſtinus auxilium quo, ſeu ſe ipſo efficax ad perſeverandum, quale poſtea datum eſt Sanctis, quia reipſa non perſeveraverit: at neceſſarium illi fore non negat auxilium illud, ut reipſa perſeveraret. Quid itaque factum fuerit, his verbis indicat SS. Doctor, non quid jure ipſo futurum eſſet, ſi perſeveraturus fuiſſet. Quod certè altioris indaginis eſt, pleniuſque explicabimus, dum caput illud 12. *de correp. & gratia*, quo tam bellè Auguſtiniani nonnulli luduntur, data opera commentabimur.

VI. Non morabor hìc ineptum, abſurdumque Anonymi Annotatoris paradoxum, de gravi ſupercilio pronunciantis: Non poſſe quidem ſanctos Angelos de aliquo vel minimo ſuo bono in ſe ipſis gloriari; de ſua tamen perſeverantia gloriari poſſe aliquo modo: propterea quòd, inquit, perſeverantia bonum aliquod ſpeciale non ſit, ſed continuatio duntaxat in bono, nec melior evadat homo in juſtitia perſeverando, quàm eſſet antea. Cujus principii inſulſitatem, erroremque *cap. 2. n. 5.* ſat bene deteximus, ut non ultra ſit opus.

C A-

CAPUT XIV.

Poſtrema, de fugienda præſumptione, ratio ventilatur.

I. AD hanc ratiocinationem, ex humilitatis ſenſu petitam, quam fusè hactenus proſecuti ſumus, appendicis inſtar accedit & iſta, perinde decretoria, & efficax, atque ex Auguſtino non abſimiliter delibata.

Præſumptionis, impietatiſque genus eſt, velle creaturam aliquam, quantumlibet præcellentem, veluti cum Deo componere; meriti partem ſibi ſumere, partem illi relinquere; imò, quod gravius eſſet, majorem, nobilioremque ſibi arrogare, minorem Deo. Id enim nec ratio patitur, nec religio, ut paſſim aſſerit Auguſtinus, in *Enchir. ad Laurentium c.* 32. *Lib. de dono perſev. capp.* 6. & 13. ac tum maximè *lib. de prædeſt. Sanct. cap.* 2. ubi errorem de initio fidei, ex liberi arbitrii viribus habito, refellit ex hoc ipſo principio: *Si operatur Deus fidem noſtram, miro modo agens in cordibus noſtris, ut credamus; nunquid metuendum eſt, ne totum facere non poſſit; Et ideo homo ſibi primas ejus vindicat partes, ut noviſſimas ab illo accipere mereatur..... Volens a ſe ipſo ſibi eſſe quod credit, quaſi componit homo cum Deo, ut partem fidei ſibi vindicet, atque illi partem relinquat: & quod eſt elatius, primam tollit ipſe, ſequentem dat illi; & in, eo quod dicit eſſe amborum, priorem ſe facit, poſteriorem Deum.*

Jam ſi ſtat hypotheſis, quam impetimus, componit Angelus; componit innocens homo cum Deo: ſcilicet boni perficiendi, perſeverandique in bono poteſtatem Deo acceptam refert, a quo gratiam verſatilem, ut benè agere, & perſeverare poſſet, accepit; boni tamen operis actum, actualemque perſeverantiam vindicat ſibi; qui addito conſenſu gratiam ſe ipſa indifferentem, atque verſatilem, ut re ipſa bonum ageret, & perſeveraret in bono, reddidit efficacem, ingenita ſibi naturæ virtute, non ſuperaddita gratiæ facultate. Cumque melius, excellentiuſque ſit, re ipſa bonum agere, quàm agere poſſe; perſeverare re ipſa, quàm poſſe duntaxat; meliorem profectò partem ſibi ſumit ea in hypotheſi bonus Angelus, itemque homo innocens, minorem, inferioremque Deo relinquit.

II. Quidquid ad hæc, ut elabantur, Auguſtiniani Theologi, cum quibus res mihi eſt, repoſuerint, reponent & Moliniani, dum pari ab iis argumento premuntur, adverſus verſatilem illam

gratiam, quam in ſtatu naturæ lapſæ defendunt. Quid enim? An fortè, ut boni operis actum, actualemque perſeverantiam in bono, ſua in hypotheſi, Deo adſcribant Theologi illi, reſpondebunt: Angelos, primoſque Parentes non niſi a Deo liberum arbitrium accepiſſe, quo gratiam verſatilem efficacem reddere poſſent? At & hoc idem, in ſua ſtatus naturæ lapſæ hypotheſi, Moliniani reponent: liberum nimirum arbitrium, quod ſatis nunc virium habere putant, ut verſatilem gratiam reddere poſſit efficacem, a Deo perinde fuiſſe conceſſum; haſque ipſas vires, qualeſcunque fingantur eſſe, a Deo illi fuiſſe relictas. An Angelis, primiſque Parentibus auxilium ſufficiens a Deo datum obtendent, ut ſi vellent, redderent efficax? At hoc ipſum lapſo homini datum effutiunt Moliniani.

Addiderim, utrumque reſponſum fore aliunde prorſus inutile, ut ſuæ Deo partes, eæque potiores, in bono opere tribuantur. Si enim ſatis eſt, (quod prima reſponſio ponit) liberum arbitrium, ejuſque nativas vires a Deo eſſe, ut, quod a libero prodit arbitrio, Deo etiam cenſeatur adſcriptum; nullus jam Pelagianus erit error, qui non tuto capite defendatur. Nullum enim cujuſvis generis bonum erit opus, quod in libero arbitrio poſitum dici non poſſit, quin idcirco Deo, ejuſque gratiæ ſurreptum exiſtimetur. Futilius eſt longè multò quod ſecunda reſponſio ponit. Quamquam enim auxilium ſufficiens, ſeu verſatile donaverit Deus, non idcirco boni operis actus, ſi quis elicitus eſt, adſcribendus eſt illi; ſed ſola ut ſummè agendi poteſtas: Cum eam duntaxat poteſtatem tribuerit auxilium illud, non ipſum boni operis actum. Occluſa itaque undecunque ſunt quæſita ſuffugia, ut ineluctabilis argumenti vis eludatur.

III. Expeditiorem elabendi viam aperire ſibi viſus eſt Anonymus Annotator, quæſita miſera diſtinctiuncula, qua Auguſtini principium, undè tam certæ conſecutiones liberè fluunt, enervaret: (*Creatura nulla quantumlibet præcellens, cum Deo componere poteſt; partemque meriti ſibi ſumere, partem illi relinquere.*) Ait ergo, non poſſe quidem compoſitionem creaturæ cum Deo a Semipelagianis inductam admitti, qua primas fidei partes ſibi vindicabant, poſteriores Deo relinquebant; poſſe tamen admitti alteram, *quæ neceſſario*, ut ait, *reperiri debet, inter cauſſam primam, & ſecundam, niſi hominis arbitrium merè paſſivè ſe habere ſtatuatur*: hujuſque generis ait eſſe compoſitionem illam, qua Angeli, primique Parentes cum Deo componebant; ut perſeverandi potentiam Deo darent, actualem ſibi perſeverantiam adjudicarent.

Quis horrendum, ac portentoſum paradoxum non illico deprehendat? Si ſic eſt, ſi inquam, ſecundi hujus generis compoſitio

crea-

creaturam inter & Deum admitti poteſt, ac etiam debet, ne hominis arbitrium merè paſſivè ſe habere cenſeatur; profectò in ſtatu quoque naturæ lapſæ debebit admitti; cum & illic liberum Arbitrium non merè paſſivè ſe habeat. Atque adeo quo jure colligit Annotator, ita potuiſſe Angelos, primoſque Parentes cum Deo componere, ut perſeverandi potentiam Deo darent, ſibi vero perſeverandi actum adſcriberent: ita quoque homines juſti in ſtatu naturæ lapſæ perſeverantes, cum Deo ita componere poterunt, ut perſeverandi potentiam Deo donent, ſibi verò perſeverantiam actualem adjudicent. Sicque non erit in ſtatu naturæ lapſæ perſeverantia inæſtimabile Dei donum, ne hominis arbitrium merè paſſivè ſe habere cenſeatur.

Addo, compoſitionem creaturæ cum Deo a Semipelagianis inductam, qua nimirum ſibi initium fidei adſcribebant, perfectionem Deo, minoris fuiſſe præſumptionis, atque ſuperbiæ, quàm quæ ab Anonymo cavillatore inducitur modò, atque jactatur; qua videlicet actualis perſeverantia adſcribitur Angelo, & Adamo, perſeverandi potentia datur Deo. Quandoquidem facta bonorum, quæ in utroque ſyſtematè libero arbitrio tribuuntur, mutua collatione; nemo non videt, excellentius eſſe bonum perſeverantiam actualem, quàm qualecumque initium Fidei. Si ergo nec ratio patitur, nec religio, ut inductam a Semipelagianis compoſitionem admittamus; qui, quæſo, compoſitionem alteram a nupero Cavillatore ſomniatam feremus, undè multo magis Creaturæ præſumptio inflaretur, & intumeſceret?

IV. Certè vitandam Adamo fuiſſe præſumptionem omnem, docet apertiſſimè Auguſtinus; ſpemque omnem firmitudinis ſuæ in Dei adjutorio reponendam, in cujus erat poteſtate, ut neque Angelus caderet, neque homo. Diſertiora ſunt Auguſtini verba, quàm ut ſilentio mitti poſſint, *lib.* 14. *de. Civit. Dei cap.* 27. *Sic erat inſtitutus* (Adamus) *ut ſi de adjutorio Dei fideret bonus homo, malum Angelum vinceret: Si autem Creatorem, atque adjutorem Deum ſuperbè ſibi placendo deſereret, vinceretur: meritum bonum habens in adjuta Divinitus voluntate recta, malum verò in deſerente Deum voluntate perverſa. Quia & ipſum confidere de adjutorio Dei, non quidem poſſet ſine adjutorio Dei: nec tamen ideo ab his Divinæ gratiæ beneficiis ſibi placendo recedere, non habebat in poteſtate* ..... Deus ipſe *quid intereſſet inter propriam cujuſque præſumptionem, & ſuam tuitionem, angelicæ, & humanæ rationali creaturæ, conſequenti experientia demonſtraret. Quis enim audeat credere, aut dicere, ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei poteſtate non fuiſſe? Sed hoc eorum poteſtati maluit non auferre; atque ita & quantum mali eorum ſuperbia, & quantum boni ſua gra-*

tia valeret, *oſtendere*. Ex peculiari itaque adjutorio Dei tota Adami firmitudo pendebat, ut tentatorem Diabolum vinceret, & in accepta juſtitia perſeveraret: ſpemque ſuam omnem in Dei gratia reponere tenebatur; non in libero voluntatis arbitrio, gratiæ indifferentiam, & verſatilitatem determinaturo.

V. Nec effugient eruditi Theologi ſi fortè dixerint, pependiſſe quidem Adami firmitudinem ex adjutorio Dei *ſine quo non*, ſeu ut ſchola recens loquitur, ſufficienti; non itidem ex adjutorio *quo*, ac per ſe efficaci; atque ita Adamum in illo tantùm adjutorio, non in iſto ſpem reponere debuiſſe. Non effugient inquam: quia ab utroque Dei adjutorio, ac tum maximè ab efficaci, Adami firmitudinem pependiſſe, & in eo ſpem ſuam omnem atque fiduciam reponere debuiſſe, ſignificat Auguſtinus; dum fiduciæ in Dei adjutorio, & tuitione habendæ, rationem hanc ipſam aſſignat; quia in Dei poteſtate erat, ut neque Angelus, neque homo caderet. Per adjutorium ſiquidem *ſine quo non*, ſeu ſufficiens, non præſtat Deus, ut nec Angelus, nec homo cadat; ſed per adjutorium efficax; per adjutorium inquam actionis, non meræ poſſibilitatis. Imò nec id ipſum ſperare potuiſſet Adamus; nec Divinæ omnipotentiæ, ut ne caderet, potuiſſet inniti, ſi penes Theologos illos fides eſt: cum id illius ſtatui repugnare velint. Ecquis enim aliquo in ſtatu conſtitutus a Deo, id ſperare teneatur, quod ſtatui ſuo noverit repugnare? Repugnat autem, ajunt illi, ut Deus eo in ſtatu omnipotentia ſua præſtet, ut ne cadat homo, vel Angelus, qui potius illud ipſum in eorum reliquit voluntatis arbitrio.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XV.

Nova ex natura gratiæ efficacis ratio petitur, præſertim adverſus eos, qui eam in delectatione victrici poſitam volunt.

I. QUæ primo omnium loco dari potuit , ac è-tiam debuit , quæque penè nos fugerat , ex natura gratiæ efficacis petita Theologica ratio , in hunc ſanè modum efferri poteſt.

Nihil magis in ore habent quotquot Auguſtini nomine gloriantur Theologi , quàm gratiam , ſe ipſa efficacem in cœleſti quadam ſuavitate , & victrice delectatione poſitam eſſe : ſeu id in ſenſu *formali* , ut Schola loquitur , intelligi velint , ut videlicet gratia efficax delectatio ipſa ſit, atque ſuavitas; ſeu in ſenſu *cauſali* id accipi malint , quod & ego veriſimilius exiſtimo , ut gratia potius efficax hujuſce delectationis , & ſuavitatis cauſſa ſit . Hoc enim ultimum inculcat ubique paſſim SS. Doctor , *lib.* 1. *de nuptiis* , *& concupiſc. cap.* 30. *Condelectatio legi Dei ſecundum interiorem hominem de magna nobis venit gratia Dei . Lib. de ſpiritu, & lit. cap.* 3. *Nos autem dicimus humanam voluntatem ſic divinitus adjuvari ad faciendam juſtitiam .... ut accipiat Spiritum Sanctum , quo fiat in animo ejus delectatio , dilectioque ſummi illius, atque incommutabilis boni , quod Deus eſt. Et cap.* 16. *ejuſdem libri : Hic autem ſpiritus Dei, cujus dono juſtificamur, quo fit in nobis, ut non peccare delectet. Lib.* 2. *de peccator. meritis, & remiſſ. cap.* 19. *Ut condelecteris legi Dei , ſecundùm interiorem hominem , undè haberes , niſi ſpiritus vitæ liberet te a lego peccati , & mortis? Cum ipſa delectatio boni nonniſi gratiæ deputanda ſit. Lib.* 1. *ad Bonif. cap.* 20. *Veniet gratia Dei , ut delectet te juſtitia . Enarrat. in Pſalm.* 130. *Guſtemus quàm ſuavis eſt Dominus, qui dedit nobis pignus ſpiritus , in quo ſentiamus ejus dulcedinem* . Quæ omnia ſpiritualem delectationem , ac ſuavitatem , gratiæ efficacis effectum eſſe, plus ſatis oſtendunt.

Pari omnino conſtantia Auguſtiniani Profeſſores , cœleſtem illam ſuavitatem, victricemque delectationem, quæ vel ipſamet gratia efficax eſt, vel ab ipſa efficaci gratia naſcitur, ob id maximè neceſſariam eſſe, tum ad pietatis actus exerendos , tum ad graves tentationes ſuperandas ; quia ea trahitur humanus animus ſuavitate , hacque ipſa delectatione juſtitiæ, contraria, quæ in peccato

eſt

eſt delectatio, infallibiliter ſuperatur, ac vincitur: quia, ut loquitur Auguſtinus in *Explicatione cap. 5. Epiſtolæ ad Galatas : ſecundum id operemur neceſſe eſt, quod amplius nos delectat . . . . trahiturque humanus animus voluptate*.

Gratulor Viris ſummis, efficacis gratiæ naturam ſic exponentibus, ejuſdemque neceſſitatem tam invictè probantibus : maximè cum poſtremum illud ex Auguſtino petitum momentum, naturæ principium ſit, ipſis etiam Philoſophis non ignotum, imò ſumma ab ipſis conſenſione receptum. Verùm, inquio ego, ex Auguſtini ſententia, in Adamo prima illa tentatione pulſato, terrena quædam delectatio fuit, qua ad peccatum impellebatur: *Perverſitatis perſuaſor*, ait ille *lib. 2. de Gen. contra Manich. per mulierem decipit. Non enim deduci ad conſenſionem peccati poteſt, niſi cum delectatio mota fuerit, in ea parte animi, quæ debet obtemperare tanquam rectori viro. Et ſerm. olim* 101. *de tempore : Adam unius ſe arboris delectatione vendiderat*. Fuit igitur hæc ipſa delectatio prava, contraria efficacis gratiæ delectatione, ſuperanda, atque vincenda. Fuit inquam in Adamo prima illa tentatione pulſato, non carnalis quidem luxuriæ delectatio; cum hæc conſecuta ſit ex peccato, quo tentationi conſenſit; ſed delectatio quædam fuit, ſive complacentia, qua factum eſt, ut mulieri ſuadenti conſenſerit. Imò fuit in eo quædam terrena delectatio in ſe ipſo qui terrenus erat; hoc ipſo quod præ ſuperbia ſibi nimium complacendo, Divinum præceptum violavit, & cecidit, juxta celebre Auguſtini dictum *lib.* 11. *de Gen. ad lit. cap.* 5. *Nec arbitrandum eſt, quod eſſet hominem dejecturus iſte tentator, niſi præceſſiſſet in anima hominis quædam elatio comprimenda, ut per humiliationem peccati, quam de ſe falsò præſumpſerit, diſceret*. Illæ igitur delectationes alia delectatione cœleſti, atque victrice ſuperandæ erant. Atque ita ſi rectè juxta Auguſtinum evincitur, neceſſariam nobis eſſe gratiam ſe ipſa efficacem, propterea quòd delectatio terrena cœleſti delectatione vincenda ſit, ut ipſi quidem fatentur, ac probant : quidni quoque juxta eumdem Patrem SS. colligamus, neceſſariam Adamo fuiſſe gratiam pariter efficacem, ut & ipſe delectationem terrenam alia cœleſti tentatione ſuperaret?

II. Neque verò fingi poteſt, victricem illam delectationem idcirco in Adamo non fuiſſe, quòd hæc felici illius ſtatui repugnaret. Abſit. Non enim repugnabat illa, quia delectatio erat; cùm eo potius titulo ſtatui illi feliciſſimo congrueret longè maximè: non repugnabat itidem quia victrix erat; quia titillantem in eo ſuperbiæ, uxoriſque complacentiam poterat, ac etiam debuerat ſuperare : ſi poſitis Auguſtinianæ Scholæ principiis ſtare volumus, ut debemus.

Jam

Jam quod de primo homine diximus hactenus, pari prorſus ratione de Angelis concludendum eſt. Quandoquidem & ipſi, non ſecus ac primus homo, nimia propriæ excellentiæ delectatione peccarunt, judice Auguſtino, *lib.* 11. *de Gen. ad lit. contra Manich. cap.* 14. *Propria poteſtate delectati .... ſuamque excellentiam nimis amantes*. Quod etiam confirmat *cap.* 23. inquiens, *factus* (Angelus) *continuò ſe a luce veritatis avertit, ſuperbia tumidus, & propriæ poteſtatis delectatione corruptus*. Cum itaque Angeli viatores ad Deum ſummum bonum converti, eidemque firmiter adhærere nequiverint, niſi ſuperata propriæ excellentiæ complacentia, compreſſaque mentis de ſe nimis altè ſentientis elatione: quod utique non niſi contraria cœleſti ſuavitate, atque victrice delectatione juſtitiæ fieri potuit: (contrarium enim nonniſi contrario pellitur, & *delectatio peccati non niſi juſtitiæ delectatione vincitur*, ut loquitur Auguſtinus *lib.* 2. *oper. imp.*) quis non videat, fuiſſe etiam Angelos illos gratia ſe ipſa efficaci donatos, ſi in hac ipſa cœleſti ſuavitate, victriceque delectatione gratia ſe ipſa efficax ſita eſt? quod illi maximè volunt, contra quos noſtra iſta ſuſcepta eſt diſputatio.

III. Nec eſt quod mihi quiſquam opponat, valere ut ſummè hoc argumentum, dum in Auguſtinianos ad hominem diſputatur; qui gratiam ſe ipſa efficacem, in ea de qua diximus, cœleſti ſuavitate & victrici delectatione poſitam volunt: nihil tamen abſolutè valere, præſertim in Schola Thomiſtica, quæ gratiam efficacem in ea cœleſti ſuavitate poſitam negat. Nihil quippe tantilla illa Auguſtinianos inter atque Thomiſtas diſſenſio, roboris, & efficaciæ adimit Argumento inde petito. Quamquam enim efficacis gratiæ naturam ſeu eſſentiam, in ea victrici delectatione poſitam nolint Thomiſtæ noſtrates, ſed in phyſica potiùs motione, ac determinatione voluntatis, vialique, ut plerique loquuntur, qualitate ſitam exiſtiment: hanc ipſam tamen victricem delectationem, cœleſtemque ſuavitatem, indivulſum gratiæ efficacis effectum agnoſcunt; quo terrena, atque carnalis delectatio ſuperatur, ac vincitur. Eamque Divi Auguſtini, ac Divi Thomæ, quos doctrinæ ſuæ duces ſequi ambiunt, mentem eſſe, atque ſententiam opinantur. Ita Reginaldus *par.* 2. *de Mente Conc. Trident. circa gratiam ſe ipſa efficacem Cap.* 30. *D. Auguſtinus gratiam illam ex ſeipſa efficacem, in ſuavitate cœleſti, ac victrici delectatione, ſive potius in cauſſa ipſius ſuavitatis, & delectationis conſtituit. Quamvis enim hanc gratiam ſæpius vocet ſuavitatem, delectationem, nihilominus hoc intelligit cauſaliter; ſicut ſæpe cauſſa a ſuo effectu notiori denominatur, & definitur*. Quod fuſiùs exequi Maſſoulieus, in D.Thoma ſui ipſius interprete, *Tom.* 1. *Diſſert.* 2. *de libertate creata quæſt.* 6. *art.* 2. ubi mul-

multis demonſtrat, *frequentiſſimam Divi Auguſtini, de victrici delectatione ſententiam, & communem loquendi modum, cum ſeverioris Divi Thomæ Theologiæ principiis exactiſſimè, & ad amuſſim convenire*. Ut porro ex ea victrici delectatione momentum peti jure poſſit, quod in præſenti delibavimus; nihil omnino refert, ſeu illam efficacis gratiæ eſſentiam dicas, ſeu indivulſum illius effectum dicere malis: dummodo terrenam, atque carnalem cupiditatem, cœleſti illa ſuavitate ſuperari fatearis.

CAPUT XVI.

Celeberrimæ de Divinis auxiliis Congregationis judicium, de agitata hactenus controverſia, recitatur.

I. DIſpendium operæ faciam, ſi tot allatis hactenus probationibus non illam etiam in confirmationem addidero, quæ ex celeberrima de Divinis auxiliis Congregatione, ſub Romanis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. celebrata, peti poteſt In qua univerſa doctrinæ capita, in controverſiam per annos multos adducta, & ad Cenſorum examen vocata, ad mentem Divi Auguſtini, tamquam ad lydium lapidem, probari juſſerat Clemens VIII. Pontifex uti ſanctiſſimus, ita doctiſſimus, a quo primùm fuerat inſtituta, ad controverſias Molinianæ doctrinæ occaſione excitatas ſupremo judicio definiendas: tametſi decretis illis, ſtatutiſque cenſuris ſuprema manus nondum acceſſerit, nec ſupremæ Sedis oraculum.

In hac itaque Congregatione omnium celeberrima, conſpirantibus Conſultorum omnium ordinum votis, Thomiſticæ Scholæ poſitio, de gratia primi hominis, & Angelorum, aſſerta, probataque eſt, tanquam certa, indubitataque D. Auguſtini ſententia. Cum enim anno 1605. die 22. Novembris, coram Paulo V. R. P. de mente D. Auguſtini circa gratiam per ſe efficacem ageretur; probandumque ſibi ſumpſiſſet Molinianus Orator, Thomiſticæ Scholæ principium, quo gratiam per ſe efficacem ſuperſtruit, (ſervandam ſcilicet cauſſarum ſecundarum ſubordinationem a prima) longè ab Auguſtini mente, atque ſententia diſtare: totamque probationis ſuæ vim ex *lib. de corrept. & grat.* petiiſſet; quaſi illic docuiſſet SS. Doctor, Adamum, Angeloſque nulla ad benè agendum, perſeverandumque efficaci gratia eguiſſe; atque ita eam cauſſarum ſecundarum ſubordinationem nihili feciſſet; (quæ nunc familiaris eſt nonnullorum Auguſtinianorum adverſus Thomiſtas argumentatio, trita querela, cantio ad ravim uſque decantata) die demum 29. menſis ejuſdem, diſputatione illa in conſultationem adhibita, & Moliniani Oratoris argumentatione ad Cenſorum calculos revocata, ſanxit ſacra Congregatio, (tametſi necdum ex juris formulis judicium fuerit promulgatum) ſtandum in dogmate de gratia per ſe efficaci; tantumque abeſſe, ut teſtimoniis D. Auguſtini ex *capp.* 11. *&* 12. *de corrept. & grat.* delibatis impeti poſſit, ut potius ex illis ipſis, ſi rectè intelligantur, firmetur magis. Oratoris Molinia-

niani diſputationem, quantum ad noſtrum inſtitutum attinet, oculis ſubjicio, ex *lib.* 4. *Hiſtoriæ Congregationum de auxiliis cap.* 12.
„ . . . . . Ex ipſo Auguſtini contextu (*de corrept. & grat. capp.*
„ 11. & 12.) evidens eſt, Auguſtinum hoc loco ſenſiſſe, Ada-
„ mum, & Angelos non indiguiſſe, ut perſeverarent, alio adjuto-
„ rio Dei, præter illud quod habuerunt. *Habuit enim primus ho-*
„ *mo gratiam*, ut ibi Auguſtinus ait, *in qua ſi permanere vellet*,
„ *nunquam malus eſſet . . . . Tale quippe erat adjutorium . . . .*
„ *in quo permaneret, ſi vellet.* Nullo ergo alio adjutorio indigebat
„ ad perſeverandum. *Nam ut vellet, in libero ejus reliquit arbitrio.*
„ *Deus quippe fortiſſimo Adamo dimiſit, atque permiſit facere quod*
„ *vellet.* Ergo cum hoc auxilio ſine alio prædeterminante, Adam
„ perſeveraſſet ſi voluiſſet, juxta Doctrinam Auguſtini. Imò ſi aliud
„ auxilium illis fuiſſet neceſſarium, jam non ſua culpa cecidiſſent.
„ Denique Auguſtinus affirmat, deſeruiſſe Adam per liberum arbitrium
„ adjutorium illud, quod ſi non deſeruiſſet, ſemper fuiſſet bonus; &
„ quia adjutorium deſeruit, deſertum fuiſſe. Ergo idemmet adjuto-
„ rium, quod toto tempore præcedente habuerat, deſeruit. Ergo
„ adjutorium illud non erat phyſicè prædeterminans, aliàs deſeri
„ non potuiſſet ab Adamo; Sed oportet, ut prius a Deo deſereretur,
„ tur, per negationem talis adjutorii. Præterea nec Deus in An-
„ gelis, & homine oſtendiſſet prius quid poſſet arbitrium, & po-
„ ſtea quid poſſet gratiæ beneficium, ut Auguſtinus *cap.* 10. affir-
„ mat: ſed potius oſtendiſſet prius quid poſſet gratia, poſtea quid
„ poſſet arbitrium. Nam per gratiam phyſicè prædeterminantem
„ conſervaſſet Deus Adam toto tempore uſque ad peccatum, in
„ quo oſtendiſſet quid poſſet gratia; poſtea verò eum relinquen-
„ do, per ablationem gratiæ phyſicè prædeterminantis, oſtendiſſet
„ quid poſſet arbitrium. Tandem de Angelis ipſis docet Auguſti-
„ nus, ſtetiſſe eo auxilio, quod datum eis fuit, ut ſi vellent, ſta-
„ rent: cui etiam comparavit auxilium datum Adæ: ergo etiam
„ Adam eo auxilio ſtetiſſet, ſi voluiſſet. Eſt igitur in via Augu-
„ ſtini evidens, Adamum ſine auxilio phyſicè prædeterminante
„ permanſiſſe in gratia, toto tempore, quo duravit innocentiæ ſta-
„ tus, multaque opera bona ſine auxilio prædeterminante feciſſe;
„ & illo adjutorio, quod habebat, perſeveraturum fuiſſe, ſi vo-
„ luiſſet de Deo fidere, ut in *lib.* 14. *de Civitate Dei cap.* 17.
„ Auguſtinus affirmat. Id quod illo adjutorio, quod de facto ha-
„ buit, facere poterat, abſque ullo alio ſuperaddito. Igitur cum
„ tam ad hominem, ut ajunt, quàm ex ipſius Auguſtini verbis
„ conſtet, non poſuiſſe Auguſtinum auxilium phyſicè prædetermi-
„ nans in Angelis, nec in primo homine; quis tam hebes erit in-
„ genio, ut ſtatim non videat evidenter ex hoc conſequi, non
„ ſen-

„ ſenſiſſe Auguſtinum, auxilium phyſicè prædeterminans eſſe ne„ ceſſarium, ex dependentia cauſſæ ſecundæ a prima, vel ex me„ dio infallibilis cognitionis liberorum? Corruit ergo ex doctrina „ Auguſtini præcipuum phyſicæ prædeterminationis fundamentum, „ & ita hoc argumento penitus evertitur, ut penè ſuperfluum vi„ deri poſſet, aliquid amplius addere.

Hæc Molinianus Diſputator, quæ totidem, diverſo licet fine, atque conſilio, nobis objiciunt Theologi recentiores, ut ſuum illud ſyſtema, de gratia primi hominis, & Angelorum, Auguſtini authoritate communiant. Conſultorum verò de tota illa diſputatione judicium, in publicas Congregationis tabulas his verbis relatum eſt; tametſi nondum illi ex juris formulis ultima manus acceſſerit, ut Eccleſiaſtici judicii vim, ac robur obtineat.

„ Die 29. Novembris 1605. poſt horam 15. reſolvit Congre„ gatio, perſiſtendum in ſententia, non obſtantibus ex adverſo „ productis ex Scripturis, quæ ad rem non ſpectant, & ex Con„ cilio Tridentino, quod non adverſatur veritati aſſertæ, aut te„ ſtimoniis S. Auguſtini *de corrept. & grat. cap.* 12. quo potius „ firmatur concluſio explicata, *quod Deus* &c. Ita cenſuerunt om„ nes exceptis D. Bitontino, qui cum cœteris cenſuit, quoad rem, „ non tamen quoad voces, quas dixit novas, & periculoſas: & „ Patre Regente Collegii Carmelitarum, qui cenſuit omnes Scri„ pturas, & dicta S. Auguſtini optimè intelligi ex aſſertione gra„ tiæ congruæ; & ex vera, & reali motione antecedente, qualem „ ponit contraria ſententia, tolli libertatem voluntatis humanæ.

II. Quæ ego mente dum recolo, doleo rerum vices: cum videam, illos ipſos Commilitones noſtros, ſtudio, ardore, & animo conjunctiſſimos, qui pro tuenda efficaci gratia, adverſus Molinianos, una nobiſcum, tanta cum gloria & certarunt olim, & certant etiamnum hodie, in nos demum arma vertiſſe; quodque dolendum magis, illa in nos tela emittere, quæ a communibus hoſtibus mutuò acceperunt. Quapropter ut & ego vice mea, ac certiori ictu, ſua in illos tela retorqueam, antequam difficultati ex *lib. de corrept. & grat.* peti ſolitæ ſatisfaciam; hoc idem Thomiſticæ Scholæ principium, quo gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem petendam exiſtimat, non ex ſola humanæ naturæ originali peccato ſauciatæ corruptione, ſed ex ipſa etiam cauſſarum ſecundarum ſubordinatione, & ſubjectione, (quod in hacce controverſia capitale eſt) eſſe certiſſimum, atque ex D. Auguſtini mente, atque ſententia, ſequentibus capitibus demonſtrabo.

CAPUT XVII.

Potiſſimum adverſæ ſententiæ fundamentum evertitur. Auguſtinum efficacis gratiæ neceſſitatem, non ex ſola naturæ corruptione petiiſſe, demonſtratur.

I. TAmetſi nihil eorum prætermiſerim, quibus gratiæ ſe ipſa efficacis neceſſitas, in ſtatu naturæ innocentis, & integræ, demonſtratur: officio tamen meo defuiſſe videri poſſim, ſi potiſſimum illud, ac etiam unicum, quo adverſa ſententia nititur, fundamentum intactum relinquerem, ac non potius ab imo ſubruerem. In hoc igitur inſudandum mihi modò eſt, ut palam omnibus faciam, quam ſit falſum, quàm ab Auguſtini mente, atque ſententia alienum, quod principii loco ab adverſariis ponitur: efficacis ſcilicet gratiæ neceſſitatem ex ſola vulneratæ, corruptæque naturæ conditione oboriri; nullo autem pacto ex nativa creatæ voluntatis indifferentia, ejuſdemque ad Deum optimum maximum ſubjectione derivari; in iis etiam pietatis operibus exerendis, quæ ſupra naturæ vires, & ingenitas facultates poſita ſunt. Ex eo quippe vitiato principio colligunt adverſarii, nullam eſſe in ſtatu innocentiæ efficacis gratiæ neceſſitatem, quòd nulla ibi ſit naturæ depravatio, corruptio nulla. Attentum hîc lectorem opto, ut quàm procul ab Auguſtino, quàm procul a vero abeant, in eo conſtituendo principio, deprehendat.

II. Certè tametſi Auguſtinus confutandis Pelagianis totus intentus, ad humanæ naturæ corruptionem confugere ſoleat, ut victricis gratiæ neceſſitatem oſtendat; ejus tamen neceſſitatem ex alio etiam capite repetit aliquando; ac tum maximè, dum Divinas motiones, ſe ipſis efficaciſſimas, ad actus merè civiles, ac naturales agnoſcit; in quibus profectò exerendis, cum nulla ſit ſananda naturæ corruptio, ſola remanet hominis ad ſupremum motorem ſervanda ſubjectio, determinandaque paſſiva voluntatis indifferentia, ut id agat, quod per eam Deus agi voluerit. Videas id *lib. de corr. & grat. c.* 14. ubi de electione Saulis in Regem, quæ rerum merè civilium, ac naturalium ordine cenſenda eſt, ſermonem inſtituit. *Non eſt itaque dubitandum*, inquit, *voluntati Dei*, qui in cœlo, & in terra omnia quæcunque voluit fecit, *& qui etiam illa*, quæ futura ſunt fecit, *humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus faciat ipſe quod vult. Quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit. Niſi fortè (ut ex multis aliqua comme-*

me-

Digitized by Google

memorem,) quando Deus voluit Sauli Regnum dare, ſic erat in poteſtate Iſraelitarum, ſubdere ſe memorato viro, ſive non ſubdere, quod utique in eorum erat poſitum voluntate, ut etiam Deo valerent reſiſtere. Qui tamen hoc non fecit, niſi per ipſorum hominum voluntates, ſine dubio habens humanorum cordium, quò placeret inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem. Et paucis interjectis, de electione Davidis in Regem, quæ perinde civilis vitæ actus eſt, ſermonem habens: *Omnipotens Dominus*, inquit, *qui erat cum illo, adduxit iſtos, ut eum Regem conſtituerent. Et quomodo adduxit? Numquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eoſque voluntatibus eorum, quas ipſe in illis operatus eſt, traxit. Si ergo cum voluerit Reges in terra Deus conſtituere, magis habet in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas; quis alius facit ut ſalubris ſit correptio, & fiat in correpti corde correctio, ut cœleſti conſtituatur in Regno?* Videas hoc idem de Rege Aſſuero dum loquitur, ab indignatione in Judæos ad manſuetudinem converſo; qui perinde civilis virtutis actus extitit. *Lib.* 1. *contra duas epiſt. Pelagianorum cap.* 20. *Deus ..... occultiſſima, & efficaciſſima poteſtate* (cor Regis) *convertit, & tranſtulit ab indignatione ad lenitatem; hoc eſt a voluntate lædendi ad voluntatem favendi: ſecundùm illud Apoſtoli:* Deus operatur in vobis & velle

Cedo ſicubi Auguſtinus intimam medicinalis gratiæ virtutem, & efficaciam in flectendis, movendiſque ad actus ſupernaturales hominum cordibus, majori ſermonis nervo, amplioribuſque verbis expreſſit. Aut ergo negandum, Auguſtinum intimam gratiæ medicinalis efficaciam, cujus neceſſitas ex vitiatæ naturæ conditione oritur, alicubi prædicaſſe: aut certè fatendum, agnoviſſe illum divinas motiones, ſe ipſis pariter efficaces, ad actus merè civiles, & naturales edendos; quarum profectò neceſſitas, non ex vitiatæ naturæ conditione oritur, ſed ex ſola ad ſupremum motorem ſubjectione ſervanda, originem ducit. Et quidem Auguſtinum binis illis utriuſque electionis exemplis, alteroque Regis Aſſueri ad lenitatem converſi, nullam corruptionis naturæ rationem habuiſſe, ut hujuſmodi motionum efficaciſſimarum neceſſitatem evinceret; non modò res ipſa, de qua agitur, civilis nimirum, ac naturalis ſatis oſtendit; ſed & ipſæ illæ loquendi formulæ palam faciunt, quæ nil niſi ſupremum Dei in hominum voluntates imperium ſonant, nil niſi mutuam humanarum voluntatum ad Deum ſubjectionem loquuntur, ac ſpirant.

Quid etiam quod Auguſtinus pari motionis efficacitate, & energia, Deum operari docet in corde correpti correctionem ſalutarem, qua in cordibus Iſraelitarum Saulis, & Davidis electionem eſt

eſt operatus: imò, quod notandum magis, neceſſaria conſecutione, veluti argumento quod ajunt a minori ad majus, alterum deducit ex altero: *Si ergo*, inquit ille, *cum voluerit Deus in terra conſtituere Reges, magis habet in poteſtate ſua voluntates hominum, quàm ipſi ſuas; quis alius facit, ut ſalubris ſit correptio, & fiat in corde correpti correctio, ut cœleſti conſtituatur in regno?* Quotquot ergo Deum motione, atque virtute ſe ipſa efficaci, ſalutarem peccatoris correctionem, ac pœnitentiam operari ultro citroque fatentur; id quoque fateantur oportet, Deum ex Auguſtini mente, efficaci per ſe ſe motione, atque virtute, Iſraelitarum corda ad actus illos merè civiles, ac naturales permoviſſe, eoſque in illis actus efficaciſſimè operatum eſſe. Aliàs perperam alterum ex altero intuliſſet SS. Doctor. Quam tamen illationem a ſe legitimè factam defendit ipſe data opera, atque ex inſtituto, dum ſuum illum librum poſtmodum recognovit, & contra nonnullos obmurmuratores egregiè defendit. Cum enim a D. Hilario per Epiſtolas monitus eſſet, *putare Maſſilienſes, teſtimonia Scripturæ, quæ de Saule, & de Davide poſuerat, non pertinere ad quæſtionem, quæ de correptione verſabatur:* argumentationem ſuam, elicitamque ex binis illis exemplis illationem nervosè defendit, dato reſponſo: atque ab actibus merè civilibus, quos efficaciſſima poteſtate in cordibus Iſraelitarum operatus eſt Deus, ad actus ſupernaturales, & vitæ æternæ meritorios, quos pari efficacitate in electis operari debeat idem Deus, rectè ſe, atque a fortiori ut ajunt fuiſſe argumentatum evicit, *lib. de prædeſt. Sanct. cap.* 20. *An fortè quia oſtendimus, hoc Deum egiſſe in cordibus hominum, & ad hoc perduxiſſe, quorum ei placuit, voluntates, ut Rex conſtitueretur Saul, ſive David; ideo hæc exempla cauſſæ huic convenire non putant, quoniam non eſt hoc temporaliter regnare in hoc ſæculo, quod eſt in æternum regnare cum Deo? Ac per hoc exiſtimant, ad regna terrena facienda, Deum inclinare; ad regnum vero cœleſte obtinendum, Deum non inclinare, quorum voluerit, voluntates? .... Cogitate quale ſit, ut credamus ad conſtituenda regna terrena hominum voluntates operari Deum, & ad capeſſendum regnum cœlorum homines operari voluntates ſuas. Multa diximus, & fortaſſe jamdudum potuimus perſuadere, quæ volumus, & adhuc tam bonis ingeniis ſic loquimur quaſi obtuſis, quibus & quod nimium eſt non eſt ſatis.*

Quibus verbis non modò id evincitur, quod potiſſimum quærebatur: ſed & inſuper nonnullorum evaſio præcluditur, qui dicere auderent, ideo Auguſtinum motiones Dei per ſe efficaces in binis illis Saulis, atque Davidis electionibus agnoviſſe; quod eas non ſpectaverit, ut actus erant merè naturales, civiles, atque politici;

ci; ſed quatenus ad finem ſupernaturalem aliquatenus referebantur. Ex verbis quippe laudatis liquet, Auguſtinum eas electiones, ut actus merè civiles, ac politici ſunt, attendiſſe, quatenus ſcilicet *ad temporaliter regnandum in hac ſæculo* conducebant: Eumque ex iis ipſis ut merè politicis, & civilibus, ad actus ſupernaturales nonniſi efficaci Dei virtute eliciendos, argumentum a fortiori petiiſſe. Ut ſileam, actus illos, tametſi ad finem ſupernaturalem a Deo externè, & ex accidenti referrentur, per ſe tamen, atque ut ab Iſraelitis eliciebantur, civiles tantùm, ac naturales extitiſſe. Atque ita ſi a Deo efficaciter movente, & operante ſunt editi, ut profectò docuit Auguſtinus; conſequens eſt, eum ad actus merè naturales edendos, motiones Dei ſe ipſis efficaciſſimas agnoviſſe.

III. Accedit ad hæc, quod Auguſtinus, qui gratiam habere efficacitatem ſuam conſtantiſſimè docet *ab omnipotentia Dei, & a dominio, quod ſua divina majeſtas habet in hominum voluntates*, uti Clemens VIII. elegantiſſimo ſcripto demonſtravit, probavitque ſacra de divinis auxiliis Congregatio: Auguſtinus, inquam, illud quoque ſæpiſſimè docet, Deum ſuam illam in hominum voluntates omnipotentiam exercere, non ſolùm titulo Medici, voluntatis infirmitatem ſanantis, curantis, & erigentis, verùm etiam jure ſupremi dominii, quo creaturis omnibus in cœlo, & in terra dominatur, ſubjectas tenet eas, ſuoque nutui ſervire facit. Quid itaque efficacis gratiæ neceſſitatem, ex ſola humanæ naturæ corruptione, ac non etiam ex creaturæ ad Deum Opt. Max. ſubjectione penſemus? Non pauca in hanc rem SS. Doctoris teſtimonia laudavimus *ex lib. de grat. Chriſti cap.* 14. *ex lib. de gratia, & libero arbitr. cap.* 21. *ex lib. de novo Cantico cap.* 9. *de corrept. & grat. cap.* 14. Alia pauca damus ex *lib. de gratia, & libero arbitr. cap.* 20. *Scriptura divina, ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit, non ſolùm bonas hominum voluntates, quas ipſe facit ex malis, & a ſe factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam, verùm etiam illas, quæ conſervant ſæculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari. Enarrat. in Pſalm.* 134. *Tu in ipſo non facis quod vis:* Deus autem noſter in cœlo, & in terra omnia quæcunque voluit fecit. *Ipſe tibi det gratiam ut in te ipſo facias quod vis: niſi enim ipſo juvante, nec in te facis quod vis.* Et paucis interjectis: *Intelligite Deum*, qui omnia quæcunque voluit fecit in cœlo, & in terra; *ipſe & in vobis faciet quod vultis; ipſo adjuvante voluntatem veſtram implebitis.* Rurſus: *Ergo & in Eccleſia ſua, & in prædicatoribus ſuis, & in plebibus ſuis tamquam in cœlo, & in terra, omnia quæcunque voluit fecit. Parum eſt in eis; In mari, & in omnibus abyſſis omnia quæcunque voluit fecit.*

Ma-

Digitized by Google

-Mare ſunt omnes infideles, omnes nondum credentes: & in eis omnia quæcunque voluit fecit. *lib. de corrept & grat. cap.* 14. *Cui* (Deo) *volenti ſalvum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium. Sic enim velle, ſeu nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. lib. de dono perſever. cap.* 13. *Nos ergo volumus, ſed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, ſed Deus in nobis operatur, & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit credere, & dicere: Hoc eſt pium, hoc eſt verum, ut ſit humilis, & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo.* Hæc D. Auguſtinus, & alia alibi hujuſmodi longè multa, quæ plus ſatis evincunt, Deum in efficaci gratia conferenda, agere pro imperio, pro deſpotica poteſtate, pro ſupremi dominii jure, quod in creaturas etiam rationis expertes exercet. Atque ita toto illi aberrant oſtio, qui gratiæ efficacitatem ex ſola penſant vitiatæ naturæ corruptione, nullo autem pacto ex creaturæ ad ſupremum omnium Dominum, ſubordinatione, ſubjectione, atque, ut Schola loquitur, dependentia. Sunt enimvero duo illa inter ſe relata; fierique omnino non poteſt, ut quod Deus titulo ſupremi dominii, jureque principatus creaturæ ſuæ largitur, id ipſum ſubjectionis, ac ſubordinationis titulo non recipiat creatura.

IV. Quid plura? Si qua gratia ex Auguſtini mente reputanda eſt efficax, illa maximè eſt, qua Deus bonum liberæ voluntatis uſum operatur in nobis. Divinæ enim omnipotentiæ effectus eſt, de quo SS. Doctor *lib. de grat. & libero arbitrio cap.* 21. *Agit enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit.* Imò repugnat, Deum per gratiam merè ſufficientem operari motum, ſeu uſum voluntatis humanæ: cum hunc ipſum uſum, & motum gratia ſufficiens expectet potius, quàm efficiat; pendeatque ab eo veriùs, quàm eum agat in nobis. Porro quærens Auguſtinus quid cauſſæ ſit, cur Deus bonum liberæ voluntatis uſum operetur in nobis, hanc demum aſſignat, quod Deus univerſaliſſima cauſſa ſit, a qua, uti ex primo fonte, omne bonum neceſſe eſt derivari, *lib.* 1. *retract. cap.* 9. *Cum omnia bona dicerentur ex Deo, ideſt magna, & media, & minima; in mediis quidem bonis invenitur liberum voluntatis arbitrium, quia & malè illo uti poſſumus; ſed tamen tale eſt, ut ſine illo rectè vivere nequeamus. Bonus autem uſus ejus jam virtus eſt, quæ in magnis reperitur bonis, quibus malè uti nullus poteſt. Et quia omnia bona, ſicut dictum eſt, & magna, & media, & minima ex Deo ſunt; ſequitur ut ex Deo ſit etiam bonus uſus liberæ voluntatis, quæ virtus eſt, & in magnis numeratur bonis.* Et *Tract.* 85. *in Joan. Ab ipſo quid-*

quid

quid boni eſt donatur . quia & hoc bonum eſt , ab ipſo utique donatur , ut ſciatur a quo bonum omne donetur ; ut omnino de omnibus bonis , qui gloriatur , in Domino glorietur . Ex ſubordinatione itaque Cauſſarum ſecundarum a prima , non minus quàm ex vitiatæ naturæ corruptione , petenda venit efficacis gratiæ neceſſitas ; ac tum maximè ad actus ſupernaturales edendos , in quibus a Deo non modò ut authore naturæ , verùm etiam ut authore gratiæ pendet homo ; eidemque novo titulo ſubeſt , a corruptione naturæ longè diverſo , ob edendi ſcilicet operis excellentiam , juxta illud *Jacobi* 1. *Omne datum optimum , & omne donum perfectum , deſurſum eſt ; deſcendens a Patre luminum* . Et hoc alterum Auguſtini ſermone nunc 284. *Ut habeam donum meum , agnoſco datorem Deum . Nam ſi non agnoſco datorem Deum , tollit Deus bonum ſuum , & remanet malum meum , per arbitrium meum .*

V. His addiderim: Deum, ex Auguſtini mente , atque ſententia omnium motuum, actionumque noſtrarum cauſſam eſſe; quod is anima noſtra , tanquam omnipotentiæ ſuæ inſtrumento utatur, pro nutu ſuo , atque arbitrio . Quæ ratio , ſi quid ſapio , ex humanæ naturæ læſione , & corruptione non ducitur, ſed ex nativa illius erga Conditorem ſuum ſubjectione , ſupremoque Dei in illam imperio, atque Dominio . Ita SS. Doctor *Enarratione in Pſalmum* 34. eum Davidis verſum expendens , *Effunde frameam , & conclude adverſus eos qui perſequuntur me , dic animæ meæ ſalus tua ego ſum :* ad quæ verba ſic habet : *Quid eſt anima noſtra , aut quid poteſt , niſi Deus illam teneat , & pugnet de illa ? Nam quælibet optimè facta framea niſi habeat bellatorem , jacet . . . . . Ergo quidquid vult facit de anima noſtra ; cum in manu ejus utatur de ea , quemadmodum vult* . Intima igitur divinarum motionum efficacia , aliunde quoque, quàm ex vitiatæ naturæ noſtræ infirmitate, petenda venit . Maximè cum ad creaturas univerſas, ipſaſque irrationales, atque corporeas , in quibus hujuſmodi vitium, atque corruptio locum non habet , efficaces illas motiones , divinaſque operationes protendat Auguſtinus *lib.* 3. *de Trinitate cap.* 4. *Deus* , inquit , *ſe quibuſdam ordinatiſſimis creaturæ motibus , primò ſpiritalibus , deinde corporalibus , per cuncta diffundit , & utitur omnibus ad incommutabile arbitrium ſententiæ ſuæ , ſive incorporeis , ſive corporeis rebus , ſive rationalibus , ſive irrationalibus ſpiritibus , ſive bonis per ejus gratiam , ſive malis per propriam voluntatem . Sed quemadmodum corpora craſſiora , & inferiora per ſubtiliora , & potentiora quodam ordine reguntur ; ita omnia corpora per ſpiritum vitæ . . . . . & ſpiritus vitæ rationalis de-*

ſertor , atque peccator per ſpiritum vitæ rationalem pium , & juſtum , & ille per ipſum Deum , ac ſic univerſa creatura per Creatorem ſuum , ex quo , & per quem , & in quo etiam condita , atque inſtituta eſt : Ac per hoc voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſſa omnium corporalium ſpecierum , atque motionum .

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Non eſſe efficacis gratiæ neceſſitatem ex ſola humanæ naturæ corruptione derivandam, certis conſiderationibus, atque exemplis ab Auguſtino datis, oſtenditur.

I. QUod ſuperiori capite Auguſtini authoritate probatum eſt, hoc idem certis conſiderationibus, atque exemplis ab eodem productis magis, magiſque confirmatur.

Primò ſi gratiam per ſe efficacem neceſſariam duntaxat faceret naturæ lapſæ corruptio, atque infirmitas, conſequens profectò eſſet, nullam ibi fore gratiæ efficaciam, ubi nulla eſt naturæ infirmitas, atque corruptio: (Conſecutionem hanc tantum abeſt ut negent Theologi recentiores, ut eam potius eliciant, ſuoque accomodent inſtituto) porro, inquio ego, in Chriſto Domino nulla hujuſmodi naturæ corruptio fuit, vitium planè nullum: in ejus quoque Virgine Matre nulla vitiatæ naturæ depravatio fuit, ſeu illam abſque originaria labe conceptam dicas, quod pia ponit opinio; ſeu peccati fomitem in prima illius ſanctificatione ligatum velis, ac tandem in Verbi Dei conceptione prorſus extinctum, quod Theologorum unanimis aſſenſus affirmat: nulla igitur in Chriſto Domino, ejuſque Virgine Matre gratia per ſe ſe efficax fuit, in ea, quam impetimus, Theologorum hypotheſi. Quis id credat? nullam in iis fuiſſe gratiam efficacem, qui cæteris omnibus efficacius, indeclinabilius, inſuperabilius (ut loquitur Auguſtinus) Spiritus Sancti gratia ducebantur, movebantur, agebantur? Nullam in authore gratiæ, nullam in Matrè gratiæ victricem gratiam extitiſſe, quis ſibi facile in animum inducat? Non ita profectò Auguſtinus, qui potius omnis gratiæ cumulum eo maximè titulo in Chriſto fuiſſe docet, quod ex illo, tanquam ex capite, ad nos omnes tanquam in membra dimanent. *Appareat itaque nobis in noſtro capite ipſe fons gratiæ, undè ſecundum uniuſcujuſque menſuram ſe per cuncta ejus membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei ſuæ homo quicunque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio factus eſt Chriſtus: de ipſo Spiritu & hic renatus, de quo ille eſt natus; eodem Spiritu fit in nobis remiſſio peccatorum, quo Spiritu factum eſt, ut nullum haberet ille peccatum. Lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 15.*

Et quidem ab eruditis Theologis ſcire velim: num gratia per ſe efficax ſtatui Chriſti Domini, ad operationes Theandricas exer-

cendas repugnaret? Si dixerint repugnaſſe: rationem quæſo nobis aſſignent, quare de illo ſit dictum *Lucæ* 4. *agebatur a ſpiritu in deſertum*. Cum enim ex eo Apoſtoli loco ad *Rom.* 8. *quicunque enim ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei*, gratiam ſe ipſa efficacem, qua ducuntur illi, atque moventur, colligat Auguſtinus, maximè verò *cap.* 2. *de cor. & grat. Lib. de geſtis Pelag. cap.* 3. *Serm.* 43. *de verbis Domini:* non eſt cur non etiam in Chriſto gratia per ſe efficax inferatur, qui *a ſpiritu* quoque *actus* dicitur in deſertum. Si verò gratiam ſe ipſam efficacem in Chriſto non repugnaſſe reſpondeant: rationem rogo proferant nobis, cur ea in Adamo repugnet, propter ſtatum juſtitiæ originalis; & non repugnet in Chriſto, in quo tota perfectio juſtitiæ originalis cumulatiſſimè reperitur?

II. Secundò, ſi ex primæva humanæ naturæ ſanitate, expeditiſſimaque arbitrii libertate ortum eſſet, ut nulla tunc primus homo, ad bonum ſupernaturale peragendum, egeret gratia efficaci; conſequens profectò eſſet, ut ubi major eſt ſanitas, ibi minor eſſe debeat efficacis gratiæ neceſſitas; ubi expeditior, ſolutiorque libertas eſt, ibi quoque minor ſit ad gratiam ſubjectio, minorque, ut Schola loquitur, dependentia. At contra potius ſtatuit Auguſtinus *Epiſt.* 157. *Hæc enim voluntas libera, tanto erit liberior, quanto ſanior; tanto autem ſanior, quanto divinæ miſericordiæ, gratiæque ſubjectior*. Non itaque ex primæva ſanitate, atque integritate naturæ factum eſt, ut minus tunc efficaci egeret gratia, minuſque ſubeſſet Deo, veluti totius boni fonti, atque principio; ſed ut nullius medicinæ ope, qua ſanaretur infirmitas, indigeret. Uti proportione quadam contingit ad præſens, in nonnullis eximiæ ſanctitatis hominibus, qui diuturnis pœnitentiæ laboribus *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis*, peccatique fomitem propemodum extinxerunt, de quibus loquitur Apoſtolus *ad Galat.* 5. Ii ſanè non idcirco minus efficaciter excitantur, aguntur, moventur ſpiritu Dei; imò ob id ipſum aguntur multò magis: tametſi medicam virtutem minus tunc in illis exerceat gratia, quæ minus tunc in illis invenit, quod ſanet, quod reſtauret, quod reficiat.

III. Tertiò, ſi ſola verſatili gratia ad pium opus edendum eguiſſet Adamus, propterea quòd nulla rebellanti concupiſcentia premeretur; quidni homo lapſus, ſed regeneratus in Chriſto, cum ſola hujuſmodi verſatili gratia, pares pietatis actus exerere poſſet, tunc ſaltem quando nulla contraria concupiſcentiæ tentatione movetur? Ubi enim peculiaris virtutis actus edendus eſt, tam non eſt impedimento concupiſcentia, quæ tunc neque ſtimulat, neque movet, quam quæ omnino non eſt; nec magis mihi nocet hoſtis,

ſtis, qui nihil in me machinatur, ac tentat, quàm ſi re ipſa non eſſet. Porro fieri poſſe docet Auguſtinus, ut quamvis ſemper inſit homini regenerato concupiſcentia mala, nulla tamen certis in caſibus tentatione moveatur. *Non enim ſemper eſt deſiderium*, ait ille *lib. 6. contra Jul. cap. 19. contra quod pugnemus: ſed ſi tunc non eſt, quando non occurrit, quod concupiſcatur, ſive animo cogitantis, ſive ſenſibus corporis; fieri poteſt, ut inſit qualitas mala, ſed nulla ſit tentatione commota*. Aut ergo ſatis non erat Adamo verſatilis gratia ad pios actus exerendos, propterea quòd eſſet in ſtatu naturæ innocentis, & integræ conſtitutus; aut ſi hæc illi ſatis erat, non fuit hoc integræ naturæ peculiare privilegium; nec inde petenda venit variorum naturæ ſtatuum differentia.

IV. Quartò, quamquam gratia actualis ſtatus naturæ lapſæ, medicinalis ſit, non ideo tamen ſe ipſa efficax eſt, quòd vim illam medicam habeat; ſed quòd voluntatem humanam efficaciter moveat, determinet, applicetque operi bono; hominemque trahat ad Chriſtum, juxta oraculum Evangelicum *Joannis 6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*: aliud quippe eſt, amiſſam malè valentis hominis ſanitatem curare, vireſque ægroto reſtituere; aliud redditas vires operi faciundo applicare: alterum enim eſt altero prius. Imò gratia habitualis, quæ multò verius medicinalis eſt, vimque medicam habet longè majorem, quàm actualis, minus tamen propriè efficax vocaretur: actualis ſiquidem, non itidem habitualis gratia, in ſufficientem, & efficacem dividi dicitur. Quid itaque vetat, gratiam actualem Angelorum, & hominum innocentum, ſe ipſa quoque efficacem eſſe, quamquam medicinalis ipſa non ſit, virtutemque in illis medicam nullam habeat: cùm alia longè ſit movendi, trahendique vis, quàm medendi; alteraque ex altera minimè pendeat?

CA-

CAPUT XIX.

Quæ ſecum adverſa ſententia ferat incommoda: quas principiorum ſuorum, dogmatumque antilogias.

I. DIſtis colophonem apponet obſervatio altera longè gravior, majoriſque momenti, ad quam ſatis non arbitror attendiſſe Theologos illos, qui Auguſtini nomine gloriantur. Nempe ſuo illo ſyſtemate poſito, de gratia duntaxat verſatili, non itidem efficaci Angelis, primiſque Parentibus data, non pauca fluere conſectaria, quæ ſi concoquere velint, nova illis Theologia cudenda erit, & ab Auguſtini principiis alieniſſima.

In primis nemo neſcit, quàm ſint illi gratuitæ prædeſtinationis acerrimi defenſores; pro qua tamquam capitali Auguſtinianæ doctrinæ dogmate, totis lacertis depugnant. Attamen ſi quod illi de Angelis, primiſque Parentibus innocentibus dictitant, veritatem habet, ruit quoad illos gratuitæ prædeſtinationis dogma. Quomodo enim Angelos bonos ante omnia præviſa merita, ex æternitate delegiſſet Deus, ſi ſubinde non habuit conferendorum illis meritorum abſolutam poteſtatem, ſed ab illorum duntaxat aſſenſu pendulam?

Reponent illi fortaſſe, ita planè ex Auguſtini mente, poſtulare variorum ſtatuum diſtinctionem; ut quæ creaturæ ex originis vitio corruptæ ſunt, ante præviſa merita ſeligantur; quia ea ſubinde merita daturus eſt Deus, & quidem certò, & infallibiliter, per gratiam efficacem: quæ verò ab ipſa origine corruptæ non ſunt, non niſi ex præviſis meritis, quæ a ſe ipſis, Deo minimè donante, ſunt habituræ, ad gloriam deſtinentur.

Gerræ profectò gerræ, eæque vaniſſimæ. Quin potius eandem prædeſtinationis formam, (ante ſcilicet præviſa quæcunque merita) in utroque tum innocentis, tum vitiatæ naturæ ſtatu, docuiſſe Auguſtinum liquet apertè. Quippe qui Chriſtum Dominum, cujus erat natura puriſſima, innocentiſſimaque, ante præviſa bona opera prædeſtinatum, conſtantiſſimè docet, ejuſdemque, quod notandum magis, gratuitam prædeſtinationem gratuitæ prædeſtinationis noſtræ exemplar eſſe ait, alteramque probat ex altera, *lib. de prædeſt. Sanct. cap.* 15. *Eſt etiam præclariſſimum lumen prædeſtinationis, & gratiæ ipſe Salvator, ipſe mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus: qui ut hoc eſſet, quibus tandem ſuis, vel operum, vel fidei præcedentibus meritis, natura humana,*

quæ

quæ in illo eſt, comparavit? . . . . Ipſa eſt igitur prædeſtinatio Sanctorum, quæ in Sancto Sanctorum maximè claruit; quam negare quis poteſt rectè intelligentium eloquia veritatis? . . . . Sicut ergo prædeſtinatus eſt ille unus, ut caput noſtrum eſſet; ita multi prædeſtinati ſumus, ut membra ejus eſſemus. Humana hic merita conticeſcant, quæ perierunt per Adam; & regnet quæ regnat Dei gratia, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum . . . . . . Quiſquis in capite noſtro præcedentia merita ſingularis illius generationis invenerit, ipſe in nobis membris ejus præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat.

Quid etiam quod gratuita prædeſtinatio, in qua ſuas Theologi illi delicias ponunt, iis nititur rationibus, ac momentis, quæ ſi quid valent, prædeſtinationem ex meritis pendulam quovis in ſtatu impoſſibilem faciunt? Hujus generis eſt ratio illa planè decretoria, ex Divinæ bonitatis fine petita, quam ex D. Thoma *quæſt. 6. de Veritate art. 2.* ipſi quoque Auguſtiniani Theologi mutuantur: *Finis autem Divinæ voluntatis eſt ipſa ejus bonitas, quæ non dependet ab aliquo alio, undè ad hoc quod habeatur a Deo nullo alio indiget: & ideò voluntas ejus non inclinatur primò ad aliquid faciendum per modum debiti, ſed liberaliter tantùm, in quantum eſt bonitas ejus in opere manifeſta . . . . . . Ubicumque autem occurrit aliquid, ſine quo aliud a Deo volitum eſſe poſſit, hoc non procedit ab eo ſecundum rationem alicujus debiti: ſed ſecundum meram liberalitatem. Perfectio autem gratiæ, & gloriæ ſunt hujuſmodi bona, quod ſine eis natura eſſe poteſt, excedunt enim naturalis virtutis limites: unde quod Deus velit dare alicui gratiam, & gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit. In his autem, quæ ex liberalitate procedunt, tantum cauſſa volendi eſt ipſa ſuperabundans affectio volentis ad finem, in quo attenditur perfectio bonitatis ipſius: undè cauſſa prædeſtinationis, nihil aliud eſt, quam bonitas ipſius Dei.* Quis porro non videat, hac ipſa ratione Angelica perindè evinci, tam non poſſe Angelorum prædeſtinationem, ex prævisis illorum meritis fieri, quàm nec hominum facta eſt? Ne in eo prædeſtinationis negotio, Divinæ voluntatis finis bonitas ipſa non eſſet.

Ejuſdem generis eſt altera receptiſſima ratio, quæ ex ordine mediorum, & finis vulgò a Teologis petitur. Si enim (quod ajunt illi, dum ea de re philoſophantur) *ordinatè volens prius vult finem, quàm media ad finem;* eaque de cauſſa prius decrevit Deus dare hominibus gloriam, quàm illis merita conferre decernat, quibus pervenitur ad gloriam: quis non videat, idem quoque debere in quacunque Angelorum, hominumve prædeſtinatione contingere? Ne ſi fieret aliter, Deuſque prius illorum merita præfiniret, quàm glo-

gloriam illorum meritis conferendam decerneret, inordinatè, imprudenterque velle, atque decernere cenſeretur.

Non me fugit, reſponſuros illos, ut elabantur, Angelorum, hominumque innocentum merita, non perindè ac lapſorum, ex efficaci gratia fuiſſe proditura, ſed ex ipſorum libero arbitrio: atque ita a Deo danda non fuiſſe ex intentione conferendæ gloriæ, ſed ut ſummè fuiſſe prævisa: Verùm nec illud me fugit, hoc illis ſuffugium ab Auguſtino fuiſſe præcluſum, tam disertè pronunciante *lib.* 14. *de Civit. Dei cap.* 10. *Sine gratia nec tunc ullum meritum eſſe potuiſſe: quia etſi peccatum in ſolo libero arbitrio erat conſtitutum, non tamen juſtitiæ retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium, niſi participatione immutabilis boni Divinum adjutorium præberetur.*

Quod utique de efficaci Divinæ gratiæ adjutorio dixit SS. Doctor; de illo nempe quo ex occulto Dei judicio deſtitutus eſt Adam, ut habet *Epiſt.* 186. cùm aliàs ſufficienti adjutorio, & *ſine quo* numquam fuerit deſtitutus.

II. Pari omnino ſtudio contendunt Auguſtiniani Theologi, Divinam Providentiam, illiuſque ſpeciem nobiliſſimam prædeſtinationem certam eſſe, non modò certitudine præſcientiæ, verùm etiam certitudine mediorum, quibus Deus creaturas rationales ad deſtinatum finem certò perducit. Ita poſtulante prædeſtinationis definitione, ab Auguſtino tradita *lib. de dono perſever. c.* 14. *Præſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberamur.* Id autem in Angelis falſum eſſe neceſſe eſt, ſi gratiis duntaxat verſatilibus, ex illorum aſſenſu, nutuque pendentibus inſtructi ponantur, ut poſſint perſeverare ſi velint; non itidem efficacibus, ut reipſa infallibiliter perſeverent.

Non ſum neſcius, reſponſuros Theologos illos, ſi ſuis quidem principiis ſtare velint, eam prædeſtinationem, quam mediorum certitudine pollere contendunt, lapſorum duntaxat hominum eſſe, non innocentum, ſi qui tales prædeſtinati fuiſſent; non itidem Angelorum, quos nullis per ſeſe efficacibus gratiis ad perſeverandum adjutos exiſtimant. At nec ignorare illos oportuit, Auguſtinum, quibus in locis eam prædeſtinationis infallibilitatem, ac certitudinem a mediis petit, ac probat, iis ſententiam ſuam momentis adſtruere, quæ ſi quid valent, de prædeſtinatione in univerſum tam Angelorum, quàm hominum perindè convincunt. Ait enim, ſi ea certitudine prædeſtinatio non conſtaret, Deum ab homine victum iri, nec fore illum omnipotentem; quippe qui ea in hypotheſi vitio ſuperaretur humano. *Lib. de corrept. grat. cap.* 7. *Illi ergo electi qui ſecundum propoſitum vocati, qui etiam prædeſtinati, atque præſciti. Horum ſi quiſquam perit, fallitur Deus; ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum ſi quiſquam perit, vitio huma-*

no

no vincitur Deus; ſed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. Et c. 14. *Cui* (Deo) *volenti ſalvum facere, nullum hominum reſiſtit arbitrium: Sic enim velle, ſeu nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. Et in Enchir. ad Laurentium cap. 39. Periclitatur ipſum noſtræ confeſſionis initium, quo nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur, ſi aliqua voluit facere Deus, & non fecit; & quod indignius eſt, ideo non fecit, quoniam, ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Placetne verò eruditiſſimis Theologis, ut Deum ab Angelo vinci, ac ſuperari poſſe dicamus; ſuaque Deum omnipotentia excidere, atque devolvi, in ſtatu naturæ innocentis?

III. Docent non abſimiliter laudati Theologi, conjunctis cum Schola Thomiſtica ſtudiis, Divinæ voluntatis decreta ſe ipſis eſſe efficaciſſima, nullaque ratione a creatæ voluntatis aſſenſu pendere; quin potius eandem voluntatem creatam ſibi facere obſequentem, ac ſervientem. Id porro quis ab imo ruere non ſtatim intelligat, in ea, quam modo tuentur, hypoteſi? cum repugnet omnino, decreta ſe ipſis efficacia, gratiis verſatilibus, liberoque arbitrio ſubditis, executioni demandari.

Nec ſuam ipſi ſecum repugnantiam, & antilogiam excuſabunt, ſi dixerint, decreta Dei de Angelis, & hominibus innocentibus efformata, non perinde a ſe ipſis efficacia eſſe oportere. Iis quippe momentis intimam Divinorum decretorum efficacitatem vindicat Auguſtinus, quæ Angelorum, primorumque Parentum ſtatum perinde contingunt: Ut quod pro ſuprema poteſtate, de ipſis hominum voluntatibus faciat ipſe quod vult: quod habeat humanorum cordium, quo voluerit, quando voluerit inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem: quod magis in poteſtate ſua voluntates hominum habeat, quàm ipſi ſuas, *lib. de corrept. & grat. cap. 14.* Quiſquis hæc Deo optimo maximo, ubi de Angelis, primiſque Parentibus agitur, negare voluerit; hunc certè, & Deum, & ſupremum illis Dominum eſſe, perinde neget oportet: cum ſint illi Divinitatis characteres, & indivulſa ſupremi omnium Domini jura.

IV. De ſcientia Dei quid ſtatuant, notum omnibus arbitror: eam ſcilicet rerum omnium cauſſam eſſe, non dirigentem modò verùm etiam efficientem: eaque ratione res non ideò a Deo ſciri, quod ſint; ſed ideo eſſe, quod ſciantur ab eo. At nunquid id omne, in illo ſuo, quod jactant ſyſtemate, falſiſſimum eſt? Sic enim bonus Angeli conſenſus gratiæ verſatili datus, bonus liberi arbitrii actus ab illo elicitus, ipſa demum in bono perſeverantia, non ideo fuere, quia ſciebantur a Deo, ſed ideo ſciebantur ab eo,

quia re ipſa fuere: cum bona illa non ſit operatus in eis Deus, gratia illa verſatili, ſed ea potius bona ab eis edenda expectaverit.

Nec audiendi, ſi fortè ad excuſandam antilogiam illam patentiſſimam, repoſuerint: Deum res Angelorum, innocentumque hominum aliter ſcire, aliter noſtras; ſervandamque eo etiam in capite variorum ſtatuum diſtinctionem. Hanc enim excuſationem illis præcidit Auguſtinus *lib.* 15. *de Trin. cap.* 13. ubi parem eo in capite creaturarum omnium, cum ſpiritualium, tum corporalium notitiam in Deo ponit, quovis in ſtatu operatricem, & effectricem, ut planè ſit ineptiſſimum velle in iis diſcrimen ponere. *Univerſas autem creaturas ſuas & ſpirituales, & corporales, non quia ſunt, ideo novit* (Deus,) *ſed ideo ſunt, quia novit. Non enim neſcivit quæ fuerat creaturus. Quia ergo ſcivit, creavit, non quia creavit, ſcivit.* Et *lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 10. *Occurrit animo quiddam mirum, ſed tamen verum, quod iſte Mundus nobis notus eſſe non poſſet, niſi eſſet; Deo autem niſi notus eſſet, eſſe non poſſet.*

Ut ſileam, hæc ipſa de Divina ſcientia Theoremata, quæ noſtris Auguſtinianis arrident longè maximè, metaphyſicis etiam rationibus niti: quæ certè ſi quid evincunt, fieri perinde non poſſe probant, ut ullo in ſtatu, res extra ſe poſitas, atque creatas ideo videat Deus, quia ſunt. Sic enim a ſuis objectis Divina ſcientia penderet, & ab illo veritatis, & certitudinis ſuæ menſuram peteret: Quod nullo in ſtatu fingi poteſt.

V. Quid hìc demum memorem ſcientiam mediam? Quo eam ſtudio inſectentur, oppugnent, tollantque de medio quotquot Auguſtini nomine gloriantur Theologi, iis ignotum arbitror, qui Theologicas Scholas ne quidem e limine ſalutarunt. Et tamen, quod mirere magis, quam una manu diruunt ſcientiam mediam, altera ædificant; dum gratiam tantùm verſatilem, atque ex liberi arbitrii aſſenſu pendulam in Angelis, primiſque Parentibus ponunt. Eliminata quippe gratia per ſe efficaci, rejectiſque decretis a ſe ipſis efficacibus, ſola Deo ſupereſt ſcientia media, cujus lumine futurum bonorum Angelorum aſſenſum, futuramque illorum perſeverantiam explorare potuerit. Quid ergo? An etiam tritam hìc excuſationem obtendent: repugnare quidem Deo ſcientiam mediam, in rebus ad ſtatum noſtrum ſpectantibus explorandis; non ita tamen in rebus ad ſtatum innocentiæ pertinentibus dignoſcendis? Quam turpiter, Deus bone! luduntur, qui cauſſas iſtas innectunt. Cum enim ſcientiam mediam repugnare Auguſtiniani Theologi probent, momentis ab ipſa etiam Divinæ ſcientiæ natura petitis; hujuſque, ut ita loquar, Metaphyſicam impoſſibilitatem oſtendant: dum ſcilicet quod jactatur a Molinia-

linianis ſcientiæ mediæ objectum , ***incertum***, ***dubium***, ac etiam ***fictitium*** eſſe demonſtrant, nullumque illi medium certum eſſe, & infallibile, (quale profectò ſcientiæ ratio poſtulat) ſexcentis argumentis evincunt : conſequens profectò eſt , ſcientiam mediam pro nullo rerum ſtatu admitti in Deo poſſe. Quæ enim ex ipſa ſui eſſentia pugnant, nullo in ordine poni , ac ne ipſa quidem mente concipi poſſunt.

Illud nunc reliquum eſt, ut poſt retecta hujuſce, quod impugnavimus, ſyſtematis incommoda conſectaria, patenteſque illius defenſorum antilogias ; quidquid ſpecioſi in eo fuci eſt , atque pigmenti , undè ſeſe ſuperbè circumſpicit, depellamus ; ne eo deinceps Auguſtiniani Theologi deludantur.

Digitized by Google

CAPUT XX.

Celebris D. Auguſtini cum Monachis Adrumetinis diſputatio refertur, undè tam ſpecioſa adverſæ ſententiæ probatio petitur.

I. QUamquam ſuperioribus huc uſque capitibus, omni probationum genere ſuſceptam Scholæ Thomiſticæ cauſſam oraverim; gratiamque ſe ipſa efficacem, Angelis, primiſque Parentibus neceſſariam, tam apertè, tamque dilucidè, ex Auguſtini mente, atque ſententia demonſtraverim; nulla ut apud æquos æſtimatores ſuboriri dubitatio poſſit: ſcrupulus nihilominus ſupereſt, iſque graviſſimus, quem eximere operæ pretium eſt, ne qua fortè nubecula poſitam in tanto lumine veritatem obnubilet. In hoc uno totam adverſæ ſententiæ vim ponunt Theologi recentiores, qui Auguſtino duce, atque Magiſtro gloriantur. Hoc uno ſcuto tectos ſe ſatis exiſtimant, adverſus quæcumque Scholæ Thomiſticæ tela. Hoc igitur uno ſubmoto, tota adverſæ ſententiæ machina corruet.

II. Auguſtini mens, inquiunt eruditi Theologi, ſi quo ex loco repetenda venit, ex eo maximè, quo quæſtionem iſtam totam, quanta quanta eſt, non obiter, ac defunctoriè, ſed data opera, atque ex inſtituto tractavit, atque reſolvit. Id porro ſemel duntaxat egit SS. Doctor, *lib. ſcilicet de corrept. & grat. capp.* 10. 11. & 12. Cum etenim toto illo libro Monachorum Adrumetinorum, obmurmurationes, adverſus traditam a ſemetipſo doctrinam, depellendas aggreſſus eſſet; res eo demum perducta eſt, ut de gratia primi hominis, & Angelorum quæſtio fieret, & qua potiſſimum ratione, a gratia lapſi hominis diſtinguatur, inquireretur. Facti ſpeciem, totamque Auguſtinianæ diſputationis ſeriem paucis exponam, ut SS. Doctoris mens, atque ſententia faciliùs percipiatur.

Statim atque internovere Adrumetini Monaſterii Monachi quoddam gratiæ genus ab Auguſtino adverſus Pelagianos prædicari, quæ ad omnes pietatis actus neceſſaria eſſet, nec tamen ullis meritis obtineretur, ſed a Deo pro nutu, atque arbitrio, quibus vellet, & quando vellet, conſerretur; venit illis in mentem pervulgata obmurmurantium objectio. Si ſic eſt, inquiebant, nemo itaque corripiendus eſt, ſi fortè bonum non agat, aut ſi non perſeveret in bono; cum nec agere bonum, nec perſeverare poſſit in bono ſine gra-

gratia, quam tamen nec dare ipſe ſibi, nec promereri a Deo poteſt: ſed Deus tantùm ſupplicandus erit, ut gratiam ipſe largiri dignetur, quam donec habuerit homo, implendo bono prorſus eſt impar.

Eam ut obmurmurationem (*a*) depelleret Auguſtinus librum edidit, cui idcirco titulum fecit *De correptione & gratia;* quo nimirum multis oſtendit argumentis, duo hæc optimè cohærere: hominem divina egere gratia, ut benè agat, & nihilominus corripiendum eſſe, ſi ea deſtitutus gratia benè non agat. Quia utrumque Scriptura monet, ac docet: primum quidem *Joannis* 15. *Sine me* (hoc eſt ſine gratia mea) *nihil poteſtis facere:* alterum *Matthæi* 18. *Si peccaverit, in te frater tuus, vade, & corripe eum &c.* Tum ſubinde correptionis utilitatem multis momentis evincit: ac tandem hanc ipſam obmurmurantium Monachorum querimoniam, diu antea ab Apoſtolo Paulo prævisam, & occupatam oſtendit, *ad Rom. cap.* 9. ubi cum gratuitæ prædeſtinationis, & gratiæ myſteria reſeraſſet, ſtatim e veſtigio hanc ſibi querulorum hominum objectionem opponit: *Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis reſiſtit?* hoc eſt, quid de nobis queritur Deus, ſi benè non agimus, cum ille voluntatis ſuæ nutu, cui reſiſtere nemo poteſt, gratiam deneget, ſine qua nihil poſſumus ad ſalutem? Cui tamen hoc unum habuit Apoſtolus quod reponeret: *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Annon habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*

III. En primam Auguſtini (*b*) adverſus obmurmurantes Monachos velitationem. At minus illi quieverunt. Rationem importuniùs efflagitarunt, cur peccati reus cenſeatur ille, atque ut talis ſeveriùs corripiatur, qui benè non agit, cum tamen eo deſtituatur auxilio, quod illi ut benè agat, neceſſarium omnino eſt. Reponebat ad hæc Auguſtinus, factum ex Scripturis apertè colligi, peccati ſcilicet reum eſſe, qui benè non agit; & gratiæ opem deſiderari, ut benè agat: facti verò rationem imprudenter omnino quæri, cum eam ignorare ſe profeſſus eſſet Apoſtolus, nec aliud, quod reponeret, habuiſſet, niſi: *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! ad Rom.* 11. Addebat SS. Doctor, res compertiſſimas negari a viro prudente non poſſe, tametſi earum quandoque rationes exploratæ non ſint, imò potius ignotæ. Ecquis enim æſtus reciprocationem in Oceano diffiteri vellet, ob id unum, quod ejus in hanc diem ratio explorata omnino non fuerit? Quis ven-

(*a*) Vide Prælectionem V. de ſtatu innocentiæ.
(*b*) Vide Prælectionem V. de ſtatu innocentiæ.

ventos idcirco vertat in dubium, quod impervia ſit illorum origo? Quis demum ruſticus eclipſim negare audeat, dum eam propriis videt oculis, quod ejus cauſſam ignoret? Quantò minus ergo in ordine gratiæ negari myſteria poſſunt, divinis in litteris luculenter expreſſa, quia myſteriorum rationes mente capere, divinæque voluntatis tremenda conſilia rimari non poſſumus? *Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* inquit Apoſtolus *ad Rom.* 11.

Hæc perbella quidem, ac etiam egregia, ſed ſurdis canebat auribus Auguſtinus. Volentem, nolentem congeſtis ſophiſmatibus Monachi coegerunt, ut aliquam tandem rationem afferret, quorſum Deus ſuam juſto retraheret gratiam, ſine qua perſeverare re ipſa in bono non poteſt; & tamen ille idem Deus, juſto, quod non perſeveret, vitio vertit? Repoſuit importunis cavillatoribus Auguſtinus, gratiam juſtis temporaneis ſubtrahi, *quia non ſunt a maſſa perditionis æterna Dei prædeſtinatione diſcreti:* hoc eſt, ſubtrahi gratiam ob demerita primi Parentis, ad nos uſque carnali generatione transfuſa.

IV. Tempus erat ut faſces victori ſubmitterent lymphati diſputatores. At longè ſecùs accidit res: quin potius eo SS. Doctoris reſponſo concitati, eum ſuis ipſius retibus implicare tentarunt, objecto primi Parentis exemplo, cui gratia ad perſeverandum neceſſaria denegata eſt, in primævæ innocentiæ ſtatu; tametſi ob aliquam priſtinæ corruptionis maſſam, alteriuſque primi Parentis demerita, ei denegata gratia obtendi non poſſit. Hanc ultimam Auguſtino difficultatem objectam, ipſiuſmet verbis exponam. Hujus enim occaſione coactus eſt SS. Doctor, quæſtionem de gratia primi Hominis, & Angelorum pertractare, undè tam grave adverſus Thomiſticam Scholam petitur argumentum.

Hic exoritur alia quæſtio (verba ſunt Auguſtini *cap.* 10.) *Non ſanè contemnenda, ſed in adjutorio Domini, in cujus manu ſunt & nos, & ſermones noſtri, aggredienda, atque ſolvenda. Quæritur enim a nobis, quantum attinet ad hoc donum Dei, quod eſt in bono perſeverare uſque in finem, quid de ipſo primo homine ſentiamus, qui certè ſine ullo vitio factus eſt rectus?* Tum poſtea nonnullis interjectis, objectam ſibi difficultatem ita proponit: *Sed illud magis quærendum, operoſiuſque tractandum eſt, quomodo reſpondeamus eis qui dicunt*, ſi in illa rectitudine, in qua ſine vitio factus eſt (*Adam*) habuit perſeverantiam, procul dubio perſeveravit in ea: *Et ſi perſeveravit, utique non peccavit, nec illam ſuam rectitudinem, Deumque deſeruit. Eum autem peccaſſe, & deſertorem boni fuiſſe, veritas clamat. Non ergo habuit in illo bono perſeverantiam: & ſi non habuit, non utique accepit. Quomodo enim, & accepiſſet perſeve-*

ran-

rantiam, & non perſeveraſſet? Porro ſi propterea non habuit, quia non accepit, quid ipſe non perſeverando peccavit, qui perſeverantiam non accepit? Neque enim dici poteſt, ideo non accepiſſe, quia non eſt diſcretus à maſſa perditionis gratiæ largitate. Nondum quippe erat illa in genere humano perditionis maſſa antequam peccaſſet, ex quo tracta eſt origo vitiata.

V. En adverſæ partis argumentum. Quid ad hoc porro reponit SS. Doctor? An ſtatutam a nobis, in ſuperioribus capitibus, gratiæ per ſe efficacis hypotheſim arripit, ut eam Adamo ad perſeverandum neceſſariam fateatur? Imò potius ad oppoſitum ſyſtema videtur accedere, ut nodum ſibi propoſitum ſolvat, quo ſolo ſolvi poſſe videtur. Alterius quippe generis gratiam Adamo neceſſariam fuiſſe reſpondet, quàm nunc neceſſaria ſit juſtis. Hunc gratia duntaxat verſatili eguiſſe decernit, (ſi novis quidem interpretibus credimus) gratia inquam, cujus efficacitas, vel inefficacitas ex voluntatis aſſenſu, vel diſſenſu ſuſpenderetur: eoque pacto totam obmurmurantium Monachorum difficultatem feliciter eluit. Si enim gratia duntaxat ſufficienti, ut Schola loquitur, atque verſatili egebat Adamus, ut in accepta juſtitia perſeveraret; & ejus duntaxat arbitrio commiſſa erat plena perſeverandi poteſtas, abſque ullius potentioris gratiæ ope; planum omnino eſt, illum non perſeverando peccaſſe; nec de ſubtracto ſibi auxilio conqueri potuiſſe: cum nullum ipſi in hac hypotheſi ſubtractum eſſet auxilium, ſed ipſe ſolus auxilio verſatili uti noluiſſet. Auguſtini reſponſum audiamus, an ita re ipſa propoſitum ſibi nodum diſſolvat.

Duplex in primis diſtinguit adjutorium: *adjutorium ſine quo non fit bonum opus*, quod ſufficiens Schola vocitat, & *adjutorium quo re ipſa fit opus*, hoc eſt, efficax. Utriuſque ponit exemplum. Alimentum, inquit, adjutorium eſt, ſine quo non vivitur, non tamen quo re ipſa infallibiliter vivitur, ſi quis eo neglecto, mori voluerit: Beatitudo e contrario adjutorium eſt, non ſolùm ſine quo quis beatus eſſe non poteſt, ſed quo quis re ipſa beatus eſt. Tum ea poſita duplicis adjutorii diſtinctione, ita quæſtioni ſatisfacere aggreditur: *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret, ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc vero ſanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur; non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint*. En expeditum Auguſtini reſponſum, quo liquet

quet planè gratiam ad perſeverandum efficacem Adamo re ipſa non fuiſſe collatam.

VI. Verùm cum ea de re dubitatio nulla eſſe poſſet, nec id in quæſtionem a Monachis Adrumetinis propriè vocaretur: (Adamum enim non perſeveraſſe quis neſciat?) ſed potius an ad perſeverandum efficaci gratia eguiſſet: an illi e contrario auxilium *ſine quo non*, ſeu ſufficiens gratia, qua donatus erat, ſatis eſſet ad perſeverandum, modò illam liberi arbitri aſſenſu redderet efficacem: ita præmiſerat SS. Doctor, ſtatuumque humanæ naturæ differentiam conſtituerat: *Nec ipſum ergo Deus eſſe voluit ſine ſua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio. Quoniam liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem parum eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono. Quod adjutorium ſi homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus; ſed deſeruit, & deſertus eſt. Tale quippe erat adjutorium, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet; non quo fieret ut vellet. Hæc prima eſt gratia, quæ data eſt primo Adam: ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam.* (En tibi ſtatuum diſtinctionem) *Prima eſt enim qua fit, ut habeat homo juſtitiam, ſi velit: ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat.* Quibus verbis gratiam verſatilem Adamo datam delineaſſe videtur, cujus ſcilicet exitus ex ipſius penderet arbitrio, ut ſine novæ gratiæ ope, in juſtitia perſeveraret, ſi vellet; aut ab illa excideret, ſi ſtare re ipſa nollet: quo ex capite a ſanctis hujuſce præſentis ſtatus ſecerneretur; quibus non ea duntaxat gratia datur, qua poſſint perſeverare, ſi velint, ſed ea qua re ipſa præſtatur, ut velint.

Hoc idem diſtinctiùs aſſerit Auguſtinus, & bonorum Angelorum exemplo confirmat: quos, ſi novis interpretibus fides eſt, cum ſola gratia verſatili, quæ reprobis etiam Angelis data fuerat, perſeveraſſe contendit, ſolo libero arbitrio gratiæ verſatilitatem, & indifferentiam determinante. *Dederat*, inquit, *adjutorium* (*Adamo*) *ſine quo* in bona voluntate *non poſſet permanere ſi vellet, ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Poſſet ergo permanere ſi vellet, quia non deerat adjutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò ejus culpa eſt; cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet: ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus permanſionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam ſcilicet beatitu-*

dinis

dinis plenitudinem , qua eis certiſſimum ſit , ſemper ſe in illa eſſe manſuros.

Quid plura ? Rationem præmittit SS. Doctor, cur Deus tam diverſi generis gratias Angelis, & hominibus innocentibus deſtinaverit, a gratiis ſtatus naturæ lapſæ tantopere diſcrepantes ; illas ſcilicet libero relictas arbitrio, ut pro illius nutu efficaces evaderent ; iſtas liberi arbitrii dominas, atque victrices. *Sic Deus ordinavit Angelorum, & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium.* Adeo verum eſt, inquiunt Theologi recentiores, Angelorum, & primi hominis gratiam libero eorum arbitrio fuiſſe ſubditam, quoad uſum : quod quantum nativis viribus poſſet, eo in ſtatu oſtendere voluit naturæ conditor Deus. Undè & ſubdit Auguſtinus : *Angeli quidam, quorum princeps eſt qui dicitur Diabolus, per liberum arbitrium a Domino Deo refugæ facti ſunt. Refugientes tamen ejus bonitatem, qua beati fuerunt,* (naturaliter) *non potuerunt ejus effugere judicium, per quod miſerrimi effecti ſunt. Cæteri autem per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt, eamque de ſuo caſu nunquam futuro certiſſimam ſcire meruerunt.*

VII. Iis omnibus propoſitam ſibi a Monachis Adrumetinis difficultatem eliquavit Auguſtinus, ut nulla jam nubecula ſuperfuſa remaneret ; ſed eliminato, ut dicitur, atque rejecto Thomiſticæ Scholæ ſyſtemate. Quærentibus enim illis, qua ratione peccati reus eſſet Adam, quod in accepta juſtitia non perſeveraverit ; cum gratia ad perſeverandum neceſſaria fuiſſet a Deo deſtitutus, abſque ulla ſui culpa, nulloque precedente originis vitio : Reſpondet idcirco peccaſſe, quia nulla ad perſeverandum neceſſaria gratia privabatur ; quippe qui nullo niſi verſatili illo, quo donatus erat auxilio indigebat ; ſatiſque illi erat, ſi illud ſuo aſſenſu redderet efficax. Quod cum non egerit, tota in illum culpa refunditur ; nulla in Deum querela regeri poteſt, qui totum illi contulerat, quod ad plenam, cumulatamque perſeverantiam ſatis eſſet, ſi ſuum ipſe conſenſum adjungere voluiſſet.

Et verò ſi Auguſtinus Thomiſticæ Scholæ ſyſtema tenuiſſet, gratiamque ſe ipſa efficacem Adamo neceſſariam exiſtimaſſet, non video, inquit Janſenius, quis ſuæ illius ad Monachos Adrumetinos reſponſionis ſenſus eſſet : Quænam ab illo fuiſſet objectæ difficultati data reſponſio : plus dico, non video quid ad illam eluendam reponere potuiſſet : quid Thomiſtæ reponere poſſint, ad infirmorum ſcrupulos eximendos, ſi ſuis de gratia per ſe efficaci, Adamo, & Angelis neceſſaria, principiis ſtare velint.

Sic ſuam Theologi recentiores contra Thomiſtas cauſſam o-

rant : ſic & ego illorum nomine , tamquam aſſumpta ad tempus larva peroravi : nec difficultatem , quam graviſſimam fateor , a me diſſimulatam conqueri poſſint . In ſequentibus ad ingenium reverſus offucias illas omnes diſſipabo : mentemque Auguſtini Monachorum Adrumetinorum ſcrupulos eximentis , Scholæ Thomiſticæ per omnia congruentem oſtendam , ac porro convincam.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXI.

Argumenti ex Auguſtini cum Monachis diſputatione deſumpti futilitas denudatur: Vana quorundam in eo jactando gloriatio retunditur.

I. AD criſim itaque veniat prolixum illud, multiſque verborum phaleris ornatum Theologorum Auguſtinienſium argumentum. Quo quidem, ſi rectè capio, gratiam ſe ipſa efficacem primo homini innocenti, ad perſeverandum minimè neceſſariam, moliuntur oſtendere, eo maximè titulo, quod ea de re a Monachis Adrumetinis interrogatus aliàs Auguſtinus, primum hominem innocentem ab homine lapſo ea duntaxat ratione diſtinxerit, toto paſſim *lib. de corrept. & grat.* quod ille auxilio *ſine quo non*, hoc eſt ſufficienti, ut Schola loquitur, ſolùm inſtructus, integram perſeverandi facultatem in libero arbitrio relictam haberet; cum contra homo originali vulnere ſauciatus, efficaci ad perſeverandum auxilio egeat, quo Deus in illo operetur & velle; nec modò perſeverandi potentiam, ſed & ipſam perſeverantiam largiatur.

Eo planè recidit tota contra nos laudatorum Theologorum argumentatio: cui illi uſque adeo fidunt, ut eam duplicis adjutorii, *quo ſit opus*, & *ſine quo non ſit*, diſtinctionem; eamque lapſum inter & ſanum hominem differentiam, unicam Auguſtinianæ doctrinæ clavim appellent; qua prætermiſſa, neceſſe eſt toto aberret oſtio quiſquis ad ejus doctrinam perdiſcendam accedit: baſim dictitent, cui tota incumbat Auguſtinianæ doctrinæ ſumma; qua ſubmota, totum ruat neceſſe eſt ædificium: armamentarium, unde arma victricia adverſus quoſcumque gratiæ hoſtes petenda ſint: annulum, qui cæterorum de divina gratia dogmatum catenam trahit: filum denique veluti Ariadneum, quo niſi quis regatur, tota Auguſtini doctrina merus eſt labyrinthus. Sic enim amplificare res ſuas ſolent, magnaque verborum pompa ſuis mercibus pretium facere. Non poſſum ego (detur mihi, ſi dixero, venia) non poſſum inquam criterium illud de diſtinctione aliàs celeberrima, judiciumque æquo animo ferre; quo ſummæ imprudentiæ arguitur Auguſtinus, in cœleſti illa ſua de divina gratia tradenda doctrina, atque in Pelagiana hæreſi debellanda.

II. Liquet enimvero D. Auguſtinum *lib. de corrept. & grat.* ubi eam duplicis adjutorii diſtinctionem, eamque lapſum inter & ſa-

num hominem differentiam conſtituit, ſub vitæ ſuæ finem elucubraſſe. Si tamen Proſpero fides eſt, viginti & amplius annis in anteceſſum, contra inimicos gratiæ Dei, Catholica acies, Auguſtini ductu pugnarat, & vicerat. Quæ ergo tot annis victoria eſſe potuiſſet, ſi nondum arma illa, quibus victoria comparari poterat, Auguſtinus exeruiſſet? quibus armis confectum eſt bellum, ſi ſua nondum hujus certaminis primarius Dux Auguſtinus in acie protuliſſet? Vanus igitur tot annis fuiſſet Eccleſiæ de proſtrata hæreſi Pelagiana triumphus, ſi eo in capite ſita eſſet Auguſtinianæ doctrinæ baſis, quod in ſolo *libro de correpť. & grat.* poſitum fuiſſe compertum eſt.

Sed & illos Monachos Adrumetinos turpiter deluſiſſet Auguſtinus, ſi ea Theologorum laudatorum obſervatio veritate niteretur. Ille etenim ſtatim intellectis Monaſterii Adrumetini de divina gratia diſſenſionibus, *Librum de gratia & libero arbitrio* a ſe jampridem editum miſit, utque illum aſſiduè legerent, vehementer eſt adhortatus: *Si ergo*, inquit, *librum hunc fructuoſiſſimum habere vultis, non vos pigeat relegendo habere notiſſimum, ut dilucidiſſimè ſciatis, quibus, & qualibus quæſtionibus ſolvendis, atque ſanandis non ibi humana, ſed divina occurrat auctoritas; & a qua recedere non debemus, ſi volumus pervenire quo tendimus. Et Epiſt.* 215. *ad Valentinum Abbatem, Scripſi ad vos etiam librum* (de grat. & libero arbitr.) *quem ſi, adjuvante Domino, diligenter legeritis, & vivaciter intellexeritis, nullas exiſtimo inter vos de hac re diſſenſiones ulterius jam futuras*. Num quæſo per fidem veſtram, clauſum, obſeratumque librum mittebat ipſis Auguſtinus, nondum miſſa doctrinæ ſuæ clavi? Num incautos illos, & inexpertos in labyrinthum itinere deerraturos conjiciebat, Ariadneo filo, cujus unius ope emergere poſſent, necdum contexto, atque tranſmiſſo? falsòque commendabat opus, in quo dilucidiſſimè non ſolum humana, ſed & divina authoritas occurreret, ſolvendis de divina gratia quæſtionibus opportuna? Nondum enim librum *de correpť. & grat.* SS. Doctor ediderat; neque eam duplicis adjutorii *quo*, & *ſine quo* celebrem diviſionem, pro variis humanæ naturæ ſtatibus, docuerat; qua incognita, ſi Theologis illis quidem credimus, neceſſe erat tanquam cœcos in meridie palpare eos, quos lucidiſſimè inſtructos exiſtimabat nihilominus Auguſtinus. Perperam ergo celebrem illam duplicis adjutorii diſtinctionem, in libro duntaxat *de correpť. & grat.* ab Auguſtino datam, veluti totius Auguſtinianæ doctrinæ clavim, ac baſim haberi volunt.

III. Ecquis etiam ſibi facilè in animum inducat, Auguſtinum, quo nemo certiùs, nemo firmiùs jactis ſemel, quacumque de re diſputaret, doctrinæ ſuæ principiis ſtetit, vulgari tandem Monacho-

thorum Adrumetinorum difficultate pulſatum , ſub ipſum vitæ finem , ut ab ea expediret ſe ſe , poſita millies toto vitæ decurſu doctrinæ principia , eademque adverſus Pelagianos conſtantiſſimè defenſata, brevi pagella deſeruiſſe , evertiſſe, concuſſiſſe ; novumque poſuiſſe doctrinæ principium, toto , ut illi quidem autumant, cœlo diverſum , imò palam , apertèque contrarium ? Minus profectò quotquot id effutiunt, Auguſtini gloriæ conſudunt , minus ſuæ , ſi hac ipſa difficultate preſſi , a conſtitutis ſemel doctrinæ principiis divelluntur, aliaque pro arbitrio conſtituunt, quæ cum priſtinis apertè collidunt.

IV. Certè quàm ſit futile quod ex prolixa illa Divi Auguſtini , contra Monachos Adrumetinos diſputatione , petitur argumentum , ad efficacis gratiæ neceſſitatem ab ſtatu naturæ innocentis elimandam ; vel ex hoc uno facilè deprehenderis : quòd quæ illic ab Auguſtino fusè ſunt diſputata , ac ſæpius inculcata , eadem illa a Divo Thoma compendio ſint dicta, & ab eo ex Sanctiſſimo Hipponenſi Præſule , mutuo accepta , delibata , & comprobata ; quem tamen idcirco nemo dixerit , gratiæ ſe ipſa efficacis neceſſitatem a ſtatu innocentiæ rejeciſſe . Audi Doctorem Angelicum Auguſtini lingua loquentem 1. 2. *qu.* 109. *art.* 10. *ad* 3. *Sicut Auguſtinus dicit in libro de natura , & gratia* (*Cap.* 48. & apertiùs *libro de corrept. & grat. Cap.* 12.) *Homo in primo ſtatu accepit donum, per quod perſeverare poſſet , non autem accepit , ut perſeveraret : nunc autem per gratiam Chriſti multi accipiunt & donum gratiæ , quo perſeverare poſſunt , & ulterius eis datur , quod perſeverent : & ſic donum Chriſti eſt majus , quam delictum Adæ . Et tamen faciliùs homo per gratiæ donum perſeverare poterat in ſtatu innocentiæ , in quo nulla erat rebellio carnis ad ſpiritum , quàm nunc poſſumus , quando reparatio gratiæ Chriſti , etſi ſit inchoata quantum ad mentem , nondum tamen eſt conſummata quantum ad carnem , quod erit in patria , ubi homo non ſolum perſeverare poterit , ſed etiam peccare non poterit .* Preſſiùs verò atque diſtinctiùs 2. 2. *qu.* 137. *Art.* 4. *ad* 2. *Dicendum quod ſicut Auguſtinus dicit in* libro de Correpṭ. & grat. *primo homini datum eſt , non ut perſeveraret , ſed ut perſeverare poſſet per liberum arbitrium , quia nulla corruptio tunc erat in humana natura , quæ perſeverandi difficultatem præberet . Sed nunc prædeſtinatis per gratiam Chriſti , non ſolùm datur ut perſerverare poſſint , ſed etiam ut perſeverent . Undè primus homo , nullo terrente , contra Dei terrentis imperium , libero uſus arbitrio , non ſtetit in tanta felicitate , cum tanta non peccandi facilitate : iſti autem ſæviente mundo ne ſtarent , ſteterunt in fide .* Hæc Divus Thomas Auguſtinum ſecutus , ac etiam ſyllabatim exſcribens . Quæ tu dum legis , uti negatam ab Angelico Doctore , in

ſtatu

ſtatu naturæ innocentis , efficacis gratiæ neceſſitatem minimè colligis ; quam ſexcentis plus minus locis ab eodem propugnatam agnoſcis: quid hanc ipſam ab Auguſtino, ex quo illa ſumpta ſunt, negatam effutis? Quodque ridendum magis , hanc ipſam variorum naturæ ſtatuum diſtinctionem , in quorum uno nulla ſit unquam efficax gratia neceſſaria , Auguſtinianæ doctrinæ baſim , & fundamentum occentas ; undè tota Doctor Angelicus aberraverit via?

Digitized by Google

C A P U T XXII.

Certa D. Auguſtini mens aperitur: recta duplicis adjutorii intelligentia traditur: vera humanæ naturæ ſtatuum differentia declaratur.

I. AGe verò, & ſi ſuperis placet, ea duplicis adjutorii adeo celebrata diſtinctio, Auguſtinianæ doctrinæ baſis habeatur, & clavis, non repugno, modò recto, germanoque ſenſu accipiatur: quem hic paucis exponere ſatis erit, ad tela illa omnia retundenda, quæ ex prolixa illa Auguſtini contra Monachos Adrumetinos diſputatione, adverſus ſcholam Thomiſticam, exeri ſolent.

Illud itaque ſcire juvat, non congruere inter ſe Theologos univerſos, quid nomine *adjutorii ſine quo non* intellexerit Auguſtinus. Sunt qui eo nomine intellectum ab eo velint donum ipſum origiginalis juſtitiæ, gratiam ſcilicet illam habitualem uberrimam, cumulatiſſimamque, quæ partem hominis ſuperiorem Deo, inferiorem rationi ſubjiciebat. Alii fuiſſe dicunt donum aliquod habituale, aut certè habitui ſimile, originalis juſtitiæ dono ſuperadditum: continuum ſcilicet, ut ipſimet interpretantur, Dei in hominem influxum, quo & intellectui ejus fomentum luminis, & voluntati fomentum boni affectus ſubminiſtraretur: ſine quo juſtitia ejus paulatim defectura eſſet; quemadmodum & oleo deficiente lucerna paulatim extinguitur, & deficiente cibo animal tandem abſumitur. Utri veriùs ſentiant, expendere in præſentia non eſt opus: cum quidquid demum eo nomine lubeat intelligi, perinde omnino ſit, ad præſens quod hic agitur inſtitutum: In quo non de adjutorio *ſine quo non ſit opus*, vertitur quæſtio; quod nemo negat, Adamo fuiſſe neceſſarium ad benè agendum, perſeverandumque, & Adamo fuiſſe conceſſum. Illud tantùm intereſt obſervare, donum illud habituale, qualecunque tandem ſit, non incongruè a Theologis recentioribus, auxilium ad bonum agendum, aut perſeverandum in bono *ſufficiens* appellari: quia per habitus ſupernaturales, virtuteſque infuſas homo redditur potens, ut ſupernaturaliter operetur. Quo ſenſu Doctor Angelicus 1. 2. *quæſt.* 106. *art.* 2. *ad.* 2. docet, *quod lex nova . . . . quantum eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum*: gratiam habitualem auxilii ſufficientis nomine, dubio procul intelligens. Quamquam aliunde non deſint, in natura ſaltem lapſa, gratiæ actuales, quas eo etiam nomine appellamus.

In id verò conſentiunt Theologi univerſi, nomine *adjutorii quo ſit opus*, de quo hic prolixè differit Auguſtinus, ac num Adamo neceſſarium fuerit diſputatur, gratiam actualem, & efficacem intelligi. Hac enim adjutus homo, bonum re ipſa facit opus, utque illud faciat, datur a Deo quotieſcunque ex ejus liberalitate donatur.

II. Illud porro adjutorium, (ut ad rem, quæ nobis in manibus eſt, veniamus) quamquam utroque in ſtatu humanæ naturæ, atque etiam in Angelis, ſe ipſo ſit efficax, (quod tam multis probavimus argumentis) non ejuſdem tamen quocunque in ſtatu conditionis eſt, & efficaciæ. Sanis datum hominibus, atque Angelis, adjuvans duntaxat eſt, non itidem ſanans; lapſis hominibus datum, ſanans ſimul eſt atque adjuvans. Quo fit ut prioribus ſanas jam atque integras vires habentibus, nullas novas vires adjiciat, ſed habitas duntaxat juvet, easdem operi applicando, determinando, efficaciterque movendo: poſterioribus vero fractas jam, quaſſaſque ex ægritudine vires habentibus, novas vires afferat, robur novum, fortitudinem novam adjiciat, ſimulque operi applicet, determinet, moveatque efficaciſſimè. Uti planè ſi vir corpore ſanus, & benè valens in præruptum locum velit aſcendere, adjutorio quidem eget ille, quo aſcendat, ſcala nimirum admota; at novas ſibi vires addi non poſtulat, ſat ſuis benè uſurus, dum ſcalam habuerit. Verùm ſi aſcendere velit æger, morboque debilitatus, ſatis illi ſcala non erit, ſed novas ſibi dari vires, fractaſque reſtitui poſtulabit, ut vel ſcalæ pedem admoveat.

Ex quo tamen conſequens non eſt, hominem novis illis inſtructum viribus, novoque robore donatum, ad ſtatum originalis juſtitiæ redire, priſtinæque ſanitati reſtitui: quia non ſunt vires illæ ad modum habitus permanentis, ſed ad inſtar virtutis alicujus vialis, ac tranſitoriæ. Cujus hanc invictam rationem affert Antoninus Reginaldus *part.* 2. *Cap.* 30. *de Mente Concilii Tridentini*, *circa gratiam per ſe efficacem*: *Non poteſt gratia illa morbum expellere, ac priſtinam reſarcire ſanitatem, niſi eo modo, quo ipſa confertur, & exiſtit: cumque ipſa detur, & exiſtat ſolùm per modum motionis tranſeuntis; præcisè ratione ſui non poteſt, niſi tranſeunter hujuſmodi morbum expellere, & valetudinem reparare. Hoc igitur præſtat hæc gratia tranſeunter, ut homo ſe Deo perfectè plus minuſve ſubjiciat, & partem inferiorem ſuperiori ex vi illius ſupponat. Et in hoc differt a gratia efficaci Angelorum, & hominis innocentis: hæc enim gratia præſupponebat hominem, & Angelum perfectè Deo ſubjectos, ratione prioris illius juſtitiæ, quam in creatione habuerant: ac ſolùm vires habitualiter præexiſtentes applicabat ad opus; gratia verò efficax in homine lapſo, applicando voluntatem ad actum, illam Deo, &* appe-

appetitum ſenſibilem rationali ſubjicit , non permanenter , ſed ad modum tranſeuntis , & quoad illum duntaxat actum.

III. Certè *adjutorii quo* ſtatus naturæ lapſæ id eſſe proprium , ac peculiare, ut non modò voluntatem applicet operi, & opus explicet voluntati , verùm etiam vires addat novas , robur adjiciat (quo nunc capite ſtat rei ſumma) adeo eſt in Auguſtini doctrina certiſſimum, ut planè mirer, potuiſſe Theologos aliquos ea de re dubitare ; gratiæque actualis efficacitatem in nuda voluntatis applicatione , & determinatione (qualis etiam in natura innocenti contingeret) collocaſſe . Quod nobis eſt in præſenti cumulatiſſimè demonſtrandum ; antequam objectam ex Auguſtini verbis difficultatem expediamus. *Certum eſt*, inquit ille *lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. nos velle cum volumus: ſed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum eſt*, præparatur voluntas a Domino . . . . . . *Certum eſt nos facere , cum facimus ; ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati* . Quæ verò, amabò , gratia illa eſt, qua facit Deus, ut velimus , ut faciamus, niſi efficax actualis ? Et hæc porro *præbet*, Auguſtino judice, *vires efficaciſſimas voluntati*.

Et *lib. de Perfectione juſtitiæ cap.* 10. Gratiam , qua Divina mandata ab hominibus juſtis faciliter , ac ſuaviter adimplentur , (quæ profectò nonniſi efficax eſt) *Donum facultatis* appellat , quo fit, ut *vires accipiant* homines, quibus mandata Dei, qualia commendantur, adimpleant. Quod utique perperam diceretur, ſi nihil novarum virium , nihil novæ facultatis afferret , ac daret efficax gratia; ſed præhabitas vires, facultatemque duntaxat operi applicaret. *Nec aliam ob cauſſam Scriptura commemorat , non eſſe gravia Divina præcepta, niſi ut anima, quæ illa gravia ſentit, intelligat, ſe nondum accepiſſe vires , quibus talia ſint præcepta Domini , qualia commendantur, levia ſcilicet atque ſuavia, & oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis.*

Non abſimiliter *cap.* 3. *lib. de præd. SS. Neque velle poſſumus, niſi vocemur: & cum poſt vocationem voluerimus, non ſufficit voluntas noſtra , & curſus noſter , niſi Deus , & vires currentibus præbeat , & perducat quò vocat* . Et *lib. de corrept. & grat. cap.* 11. *Juſti nunc in certamine laborantes, dari ſibi pugnandi, vincendique virtutem, per Chriſti gratiam poſcunt* . En tibi rurſus gratiam in hocce præſenti ſtatu efficacem , vires currentibus præbentem, vincendique virtutem certantibus adferentem.

Pari omnino ſenſu *lib. de nat. & grat. cap.* 42. *Neque de ipſa poſſibilitate contendo, cum ſanata , & adjuta hominis voluntate , poſſibilitas ipſa ſimul cum effectu in Sanctis proveniat*. Gratia igitur adjuvans , quæ boni operis effectum largitur Sanctis , quæque idcirco efficax vocitatur , novum quoque *poſſibilitatis* gradum iiſ-

dem largitur, & donat: quod abſque novarum virium, noviqu**e** roboris largitione præſtari non poteſt.

Quid quod inſuperabilem ad perſeverandum *fortitudinem* per gratiam, (utique efficacem) tribui, verbis conceptiſſimis docet *lib. de corrept. & grat. cap.* 8. *Voluntas quippe humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratia potius libertatem, & ut perſeveret delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem.* Quid porro nova illa fortitudo ſonat, niſi robur novum, vires novas?

Hoc idem ſignificatum voluit SS. Doctor, præclara illa ſententia, *lib. de grat. & lib. arbit. c.* 17. *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam, & invalidam: poterit autem, cum magnam habuerit, & robuſtam.* Ea quippe Antitheſis, inter hominem ſufficientibus duntaxat auxiliis adjutum, qui idcirco mandatum Dei implere cum velit, non tamen complete poteſt, plenè, atque perfectè; hominemque viciſſim efficaci gratia motum, qui mandatum implere completè poteſt, atque pleniſſimè, quia magnam tunc habet, atque robuſtam voluntatem: ea, inquam, Antitheſis plus ſatis oſtendit, gratiam efficacem præſentis ſtatus *robur* afferre, & *magnitudinem voluntatis*; non voluntatem operi ſimpliciter applicare.

Evincit id multò magis efficacis gratiæ conditio, qualis in ſtatu naturæ lapſæ, juſtis etiam, atque regeneratis conceditur. Hæc enim non adjuvans duntaxat eſt, ſed & ſanans, virtutemque medicam habet. Quia tametſi per habitualem, & ſanctificantem gratiam deleta ſit in juſtis iniquitas, non eſt tamen ex integro ſanata in illis infirmitas, ſed ad finem uſque vitæ curanda relinquitur: ut egregiè explicat Auguſtinus *Serm.* 131. Quonam autem pacto, efficax gratia medicam vim poſſet habere, relictamque naturæ infirmitatem, atque languorem ad finem uſque curare; niſi novas homini etiam juſto vires adderet, novumque illi robur afferret? Cum enim reſiduus poſt juſtificationem naturæ languor, atque infirmitas, nil niſi acceptarum in creatione virium attenuatio, roboriſque defectio ſit; profectò ſola virium, roboriſque acceſſione curari poteſt.

Quid etiam, quod Divinæ Litteræ, Romani Pontifices, Sacra Concilia, Eccleſiæ Patres Hæreſis Pelagianæ debellatores, infinitis propemodum locis, ubi de gratia efficaci ad bonum opus neceſſaria, diſtinctè loquuntur, haſce loquendi formulas ſoleant uſurpare: *Hominem ſine hujuſmodi gratia, præſtare bonum, aut perſeverare in bono non poſſe . . . . . . Hominem, ea ſibi conceſſa gratia, jam poſſe, quod ſine illa non poterat . . . . . Dare hujuſmodi gratiam homini juſto, ut benè agere poſſit, quod antea non valebat &c.* aliaſque non abſimiles, quæ potentiam novam agendi, per effi-

efficacem gratiam dari, apertè ſignificant. Chriſtus *Joannis Cap. 6. v. 44. Cap. 13. v. 36. Cap. 15. v. 5. Innocentius I. Epiſt. ad Epiſc. Africæ, inter Auguſtinianas, nunc 181. S. Leo Serm. 37. Cæleſtinus 1. in Capitulis. Concilium Carthaginenſe anni 418. Can. 6. Concilium Arauſicanum II. Can. 25. Tridentinum Seſſione 6. Can. 22. S. Auguſtinus lib. de gratia Chriſti Capp. 10. & 26. lib. de gratia, & libero arbitrio Cap. 17. lib. 2. Contra duas Epiſtolas Pelagianorum Cap. 9. lib. 1. Operis imperfecti cap. 97. Lib. de corrept. & gratia c. 12. Tractatu 92. in Joannem, Sermone nunc 296. Epiſtola ad Paulinum nunc 186. S. Proſper Epiſtola ad Rufinum, & lib. contra Collatorem Cap. 5. S. Thomas quæſt. 24. de veritate art. 14.* Quæ ſanè loquendi formulæ Patribus, Pontificibus, atque Conciciliis familiares, cum nonniſi de potentia completiſſima, pleniſſima, perfectiſſima, actuique proxima, atque conjuncta, explicari poſſint, ac debeant: (aliàs enim nemo neſcit, unicuique homini, ac potiſſimùm juſto, efficaci gratia certis in caſibus deſtituto, veram, propriam, internamque benè agendi poteſtatem ſemper adeſſe, tametſi non perinde completam, atque perfectam:) illud profectò relinquitur, gratiam efficacem ſtatus naturæ lapſæ, novum aliquem poteſtatis gradum afferre; atque adeo vires novas, robur novum, iis quibus Divina bonitate tribuitur, elargiri.

Hoc ipſum ſtatuiſſe videtur ſacra Synodus Tridentina *Seſſ. 6. de Juſtif. c.* 11. prægravi illa ſententia, ex Auguſtino delibata *lib. de Nat. & grat. cap.* 43. & *Epiſt.* 157. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Quibus quidem verbis ſignificat ſacra Synodus, Divina præcepta, certo quodam potentiæ genere, viro etiam juſtificato, de quo illic ſermo eſt, quandoque eſſe impoſſibilia. Quomodo enim non ſunt quodam ſenſu impoſſibilia homini, ſi quodam ſenſu homo *non poteſt*, & ideo petere debet *ut poſſit*? fruſtra enim peteret homo hujuſmodi *poſſe*, ſi jam *poſſe illud* haberet. Quid autem petit juſtus, dum petit ut poſſit, niſi gratiam efficacem, qua poſſit? Gratia igitur efficax, homini jam juſtificato, atque ita gratia habituali informato, auxiliiſque ſufficientibus inſtructo, novum inſuper potentiæ genus, ſeu novum poteſtatis gradum impertit; quo videlicet completiſſimè, pleniſſimè, perfectiſſimèque poſſit, quod antea verè quidem, propriè, & intimè poterat; non ita tamen perfectè, atque completè. Quis verò novum illud potentiæ genus, novumque illum poteſtatis gradum, gratia ſe ipſa efficaci collatum, ſibi fingat aliud, niſi robur novum, vires novas additas voluntati debilitatæ, fauciatæ, vulneratæ, ut re ipſa tandem agat, & præceptum adimpleat.

Quamquam quid multis id evincere nobis eſt opus; cum hoc

Digitized by Google

idem ultro citroque concedant illi ipſi, contra quos agimus, Auguſtinianæ Scholæ Profeſſores, ac pro indubitato doctrinæ ſuæ capite ponant: gratiam ſcilicet efficacem, quam in ſola ſuavitate, & delectatione victrici poſitam volunt, vires novas, novumque robur vulneratæ, & ſauciatæ voluntati conferre. Id quippe nobis ſatis ſuperque ſufficeret, ut argumentum indè, quod ad hominem vocant, poſſemus petere; & Auguſtini mentem, quam nobis in hacce quæſtione oppoſitam dictitant, ex illorum principiis, atque dogmatibus interpretari, nobiſque per omnia conſentientem oſtendere.

IV. Ea jam conſideratione poſita, dataque recta intelligentia *adjutorii quo*, quale in natura lapſa ab Auguſtinianis omnibus ponitur; ejuſdemque *adjutorii quo*, quale in natura innocenti efficax a Thomiſtis exiſtimatur, atque defenditur: facillimum eſt prolixam illam Auguſtini in Monachos Adrumetinos diſputationem in eum ſenſum inflectere, ut nihil Thomiſticæ Scholæ Syſtemati adverſetur, imò potius congruat longè maximè. Si nempe dixerimus, Auguſtinum non eo in capite utriuſque ſtatus poſuiſſe diſcrimen, quod in illo quidem, adjutorio merè verſatili egeret ſanus, & integer homo, ut bonum ageret, & perſeveraret in bono; in iſto autem, adjutorio per ſe efficaci homo lapſus egeret: ſed in eo potius diſcrimen conſtituiſſe; quod cùm utroque in ſtatu, tam ſanus, quàm lapſus homo efficaci auxilio egeat, eo tamen auxilio ſanus duntaxat indigeat, ut integræ ejus, ſanæque vires operi applicentur, determinentur, ac moveantur; lapſus e contrario illo egeat adjutorio, ut & novas vires, novumque ad bonum opus robur accipiat, & bono operi vires efficaciter applicentur.

Id ſibi duntaxat voluiſſe Auguſtinum, ea illius verba ſignificant, quibus ſuam illam, Adamum inter & juſtos hodiernos, poſitam Antitheſim explicat *lib. de corr. & grat. cap.* 11. *Ille*, inquit, *non opus habebat eo adjutorio, quod implorant iſti* (Sancti in hac vita) *cum dicunt*: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati &c. *Atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes, dari ſibi pugnandi, vincendique virtutem, per Chriſti gratiam poſcunt. Ille vero nulla tali rixa a ſe ipſo adverſus ſe ipſum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace fruebatur. Proinde etſi non interim lætiore nunc, veruntamen potentiore gratia indigent iſti.* Quibus apertè ſignificat, præſentis vitæ juſtos dari ſibi per gratiam efficacem pugnandi, vincendique *virtutem*, hoc eſt recentes vires, novumque robur expoſcere: cum contra primus homo virium integer virtute ac robore benè præditus, ac ſua ſecum pace fruens, nihil horum dari ſibi per gratiam opus haberet.

V. Ita objectam ſibi a Moliniano diſputatore difficultatem illam,

lam, ex *lib. de cor. & grat.* explanavit Thomas de Lemos, ſummus ille divinæ gratiæ defenſor, ac vindex, in Congregatione habita coram Paulo V. Pont. Max. die 22. Novembris anno 1605. *Illud eſt*, inquit, *attentè conſiderandum, quod D. Auguſtinus lib. de correpť. & grat. cap. 12. conſtituit differentiam inter hominem ſanum, & Angelum cum gratia juſtificante, & inter hominem lapſum etiam cum eadem gratia juſtificante, in hoc, quod Angelus, vel homo, in illo primo ſtatu, & ante peccatum, habebat naturam integram in ſuis naturalibus, ita quod non erat cum rebellione carnis. Undè per gratiam juſtificantem talis erat, quod ad perſeverandum non indigebat aliquo alio auxilio gratiæ, dante efficaciores, vel majores vires voluntati. At verò cum juſtificatur in natura corrupta, quia habet rebellionem carnis, quæ non tollitur per gratiam juſtificantem, indiget homo, ut perſeveret, auxilio dante majores, & efficaciores vires. Et iſta doctrina eſt differentia, quam S. Auguſtinus in utroque ſtatu conſtituit: non verò negat hominem etiam in illo primo ſtatu indiguiſſe divina motione movente, & applicante ipſum ad operandum. Quia iſta generalis motio in omni ſtatu etiam perfectiſſimo neceſſaria fuit, ex eſſentiali ſubordinatione, quam habet cauſſa ſecunda, ut moveatur a prima. Quod apertè, tum alibi, tum expreſſè docet S. Thomas* 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 1. *ad* 9. *ubi apertè docet, hominem in ſtatu naturæ corruptæ indigere auxilio divino, duplici ratione: primò, ratione generali, quia nulla creatura operatur ſine motione divina, & ſecundò, ratione ſpeciali, quia eſt in natura corrupta.*

En tibi germanam, expeditamque objecti nobis in ſuperioribus argumenti impeditiſſimi ſolutionem: quam niſi illi ipſi, quibuſcum res nobis eſt, benignè recipiant; gratiamque efficacem, adjuvantem ſaltem, moventem, & applicantem, tanquam Adamo, Angeliſque ad bonum neceſſariam, ab Auguſtino laudatis in locis agnitam fateantur; ac niſi ſolam ab illo excluſam velint ſanitatis gratiam, novas ſcilicet vires, novumque robur addentem; ii certè SS. Doctorem ſecum ipſo pugnantem habebunt, poſitaque alibi doctrinæ ſuæ principia, de quibus ſat multa in ſuperioribus diximus, ab imo ſuffodientem, concutientem, demolientem. Contra verò, ſi datam ſolutionem uti germanam acceperint; miram ubique principiorum conſonantiam experientur; conſtantemque, ac nunquam ſibi diſſimilem totius doctrinæ faciem comprobabunt.

Hanc ego ſolutionem, geminæque efficacis gratiæ diſtinctionem, certam, ad mare iſtud feliciter enavigandum, Cynoſuram non dubitaverim appellare: in quam ſi modò intentos ſemper oculos

los habeat quiſquis ad Auguſtini lectionem accedit, illius loquendi formulas omnes, tribus paſſim capitibus incurrentes, propoſitiones, aſſertiones, ac phraſes omnino ſingulas, quæ ex prima facie videntur intricatiſſimæ, nullo negotio explicabit, & cum Thomiſticæ Scholæ ſententia conciliabit. Cujus breve in ſequenti capite ſpecimen damus.

CAPUT XXIII.

Auguſtini adverſus Monachos diſputantis ſumma doctrinæ capita minutatim, ac ſingulatim explicantur, & ad D. Thomæ ſententiam reducuntur.

I. Opponunt itaque loco primo eruditi diſputatores, ſcribere Auguſtinum, *Adamo datum eſſe adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet*. Quod bis terque quaterque repetit SS. Doctor, verbis quidem ſin minus iiſdem, at certè idem omnino ſignificantibus.

Quis hoc neſciat, aut vertat in dubium? Cum enim non perſeveraverit Adam, adjutorium profectò quo perſeveraret nequaquam accepit, ſed illud tantùm, ſine quo perſeverare non poſſet. At non eſt id, ut monuimus ſæpius, quod quæritur in præſenti, ac de quo diſputatum eſt hactenus: ſed an *adjutorio quo*, ſeu efficaci egeret Adamus, ut re ipſa perſeveraret; illudque a Deo acceperint Angeli boni, qui re ipſa peſeverarunt. Qua de re nihil in objecta periodo, aliiſque ſimilibus, pronunciat Auguſtinus.

II. Nihilo plus officit, aut agitatam hactenus controverſiam intimius attingit, quod iidem interdum objiciunt: D. Auguſtinum dixiſſe non ſemel, *gratiam ſecundi Adam*, hoc eſt Chriſti Domini, qua juſti in hoc præſentis vitæ ſtatu donantur, *potentiorem eſſe gratia primi Adam*.

Quis etiam id neget? cum de ea gratia loquatur illic Auguſtinus, quam re vera primus Adam accepit, ut poſſet perſeverare ſi vellet; quamque *adjutorium ſine quo non* vocitavit SS. Doctor: non de ea, quæ neceſſaria illi erat, ut re ipſa perſeveraret: de qua ſola præſens eſt controverſia. Quamquam etſi daremus, Auguſtinum Chriſti gratiam cum Adami gratia contuliſſe, non quam habuit, ſed quam eſſet habiturus, ſi perſeveraturus fuiſſet, quæque illi erat ad perſeverandum neceſſaria; nihil prorſus officeret, quod illam SS. Doctor *potentiorem* identidem vocitaſſet: nec indè conſequens foret, gratiam Adamo ad perſeverandum neceſſariam, efficacem non fuiſſe, ſed merè ſufficientem, ac etiam verſatilem. Quandoquidem eodem in ordine gratiarum per ſe efficacium, poteſt altera eſſe potentior, ſi ad plures, eoſque nobiliores, difficilioreſque effectus edendos deſtinetur a Deo. Qualis pro-

Digitized by Google

fectò gratia viris juſtis in præſentia datur, tum ut majores ad bonum edendum, & efficaciores vires accipiant, tum ut operi applicentur, determinentur, ac moveantur.

Annon, quæſo, potentiorem gratiam dixeris, qua Chriſtus Saulum ſpirantem minarum, & cædis vocavit ad fidem, quàm qua latronem de Cruce pendulum, ſuorumque ſcelerum pœnas dantem vocavit ad pœnitentiam? Utramque tamen ſe ipſa eſt efficax, neutra verſatilis, & ex liberi arbitrii aſſenſu pendula. Poteſt itaque, ſi ſolam loquendi formulam ſpectes, gratia aliqua alterius comparatione dici potentior, quin idcirco altera iſta verſatilis cenſeatur, ac per ſe ipſam inefficax. Atque adeo potuit, ac etiam debuit Auguſtinus, gratiam præſentis vitæ juſtis ad triumphum reportandum, a Deo datam, potentiorem altera gratia dicere, quæ fuerat Adamo ad perſeverandum neceſſaria; quin eam idcirco verſatilem reputarit, & ex ſe ipſa minimè efficacem. Cum aliàs, ut dixi, nihil pugnet, ex duabus gratiis per ſe ſe etiam efficacibus, alteram eſſe altera potentiorem. Uti etiam in cauſſis naturalibus accidit; quæ licet a ſe ipſis, atque ex intimis efficiendi vim habeant, ſunt tamen aliæ aliis potentiores; illarumque una quandoque poteſt, quod altera perinde non poteſt.

Nec eſt quod mihi quiſquam obtrudat vulgatum illud nonnullorum Thomiſtarum axioma: *Gratiam efficacem latitudinem non habere, nec ſuſcipere majus, & minus:* quaſi verò nulla poſſit eſſe efficax gratia, altera major, efficacior, atque potentior. Quamquam enim veritatem fortaſſis haberet hoc axioma, ſi gratiam efficacem ſpectemus unicè, ut eſt phyſica duntaxat determinatio voluntatis ad actum bonum; minimè tamen ut eſt, aut certè ut ſecum affert ſpiritualem quamdam ſuavitatem, victricemque delectationem, quæ repugnantem carnalem delectationem vincit, ac ſuperat. Quis enim neget, majorem, minoremve ſpiritualem delectationem eſſe oportere, ut major, minorve carnalis delectatio ſuperetur, atque vincatur?

Illud potius movere aliquem poſſet: quod Auguſtinus non modò potentiorem dicat eſſe gratiam ſecundi Adam, quàm prioris; ſeu quæ Juſtis ad pugnandum, in ſtatu naturæ lapſæ conceditur meritis Chriſti; verùm etiam majorem illis libertatem neceſſariam eſſe, iiſdemque a Deo dari contendat, quàm quæ fuit conceſſa Protoparentibus. *Major quippe libertas*, verba ſunt ejus *lib. de corrept. & grat. cap.* 12. *eſt neceſſaria adverſus tot, & tantas tentationes, quæ in Paradiſo non fuerunt, dono perſeverantiæ munita, atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus ſuis vincatur hic mundus. Hoc Sanctorum Martyria docuerunt.* Ut quid ita? Cùm ex adverſo conditi hominis libertatem adeo exag-

exaggeret, commendet, ac celebret Sanctiſſimus Doctor; lapſi verò hominis, tametſi ſubinde juſtificatus ſit, libertatem adeo deprimat, ut *attenuatam* illam, *imminutàm*, *inclinatam*, *debilitatam* eſſe originali peccato, ſexcentis admodum locis affirmet.

At mirari deſinet quiſquis animadverterit, Auguſtinum *majorem* nunc Juſtorum, ac potiſſimè Martyrum libertatem dixiſſe; non quòd talis ſe ipſa, & ex vitiata origine ſit, ſed quod *major*, hoc eſt, robuſtior, ac firmior, potentiori Chriſti gratia fiat, de qua *Joannis* 8. dictum eſt, *ſi vos filius liberaverit, verè liberi eritis:* Major inquam, quia *dono perſeverantiæ munitur, atque firmatur*, in præſentis vitæ juſtis, atque Martyribus: quod in Protoparentibus re ipſa non accidit. Quare nihilo ſecum pugnat Sanctiſſimus Doctor.

III. Congerunt loco tertio eruditi diſputatores inculcata ſæpius SS. Doctoris verba, tribus paſſim capitibus *libri de correpṫ. & grat.* ante laudati. *Tale fuiſſe adjutorium Adamo datum, quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet .... Deum ſuam gratiam reliquiſſe in Adami libero arbitrio ...... Deum in Adami libero arbitrio reliquiſſe, ut vellet in bona voluntate permanere ...... perſeverare, & non perſeverare in ejus libero arbitrio fuiſſe relictum ...... in viribus liberi arbitrii fuiſſe, antequam homo caderet, ut non diſcederet a Deo:* quod ille disertè ait *cap. 7. de dono perſever.* Aliaque id genus multa, quæ gratiam verſatilem, liberoque arbitrio ſubditam ſonare videntur, ipſamque perſeverantiam ex ſola Adami voluntate pendentem.

Verùm ſpuriæ conſecutiones illæ ſunt, atque ex iis Auguſtini loqnendi formulis minimè fluentes. Quantacunque enim fiat integræ voluntatis humanæ, ſanique arbitrii commendatio, in cujus nutu, facultate, ac poteſtate bonus gratiæ uſus, bonum opus, perſeverantia demum in bono dicatur eſſe: nuſquam tamen id ad injuriam, ſeu quod ajunt, ad *excluſionem* efficacis gratiæ debet intelligi; cujus ope, ac beneficio ipſum quoque bonum opus, & perſeverantia in bono, bonuſque gratiæ uſus, in homine etiam ſano, & integro præſtatur, & datur a Deo. Cujus hæc invicta ratio eſt: quod pares ab Auguſtino videamus uſurpatos loquendi modos, pares voluntatis humanæ, liberique arbitrii commendationes, ubi de homine in ſtatu naturæ lapſæ conſtituto ſermonem facit: ex quibus tamen nemo colliget prudens, agnoviſſe illum, in ſtatu naturæ lapſæ, verſatilem gratiam, liberoque arbitrio ſubditam, atque ex ſola lapſi hominis voluntate pendentem perſeverantiam uſque in finem. Sic *cap.* 7. hujuſce, quem expendimus, *libri de correpṫ. & grat.* eorum excuſationem rejiciens qui dicunt, *non perſeveravimus, quia perſeverantiam non accepimus;* reponit: *homo in eo*

quod audieras, & tenueras, in eo perſeverares, ſi velles. Et *lib. de nat. & grat. cap.* 64. de fide divina diſputans adverſus Pelagianos, *ad ipſum*, inquit, *arbitrium pertinet vocantem audire, & credere*. Et *lib.* 12. *de Civit. Dei cap.* 6. de duobus adoleſcentibus loquens, eadem vultus pulchritudine delectatis, eademque carnis tentatione pulſatis, *Si eadem*, inquit, *tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, alter idem quod fuerat perſeveraret; quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe a caſtitate deficere?* Quemadmodum ergo iis in locis liberum lapſi hominis arbitrium, tanquam immediatam, proximamque perſeverantiæ, fidei, atque victoriæ cauſam duntaxat aſſignat; ſalvo nihilominus jure cauſſæ primariæ, atque ſupremæ, a qua habet cauſſa ſecunda ut velit, & agat; atque adeo efficacis gratiæ neceſſitate minimè negata, ſed certò ſuppoſita: ita dum gratiæ uſum, ipſamque perſeverantiam in Adami arbitrio poſitam dicit, atque relictam; proximam duntaxat boni uſus, & perſeverantiæ cauſſam indigitat; ſuprema, atque primaria boni cujuſque operis cauſſa ſubintellecta, illiuſque efficacis gratiæ neceſſitate perinde ſuppoſita: juxta alibi poſita doctrinæ ſuæ principia, de quibus in ſuperioribus abundè dictum eſt: illudque præſertim, quod habet *in Enchirid. cap.* 106. *Homo in Paradiſo, ad ſe occidendum relinquendo juſtitiam, idoneus erat per voluntatem; ut autem ab eo teneretur vita juſtitiæ*, (hoc eſt ut in juſtitia perſeveraret) *parum erat velle, niſi ille, qui eum fecerat, adjuvaret*. Ut nimirum intelligamus, velle ipſum, ſeu bonæ voluntatis actum ita fuiſſe in Adami poteſtate relictum, ut novo tamen ad eum exerendum adjutorio indigeret.

Mentem ipſe ſuam, tametſi non erat opus, diſtinctiùs aperit Auguſtinus *lib.* 1. *retract. cap.* 10. ubi pares loquendi formulas a ſe pridem uſurpatas exponit, quibus Pelagiani audaciùs abutebantur; quod ipſe non ſemel homines benè agere poſſe dixiſſet, Deique mandata ſervare, *ſi vellent:* monetque id a ſe, abſque divinæ gratiæ præjudicio, dictum eſſe, qua Deus in hominibus operatur ut velint. *Quod verò dixi*, illud autem lumen non irrationabilium avium oculos paſcit, ſed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum, & temporalium ſe ad ejus præcepta implenda convertunt, quod omnes homines poſſunt, ſi velint, *non exiſtiment novi Hæretici Pelagiani, ſecundum eos eſſe dictum. Verum eſt enim omnino, omnes homines hoc poſſe ſi velint, ſed præparatur voluntas a Domino, & tantùm augetur munere charitatis, ut poſſint*. Nihil eſt itaque quod paribus loquendi formulis moveamur, dum ab Auguſtino, Adami etiam occaſione, ſunt uſurpatæ: quaſi vel illæ ſolæ efficacis gratiæ, ſin minus ſanantis, vireſque addentis, at ſaltem moventis, & adjuvantis ne-

ceſſi-

Digitized by Google

ceſſitatem excluderent. Imò hanc ipſam neceſſitatem pro certo ſupponunt; juxta quod habet alibi, de Adamo ipſo ſermonem habens: *lib.* 11. *de Geneſi ad lit. cap.* 4. *In ſua poteſtate habebat velle non conſentire ſuadenti; adjuvante tamen illo, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. In Enchir. ad Laurentium cap.* 107. *Factus eſt homo rectus, ut & manere in ea rectitudine poſſet, non ſine adjutorio divino.* Et *cap. ſuperiori: Etſi peccatum in ſolo libero arbitrio erat conſtitutum, non tamen juſtitiæ retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium, niſi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur.*

IV. Addo, bonum uſum gratiæ, ipſamque perſeverantiam in bono, *in libero primi Parentis arbitrio relictam*, ac etiam *in viribus liberi arbitrii poſitam*, dici ab Auguſtino potuiſſe, abſque gratiæ efficacis adjuvantis injuria; ad eum planè modum, quo familiari ſermone ſolemus dicere, in hominis benè ſani, ac benè valentis poteſtate, viribuſque poſitum eſſe, ut *ſi velit*, in locum eminentem aſcendat; quin idcirco ſcalæ opem velimus excluſam: quod tamen de homine ægrotante, etſi illi fortè præſto ſit ſcala, non dicimus. Quemadmodum enim de homine benè valente ſic loquimur, quia ſat virium ſe ipſo habet, nec novas ſibi dari poſtulat, ut aſcendere queat; nec illa ipſa, qua nihilominus indiget ſcala, vires illi novas eſt allatura, ſed adminiculum duntaxat adferet, ut ſuis ipſe viribus poſſit uti, eaſdemque arduo operi applicare: ita quia ſat virium, roboriſque in ſtatu innocentiæ habebat liberum hominis arbitrium, ut & bonum ageret, & perſeveraret in bono, acceptaque jam gratia uteretur; & ſi qua illi ad benè agendum, & perſeverandum in bono, actualis efficax gratia neceſſaria erat, non ad hoc erat illi tunc neceſſaria, ut majores, atque efficaciores ex ea vires acciperet; (quod in ſtatu naturæ lapſæ contingit) ſed ut nativas, congenitaſque vires originali juſtitia cumulatas applicaret operi, iiſdemque, prout poſtulabat officium, uteretur: idcirco jure meritoque dixit SS. Doctor, & gratiæ uſum, & bonum opus, & ipſam demum perſeverantiam in bono, Protoparentis arbitrio fuiſſe relictam, illiuſque in viribus poſitam. Quare erat hoc totum, ut brevi verbo complectar, in viribus liberi arbitrii, excluſa quidem efficaci gratia, majores illi, efficacioreſque vires præbente: non item excluſa efficaci gratia, ſimpliciter adjuvante, applicante, ac prædeterminante. Quovis tandem modo prædeterminatio illa contingat; ſeu per phyſicam quandam motionem animæ impreſſam, quod cenſuit D. Thomas; ſeu per quandam delectationem victricem a Deo inſpiratam, & inditam, quod docuit Auguſtinus; ſeu, quod ego veriſimilius exiſtimo, per utramque ſimul. Nec enim altera alteram excludit, ſed ſe-

ſecum habet adjunctam: ut & hoc pacto Doctori Angelico concilietur Auguſtinus: qui victricem illam delectationem, divinæ motionis, ſeu gratiæ actualis effectum, ac fructum appellat, ut vidimus *cap.* 15. A quo tantum abeſt, ut abhorruerit D. Thomas, ut contra potius identidem inſinuaverit, 1. 2. *quæſt.* 33. *art.* 4. & *in* 4. *ſent. diſt.* 49. *quæſt.* 3.

Quid quod ipſi etiam Diſcipuli Divi Thomæ, gratiam ſufficientem ſtatus naturæ lapſæ, *in hominis arbitrio relictam* dicunt ſæpe numero; vel ob id unum, quòd homini detur ut liber eſt, utque ea utatur liberè: quamquam bonum illius uſum, non niſi ex gratia ſe ipſa efficaci poſſit habere. Quanto itaque meliori titulo, gratiam Adamo innocenti a Deo datam, *in ejus arbitrio relictam* dicere potuit Auguſtinus, quòd hæc homini liberrimo data eſſet, utque ea uteretur liberè; quamquam non niſi ex gratiæ ſe ipſa efficacis auxilio illius uſum eſſet habiturus?

V. Hac noſtra reſponſione occupatur in anteceſſum altera difficultas, quæ ſtatim nonnullorum animum pulſat. Si Auguſtinus, inquiunt aliqui, bonum gratiæ uſum, bonique operis actum, ipſamque etiam perſeverantiam in bono, in libero Protoparentis arbitrio relictam affirmans, ſine præjudicio gratiæ efficacis dictum id vellet, adeo ut gratia etiam efficax, hæc ipſa bona in illo eſſet operatura; perperam itaque aliam Adami, aliam juſtorum præſentis ſtatus conditionem aſſeruiſſet: cum vel ſic potius mutuò conveniſſent, quod gratiam per ſe efficacem perinde deſideraſſent. Hæc inquam ex dictis occupata eſt difficultas. Quia ſine præjudicio quidem gratiæ efficacis ſimpliciter adjuvantis, applicantis, ac prædeterminantis illud eſt dictum, quam utroque in ſtatu volumus neceſſariam; non tamen abſque alterius præjudicio; imò potius, ut aptiùs loquar, excluſa altera efficaci gratia, majores vires, novumque robur addente, hominemque ſanante. Quo in capite tantùm abeſt, ut æqua ſit ſtatus utriuſque conditio, ut ob id potius longè, multumque diſcrepent invicem.

Illud ergo perperam nobis affingitur, quod admiſſa utroque in ſtatu efficacis alicujus gratiæ neceſſitate, parem utriuſque ſtatus conditionem faciamus. Abſit id a mentibus noſtris: imò diſparem omnino volumus ſtatuum conditionem. At non in eo diſpares illos volumus, quod in uno ſola verſatilis gratia præſto ſit, in altero ſe ipſa efficax gratia conferatur: ſed quod utrobique cum ſit efficax neceſſaria, non ſit tamen utrobique paris efficacitatis, atque virtutis. Cum in illo voluntatem ſimpliciter adjuvet, moveat, applicet operi; in iſto voluntatem adjuvando, movendoque ſanet, novaſque illi vires, novumque ad bonum opus robur adjiciat.

CAPUT XXIV.

Aliæ exponuntur Auguſtini ſententiæ, ex hac eadem adverſus Monachos Adrumetinos diſputatione, delibatæ.

I. PAri facilitate explicantur, & cum D. Thomæ, ejuſque Angelicæ Scholæ ſyſtemate conciliantur, quæ ſolent aliæ D. Auguſtini ſententiæ nobis objici, ex laudatis tribus capitibus defloratæ. Modò tamen ad datam hactenus diſtinctionem, duplicis ſcilicet efficacis gratiæ, oculos ſemper intentos habeamus.

Objiciunt igitur quarto loco frequentes Auguſtini de Angelis aſſertiones: *Angelos ſanctos, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſtetiſſe; hujuſque manſionis debitam mercedem recipere meruiſſe ..... Malos Angelos per liberum arbitrium a Domino Deo refugas factos eſſe; cæteros autem per ipſum liberum arbitrium in veritate ſtetiſſe ...... Ita tunc arbitrium fuiſſe liberum, ut benè velle poſſet, & malè.* Quæ ſanè bonos Angelos abſque novæ gratiæ ope ſtetiſſe ſignificare videntur; uti profectò mali Angeli, abſque novæ gratiæ beneficio, ſed ſolo libero arbitrio ceciderunt.

Verùm hujuſmodi conſecutiones elici vetat Auguſtinus, cujus illa lex eſt ſæpius inculcata: non idcirco negari neceſſitatem gratiæ, quod liberum commendetur arbitrium, ſed ſupponi; cum ab ipſamet gratia & humanum, & Angelicum regatur arbitrium; ut ex locis ejuſdem paulò ante laudatis planiſſimum fit. Quare dum objectis nunc locis affirmat SS. Doctor, Angelos bonos *per idem liberum arbitrium ſtetiſſe*, per quod reprobi ceciderunt; liberum arbitrium *idem* intelligit *identitate*, ut ita loquar, virium a gratia ſanctificante, cum qua conditi ſunt, profluentium; aut etiam *idem* intelligit *identitate* virium naturalium, ingenitæ fortitudinis, roboris, ac virtutis; non *identitate* adjutorii, atque præſidii actualis a Deo ſuſcepti. Ut nempe ſignificet, malos Angelos eadem in ſui creatione gratia ſanctificante donatos, iiſdem nativis viribus, eodem naturæ perfectiſſimæ robore, ac fortitudine ſuccinctos cecidiſſe, quibus ſuccincti boni Angeli ſteterunt, ac perennarunt: quamquam fuerint iſti novo ſupra naturam, & præter ſanctificantem gratiam habitualem, actuali Dei adjutorio freti, & confirmati. Cujus hæc ratio eſt, a nobis jam de primis Parentibus data: Quia cum eſſent Angeli boni natura integerrima, robuſtiſſima perfectiſſima

ma præditi, gratia ſanctificante inſuper ornati; ſatiſque jam haberent virium, roboris, fortitudinis, ut bonum omne, quod vellent: quod illis ſubinde acceſſit Divinæ gratiæ adjutorium, ut ſtarent, novas vires, novumque robur non attulit, ſed habitas jam operi vires applicavit, determinavit, & velle donavit.

II. Addunt quinto loco Theologi recentiores antitheſim ſæpius poſitam ab Auguſtino, Adamum inter & juſtos vitæ præſentis: illum quidem tanquam ſua ipſius conditione fortiſſimum, iſtos tanquam vitiata origine debilitatos, & infirmatos. *Fortiſſimo dimiſit, atque permiſit facere quod vellet: infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſimè, quod bonum eſt, vellent, & hoc deſerere, invictiſſimè nollent . . . ſubventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur.* Qua quidem antitheſi ſignificatum exiſtimant, auxilii ſe ipſo efficacis, hominemque indeclinabiliter, & inſuperabiliter agentis neceſſitatem, ex ſola naturæ originali peccato ſauciatæ infirmitate originem ducere: Adamumque ex ipſa ſui conditione fortiſſimum, ſuis viribus fuiſſe relictum, ut ſe ſolo ageret ipſe quod vellet. Non eſt tamen ita, nec is eſt poſitæ antitheſis ſenſus, ſed qui a nobis ſæpius datus eſt: Adamum ſcilicet pro ingenita fortitudine ſibi ipſi fuiſſe relictum, ut abſque novo auxilio, novas illi vires, novumque robur addente, faceret ille, quod vellet: juſtorum vero vitæ præſentis infirmitatis fuiſſe proviſum, atque ſubventum, ut auxilio non modo efficaciter adjuvante, atque movente, ſed & novam fortitudinem afferente, novaſque illi vires, novumque robur addente munirentur. Aut ſi mavis, Adamum ex naturæ conditione fortiſſimum, ſibi fuiſſe dimiſſum, atque permiſſum, ut faceret ipſe *quod vellet:* non quaſi ad experiundas vires, quid illæ ſibi relictæ ad bonum poſſent; ſed ut ſuam potius, efficaci gratia deſtitutus, infirmitatem, & impotentiam agnoſceret: ut alibi ſæpius explicat Auguſtinus, de quo pleniùs paulò infra.

Idem planè ſenſus eſt alterius antitheſis ab Auguſtino identidem poſitæ: quod nempe primi hominis arbitrium *ita tunc liberum eſſet, ut benè velle poſſet, & malè;* ſecùs vero liberum arbitrium hominis lapſi. Non enim eo verbo ſignificat Auguſtinus, potuiſſe tunc primum hominem *benè velle*, Deo per gratiam efficacem moventem ſaltem, & adjuvantem non operante, ut vellet; quaſi verò eo ex capite ſanus homo ſecerneretur a lapſo: abſit: at id ſignificat unicè, potuiſſe tunc primum hominem benè velle, abſque gratia efficaci novas illi ad bonum vires, novumque robur addente: quo ex capite verè ſecernitur ab homine lapſo; qui abſque novi roboris, novarumque virium acceſſione, bonum ſupernaturale velle omnino non poteſt.

III. Cæ-

III. Cæterum non fuiſſe ab Auguſtino antitheſim poſitam, ſanum inter, & lapſum hominem, ubi de gratia efficaci ſimpliciter adjuvante, non itidem ſanante ſermo venit, liquet ex *lib.* 8. *de Gen. ad lit. cap.* 10. ubi Adamum, perinde ac cæteros quoslibet juſtos, de accepta juſtitia retinenda nunquam ſibi eſſe ſecuros oſtendit; nunquam tutos contra pericula, ſi ſuis viribus relinquantur, ſuoque ipſorum committantur arbitrio, niſi Divina illis accedat gratia, quæ bona in illis opera continuò operetur, juxta Iſaiæ phraſim, *cap.* 26. *omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine*; bonoſque fructus proferre eis faciat, ac tandem illos beatos efficiat. Eum enim locum expendens *cap.* 2. *Geneſ. v.* 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illum*, ſenſum illius cæteris præponendum eſſe ait, poſitum illic fuiſſe hominem, *ut ipſum hominem operaretur Deus, & cuſtodiret*: quod ita deinde commentatur: *Sicut enim operatur homo terram, non ut eam faciat eſſe terram, ſed ut cultam, atque fructuoſam: ſic Deus hominem multò magis, quem ipſe creavit ut homo ſit, eum ipſe operatur ut juſtus ſit*, (utique perſeveranter, cum antea juſtus eſſet, quàm poneretur, in Paradiſo) *ſi homo ab illo per ſuperbiam non abſcedat .... Quia ergo Deus eſt incommutabile bonum, homo autem, & ſecundum animam, & ſecundum corpus mutabilis res eſt; niſi ad incommutabile bonum, quod eſt Deus, converſus ſubſtiterit, formari ut juſtus, beatuſque ſit, non poteſt. Ac per hoc Deus idem, qui creat hominem ut homo ſit, ipſe operatur hominem, atque cuſtodit, ut etiam bonus, beatuſque ſit. Quapropter qua locutione dicitur homo operari terram, quæ jam terra erat, ut ornata, atque fœcunda ſit, ea locutione dicitur Deus operari hominem, qui jam homo erat, ut pius, ſapienſque ſit, eumque cuſtodire, quòd homo ſua poteſtate in ſe, quam illius ſupra ſe delectatus, dominationemque ejus contemnens, tutus eſſe non poſſit.* Et *c.* 12. *Neque enim tale aliquid eſt homo, ut factus, deſerente eo qui fecit, poſſit aliquid agere benè tanquam ex ſe ipſo: ſed tota ejus actio bona eſt, converti ad eum, a quo factus eſt, & ab eo juſtus, pius, ſapiens, beatuſque ſemper fieri: non fieri, & recedere, ſicut a corporis Medico ſanari, & abire; quia Medicus corporis operarius fuit extrinſecus, ſerviens naturæ intrinſecùs operanti ſub Deo, qui operatur omnem ſalutem gemino illo opere providentiæ, de quo ſupra locuti ſumus. Non itaque ita ſe debet homo ad Dominum convertere, ut cum ab eo factus fuerit juſtus, abſcedat, ſed ita ut ab illo ſemper fiat. Eo quippe ipſo cum ab illo non diſcedit, ejus ipſe præſentia juſtificatur, & illuminatur, & beatificatur, operante, & cuſtodiente Deo, dum obedienti, ſubjectoque dominatur.* Ita ille: quo nihil diſertius proferri poteſt, ut evincatur, Adamum, de quo illic potiſſimè ſermo eſt,

eſt, a Deo in juſtitia conditum, ſuæ deinceps voluntati, ſuiſque viribus non fuiſſe relictum; ſed Deum ita illum deinceps excoluiſſe, ut bona etiam illius opera operaretur in eo, quamdiu in Paradiſo terreſtri ſubſtitit; ipſamque etiam perſeverantiam in eo eſſet operaturus, niſi ille a Conditore ſuo per ſuperbiam receſſiſſet.

IV. Opponunt inſuper, Auguſtinum illud potiſſimum obſervaſſe, *Deum prius oſtendere voluiſſe, quid poſſit liberum arbitrium Angelorum, & hominum; deinde quid poſſet gratiæ beneficium, juſtitiaque judicium*. Quod ita illi interpretantur: Deum in prima mundi molitione, tale Angelis, primiſque Parentibus arbitrium contuluiſſe, quod ſe ſolo, & ſine novæ gratiæ beneficio, bonum perinde agere poſſet, ac malum: tum gratiæ liberatricis beneficium lapſis hominibus ad veniam conceſſiſſe; juſtitiæque judicium in Angelos apoſtatas exercuiſſe, æterna illis inflicta damnatione.

Aſt abſona prorſus interpretatio illa eſt, ac duplici quidem ex capite. Primò, quia ſat benè potuit Deus oſtendere quid poſſet liberum arbitrium Angelorum, & hominum, dum tantarum illud virium, roboris, & fortitudinis condidit, ut novo ad benè agendum gratiæ beneficio non egeret, quo novarum illi virium, novi roboris, fortitudinis novæ acceſſio fieret: etſi eo egeret maximè, quo vires illius ingenitæ operi applicarentur, ac determinarentur. Uti planè quid præ ægro homine poſſit ſanus, ille cenſeretur oſtendere, qui ambobus in locum præruptum aſcendere meditantibus, ſano ſcalam duntaxat, ut aſcenderet admoveret; ægro autem medicinam ſimul, & ſcalam offerret; illam quidem, qua primum vires reficeret; iſtam, qua ſaluti priſtinæ reſtitutus in ſublime ferretur. Secundò data interpretatio futilis eſt: quia non ad liberi arbitrii, quale primò Angelis, & hominibus datum eſt, commendationem ibi loquitur Auguſtinus; ſed ad depreſſionem potius & demiſſionem: nec Deum oſtendiſſe ait, quid ſe ſolo, & ſine novæ gratiæ beneficio, liberum arbitrium poſſet ad bonum; (uti Theologis illis interpretari lubet) ſed quid tantum poſſet ad malum: juxta quod *c. 11. lib. de corr. & grat.* habet de homine primo: *liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem parum eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono*. Et *lib. de nov. Cantic. cap. 8. Quid valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipſo Adam demonſtratum eſt. Ad malum ſufficit ſibi; ad bonum non, niſi adjuvetur a Deo*. Rurſus *ſerm. 26. de verbis Apoſtoli: Regebat enim eum ipſe qui fecerat, voluit deſerere a quo actus erat, permiſit Deus, tanquam dicens, deſerat me, & inveniat ſe, & miſeria ſua probet, quia nihil poteſt ſine me. Hoc modo ergo oſtendere voluit Deus, quid liberum arbitrium valeat ſine Deo:* ſcilicet non niſi Deum deſerere, & prolabi in miſeriam. Undè &

ad-

addit : *O malum Arbitrium ſine Deo ! Experti ſumus quid valeat ſine Deo. Ideo miſeri facti ſumus, quia ſine Deo quid valeat experti ſumus.*

Quare tantum abeſt, ut ex ea toties decantata Auguſtini ſententia, quidpiam contra ſyſtema Thomiſtarum poſſit extundi, ut ex ea potius maximè confirmetur. Si enim prius in Angelis, & hominibus oſtendit Deus, quid eorum liberum arbitrium ſine gratiæ beneficio poſſet ad malum; non item quid poſſet ad bonum; imò ſi nihil ad bonum erat, niſi juvaretur a Deo: argumento eſt, illud ad bonum edendum, & perſeverandum in bono, alio quod nondum habebat, eguiſſe gratiæ beneficio; quod certè non niſi efficax fingi poteſt.

V. Obſervant præterea, opponuntque fidentiùs: Auguſtinum tota illa cum Monachis Adrumetinis habita diſputatione, quoties de gratia efficaci, ſeu de adjutorio *quo fit opus*, juſtis ad præſens pugnantibus atque certantibus neceſſario, loquitur, hanc unam hujuſce neceſſitatis rationem inſinuare, naturæ ſcilicet in iis ſauciatæ, ac vulneratæ infirmitatem, viriumque defectionem. Hincque conſequens eſſe volunt, ut nullam hujuſmodi neceſſitatem in Adamo noverit Auguſtinus, in quo nulla tunc erat naturæ depravatio, nulla corruptio.

Quibus id unum reponere juvat: non aliam illic Auguſtinum neceſſitatis hujus rationem afferre, quod de gratia efficaci medicinali, novas juſtis certantibus, atque pugnantibus vires addente ſermonem faciat; non de gratia efficaci ſimpliciter adjuvante, movente, ac prædeterminante quæſtionem inſtituat. De qua tamen ubi illi diſputare contingit, alias neceſſitatis hujus cauſſas aſſignat; ac tum maximè ſervandam creaturæ rationalis erga Deum, in operibus præſertim ſupernaturalibus ſubjectionem, atque ut Schola loquitur, dependentiam. Quod etſi permultis loco ſuo probavimus argumentis, placet nihilominus alterum addere, ex hoc ipſo *libro de corr. & grat.* ſumptum, undè totum adverſæ ſententiæ vindices præſidium petunt.

Probat igitur eo in lib. SS. Doctor *cap. 2. operari Deum in cordibus hominum, ut quod agendum eſt agant; inſpirationemque bonæ voluntatis, & operis* fidelibus inſtillare, ea ſubminiſtratione virtutis, quæ omnia in rebus omnibus operatur. Ac poſtmodum *c. 14.* poſtquam duplex illud adjutorium *quo fit opus*, & *ſine quo non fit* diſtinxiſſet, efficacis gratiæ neceſſitatem oſtendit, ducta comparatione, ac etiam probatione, ex efficaci, & præpotenti illa virtute, qua res ipſas naturales producit, conſervat, fovet, & auget. *Cum autem homines*, inquit, *per corruptionem in viam juſtitiæ ſeu veniunt, ſeu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum ſalutem, niſi*

niſi ille, qui quolibet plantante, atque rigante, & quolibet in agris, vel arbuſtulis operante, dat incrementum Deus; cui volenti ſalvum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium? Sic enim velle, ſeu nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. Etiam de his enim, qui faciunt, quæ non vult, facit ipſe, quæ vult. Quæ ſanè probatio efficacitatis Divinæ gratiæ, non ex infirmitatis humanæ titulo petitur, ſed ex ipſa creaturarum omnium a DEO OPT. MAX. pendentium ſubjectione; quæ major profectò in actibus ſupernaturalibus, quàm naturalibus debet eſſe.

VI. In ultimo tandem notant, objiciuntque non ſemel, Auguſtinum *lib. de corrept. & grat.* monuiſſe, *futurum fuiſſe Adami meritum, ſi permanere voluiſſet.*

Bona tamen fide dicam, quid inde colligant prorſus ignoro. Forſan permanendi voluntatem in homine primo ex Dei gratia orituram non fuiſſe, ne ſi eſſet ex gratia, non illi eſſet ad meritum? Proh quàm horrendum, ſi ſic colligunt, Paradoxum! Quaſi verò aut gratia merito poſſet obeſſe, aut meritum gratiæ: cum potius merita quæque quovis in ſtatu dona ſint gratiæ, ſuaque Deus dona coronet, dum munerat merita noſtra. At de his ſat multa diximus *cap.* 12. *n.* 3. ubi hanc ipſam difficultatem, Angelorum etiam occaſione fieri ſolitam, in anteceſſum occupavimus.

His fermè reſponſis, luce ut arbitror meridiana clarioribus; habebit religioſus Auguſtini lectator, undè ſparſas tribus capitibus *lib. de corrept. & grat.* ſententias tam multas in rectum, & Angelicæ Scolæ congruentem ſenſum exponat; ne ab ea, quam hactenus propugnavimus opinione, dimoveatur.

Habebit undè & illud exponat SS. Doctoris effatum *lib. de dono perſev. cap.* 7. ubi cum gratiam nobis neceſſariam docuiſſet *ut non diſcedamus a Deo*, atque ita ut perſeveremus in bono; e veſtigio ſubjungit: *Non eſt hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt; fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis, in illius primæ conditionis præſtantia quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum ſuis cadente in veritate ſteterunt, & ad ſecuritatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos eſſe certiſſimi ſumus, pervenire meruerunt. Poſt caſum autem hominis, non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo.* Quo ex loco conſequens videri poſſet, non eſſe quidem in præſentis vitæ ſtatu perſeverantiam, in poteſtate voluntatis humanæ; in illius tamen integra poteſtate fuiſſe, in ſtatu naturæ innocentis: hocque ipſum in ſemetipſis expertos Angelos Sanctos, ingenitis viribus ſtetiſſe, ac perennaſſe.

Ex

Ex dictis enim ac millies inculcatis intelliget religioſus Auguſtini ſectator: non eſſe nunc perſeverantiam in liberi arbitrii viribus poſitam; eo ſanè modo, quo fuit in Angelis, & in homine primo; nempe ſine ope efficacis gratiæ, novas Adàmo, Angeliſque vires addentis: (quandoquidem erant illis integerrimæ vires, ſufficientiſſimæque) quamquam aliunde nec in illorum quidem viribus perſeverantia fuiſſet, ſecluſa gratiæ cujuſvis prædeterminantis, viresque, roburque operi applicantis neceſſitate.

Cætera, ſi qua ſunt, tum ex tribus Capitulis *de corrept. & grat.* tum ex aliis Auguſtini libris objici ſolita, ea cumulatè ſuis locis, dum probationibus intenderemus, explicavimus, ac probè diluimus.

Digitized by Google

CAPUT XXV.

Poſtremæ, adverſus datas ſolutiones, objectiones occupantur.

I. AT ecce, inquiet mihi aliquis, ſi ſic eſt uti diximus, nihilque aliud ſibi voluit Auguſtinus nervoſis illis loquendi formulis, atque ſententiis, quàm quod hactenus expoſuimus; non indiguiſſe ſcilicet Protoparentes, & Angelos auxilio efficaci, majores illis, uberioreſque conferente vires; ſed juvante duntaxat, movente, applicante, ac etiam prædeterminante; objectam itaque a Monachis Adrumetinis difficultatem minimè ſolvit SS. Doctor, ſed callidè potius diſſimulavit. Quærentibus enim Monachis, cur modò juſtis hominibus vitio vertatur, iique graviter corripiantur, quòd in accepta juſtitia minimè perſeverent; tametſi neget illis Deus inæſtimabile illud donum, quo ſolo fieri poteſt, ut re ipſa perſeverent; repoſuerat illico Auguſtinus, negatum illis eſſe donum illud, ob demeritum originalis peccati; atque ita in vitio illos eſſe, ſi non perſeverent; quia & hæc ipſa doni ad perſeverandum neceſſarii denegatio ex ipſorum naturæ vitio ortum habet. Tum inſtantibus illis, & importunè quærentibus, quorſum ergo Adamo vertatur vitio, quòd non perſeveraverit in accepta iuſtitia; cum fingi non poſſit negatam illi eſſe gratiam ad perſeverandum neceſſariam, propter demeritum originalis peccati; reſpondet Auguſtinus, ut eo ſe modo expediat: *Nec ipſum Deus eſſe voluit ſine ſua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio ...... Quod adjutorium ſi homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus: ſed deſeruit, & deſertus eſt. Tale quippe erat adjutorium, quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet, non quo fieret ut vellet.* Quo reſponſo ſi ſibi tantùm id voluit, quod toties inculcavimus, nempe originalis iuſtitiæ donum in libero eius arbitrio fuiſſe relictum; quòd nempe tantarum ſe ipſo eſſet virium, ut efficaci non egeret auxilio, maiores uberioreſque vires illi conferente; tametſi aliunde efficaci egeret auxilio adjuvante, movente, determinante; haud planè ſoluta eſt difficultas: cum perinde quæri poſſet ab Auguſtino, cur Adamo ea ſit denegata gratia adjuvans, ac prædeterminans: curve ea ſibi denegata, quæ aliunde ad perſeverandum dicitur neceſſaria, adhuc tamen non perſeverando peccaverit?

II. Reſponſio mihi gemina præſto eſt. Prima, Auguſtinum objectæ

jectæ Monachorum difficultati ſatisfeciſſe, quantum humano ſtudio fieri poteſt; etſi non de integro ſatisfecerit, qua parte inſcrutabili Dei judicio reſervatur. Dum enim illuc diſputando ventum eſt, quò re ipſa pervenit SS. Doctor, non ultra progreditur humana mens: quodque præterea quæri poteſt, ad inſcrutabilia Dei judicia amandatur, & ab iis duntaxat curioſiùs inquiritur, qui plus ſapiunt, quam oportet. Hæc ipſa Doctoris omnium uti doctiſſimi, ita & humillimi confeſſio eſt *lib.* 11. *de Geneſi ad lit. cap.* 10. *Poſſet etiam Deus ipſorum* (*malorum*) *voluntates* (dicamus hic peccantis primi hominis voluntatem) *in bonum convertere*, (data illi gratia prædeterminante) *quoniam omnipotens eſt*. *Poſſet planè*. *Cur ergo non fecit? Quia noluit*. *Cur noluerit, penes ipſum eſt*. *Debemus enim non plus ſapere, quàm oportet ſapere* (Quod generatim & universè, de converſione voluntatis malorum in Deum, ne cadant, ab Auguſtino dictum eſt; non de converſione poſt lapſum, ut per pœnitentiam reſipiſcant; uti Anonymus Annotator exiſtimavit, quò mihi calumniam ſtrueret.) Quis autem Auguſtino ſuccenſeat, quiſve illum in ſolvenda Monachorum quæſtione diminutum dicat, quòd inſcrutabilia Dei judicia ſcrutatus non ſit, ac non penitus deſipuerit?

Neque refert ſi fortè dixeris, illud ſaltem præ noſtro habere commodi ſyſtema contrarium, quod objectam Monachorum difficultatem penitus evacuet, nihilque inſcrutabili Dei judicio relinquat. Non inquam id refert. Quod enim tu commodum vocas, hoc ego incommodum dico: aut certè humanæ intelligentiæ videtur commodum, æternæ tamen veritati incommodum eſt, ac etiam exitiale: cum ex divina revelatione noverimus, in iſto argumenti genere, uti in tam multis fidei capitibus, non illud ſemper eſſe verum, quod eſt captu facilius, ſed illud plerumque quod difficilius, ac etiam humanæ menti prorſus impervium, viroſque etiam doctiſſimos exclamare cum Apoſtolo cogit: *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! ad Rom.* 11. In his, ut rectè monet Auguſtinus *Serm.* 24. de verbis Apoſtoli, *Melior eſt fidelis ignorantia, quàm temeraria ſententia ...... Quæris tu rationem, ego expaveſcam altitudinem. O altitudo! Tu ratiocinare, ego mirer: tu diſputa, ego credam. Altitudinem video, ad profundum non pervenio*.

III. Reſponſio altera iſta eſt: Auguſtinum objectæ Monachorum difficultati cumulatè ſatisfeciſſe; non quidem qua latè patet ipſa per ſe ſe, ſed quantum ad eximendos querulorum Monachorum ſcrupulos, ea in occaſione neceſſe erat. Eam enim difficultatem de Adami perſeverantia implicaverant Monachi, ut oſtenderent

rent juſtum non eſſe modò corripiendum, quòd non perſeveret in bono, ſi gratia efficax, qua ſupponitur deſtitutus hoc ipſo quod non perſeverat, illi omnino eſt ad perſeverandum neceſſaria. Hunc porro ſcrupulum illis eximit Auguſtinus, objectamque difficultatem futilem eſſe demonſtrat, vel ex hoc ſolo, quod ſtatum Adami longè a ſtatu noſtro differre convincit; gratiamque illi ad perſeverandum neceſſariam, quantumlibet efficacem, alterius tamen eſſe conditionis, & ſortis a noſtra; nec infirmitatis titulo fuiſſe in illo deſideratam, quemadmodum deſideratur in nobis; nec eadem ratione potuiſſe illi denegari, qua nobis plerumque denegatur. Sic enim ſufficienter oſtenditur, lapſum Adæ in exemplum modò trahi non poſſe; eumque perperam a Monachis obtrudi, ut inutilem in præſenti juſtorum a juſtitia excidentium correptionem effutirent. Cœterum, an aliunde gratia efficax, ſtatus innocentiæ propria, & Adamo ad perſeverandum neceſſaria, occultis de cauſſis ad eum ſtatum attinentibus, negata illi fuerit; atque adeo & ipſe corripi juſtè potuerit, quòd in accepta juſtitia minimè perennarit; Auguſtinus hac occaſione non expendit; quia eximendis Monachorum Adrumetinorum ſcrupulis neceſſe non erat; qui certè in eodem cum Adamo ſtatu conſtituti non erant. Sed hoc aliis in libris ex divinis Scripturis expendit, prout ejus congruit inſtituto: Gratiamque efficacem Adamo, Angeliſque cadentibus ad perſeverandum neceſſariam, occultis divinæ ſapientiæ rationibus negatam oſtendit: Tum quòd beneficium prorſus indebitum ſit, *cujus negatione ſuperbiam humanæ præſumptionis extinguit:* Tum quòd divinæ providentiæ leges poſtulent, ut Deum ſuam quandoque creaturam ſuæ ipſius defectibilitati committat; *ut de malis benè facere poſſit:* Tum demum, ut ipſa gratiæ negatione, quæ ſubtrahitur aliquibus, majorem erga alios, quibus eam largiri lubet, dilectionem oſtendat. Quam ultimam rationem inſinuat Apoſtolus in *Epiſt. ad Romanos cap. 9. Suſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

IV. Cæterum quàm familiare fuerit Auguſtino, propoſitis ſibi quæſtionibus ſatisfacere, non quantum paterent illæ per ſe ſe, ſed quantum ſolvendis interrogantium dubiis ſatis eſſet; reliquis longè miſſis, quæ ad inſcrutabilia Dei judicia pertinerent, quæque minus tunc neceſſaria viderentur; multis admodum patet exemplis. Quorum potiſſimum extat Opuſculo de ſex quæſtionibus Paganorum, *Epiſt.* 102. *quæſt.* 2. ubi Ethnicis importunè quærentibus, cur Chriſtus poſt tam longa tempora venerit, compendio repoſuit: *Tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe qui*

in

in eum fuerant credituri: altero difficultatis capite, illoque graviori inſoluto relicto: *utrum nempe prædicato ſibi Chriſto, a ſe ipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi?* quia nihil id ad propoſitæ quæſtionis ſolutionem pertinebat; *ſed ad altitudinem ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, de qua non tunc, ſed aliàs opportunius diſputandum putavit:* quemadmodum ille ipſe fatetur *lib. de prædeſt. Sanct. cap. 9.*

Eodem quoque modo reſpondere contigit Auguſtino in *libris de Gen. ad lit.* dum ab illo quærerent Manichæi, *an poſſent omnes homines divina implere præcepta?* Repoſuit ſcilicet ille, *id omnes homines poſſe, ſi velint:* ac nihil ultra præterea. Undè autem haberent homines, quod ea implere mandata, & vellent, & poſſent, ne verbo quidem aperiendum exiſtimavit. Quia tunc præſens quæſtio poſtulabat, ut quæ libertati ſtatuendæ favere poterant, Manichæis humanæ libertatis hoſtibus explicarentur: quæ verò divinam gratiam poterant commendare, Pelagianis illius hoſtibus nondum obortis, in aliud tempus commodiùs differrentur. Quod ille *lib. 1. Retract. cap.* 10. faſſus eſt. *Non exiſtiment novi Hæretici Pelagiani ſecundum eos eſſe dictum; Verum eſt enim omnino omnes homines hoc poſſe, ſi velint; ſed præparatur voluntas a Domino, & tantùm augetur munere charitatis, ut poſſint. Quod hic ideo dictum non eſt, quoniam præſenti neceſſarium non erat quæſtioni.*

Non abſimiliter, ſed pari prorſus cautela uſus, quæſtionem alteram ventilat *lib. 2. de pecc. meritis, & remiſſ. cap.* 17. *Cur non ſit homo in hac vita ſine peccato, cum gratia adjuvante divina id poſſit?* Cui quidem reſpondet illico, *non eſſe homines ſine peccato, quia homines nolunt.* Ac tum addit: *ſi ex me quæritur, quare nolunt, imus in longum.* Subjungit nihiloſecius, *etiam hoc ſine præjudicio diligentioris inquiſitionis breviter dicam. Nolunt homines facere quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat ...... Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates.* Cœterum ab ea diligentiori inquiſitione prorſus abſtinet Auguſtinus, cur nempe non omnibus affulgeat gratia, qua & quod latebat innoteſcit, & ſuave fit quod non delectabat: quia id ad inſcrutabilia Dei judicia pertinebat; qui, prout libet, alios quidem homines immiſſa ſuavitate juſtitiam docet, alios perinde non docet. Quæ certè prima omnium ratio eſt, cur non ſit in hac vita omnis homo ſine peccato, tametſi gratia adjuvante divina id poſſit.

Quidni ergo eandem reſpondendi legem tenuerit Auguſtinus, ut ad Monachorum interrogata ſatisfaceret? ea ſcilicet aperiendo, quæ

quæ ad illorum ſcrupulos eximendos ſatis eſſent; iis longè relictis; quæ ad id neceſſaria non eſſent, & ad inſcrutabilia Dei judicia pertinebant.

V. Nec mirum cuiquam videri debet, ſi fortè Schola Thomiſtica, ſuo illo ſyſtemate conſtituto, nullam aliam denegatæ Adamo prædeterminantis gratiæ rationem poſſit afferre, quæ difficultatem omnem amoliatur, ſcrupulóſque eximat univerſos: ſed ad inſcrutabilia Dei judicia tandem aliquando confugiat. Quandoquidem, & in ſtatu naturæ lapſæ, ubi minor eſt, ea in parte, divinorum judiciorum profunditas; poteſtque primo ſtatim intuitu aliquantula denegatæ primæ gratiæ ratio proferri, corruptæ ſcilicet originis vitium: ubi tamen ad extremum ventum eſt, quæriturque ab ipſis Auguſtinianis, quorſum ex tam multis eodem originis vitio corruptis, uni potius, quàm alteri prima gratia denegetur; tunc ſanè, velint nolint, ad inſcrutabilia Dei judicia confugiunt; nec minus illi quàm noſtri exclamant cum Apoſtolo, *ad Rom.* 11. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei!* Quid itaque grave ferunt, ad eam nos ſacram ancoram ultimò tandem confugere, ad quam ipſi confugere compelluntur; imò & ad quam, in hoc ipſo referando myſterio, confugere compulſus eſt Auguſtinus?

Le Cardinal de Noris a bien reconnu que ceux qui ſe prévalent de cet endroit de Bagnés, pour le mettre au nombre des Cenſeurs de Saint Auguſtin, agiſſent de mauvaiſe foy, & exagérent à outrance ſes paroles & ſes expreſſions: (*a*) *Hiſpani hujus Theologi, quem ſemper inſenſum recentiores experti ſunt, teſtimonium contra S. Doctorem exaggerant. In qua quidem re cum mala fide procedant, illud nobis diligentiùs examinandum venit.* Il a reconnu que ceux-là au contraire ſont veritablement les ennemis & les cenſeurs de Saint Auguſtin, qui parlant de l'opinion de ce Pere, que Bagnés a regardée comme probable, quoy qu'il ne l'ait pas embraſſée, ont eu la temerité de dire, (*b*) *qu'ils en ont horreur, & qu'ils regardent l'héreſie que Calvin a ſoutenue avec tant d'impieté & de rage contre l'Egliſe, comme une ſuite naturelle de ce ſentiment.*

Il n'y a donc que le ſeul Catharin, qu'on ne peut excuſer de s'être déclaré tout enſemble contre Saint Auguſtin & Saint Thomas, lors qu'il a dit, que *leur opinion ſur la prédeſtination eſt cruelle, barbare, & capable de jetter les hommes dans le deſeſpoir; & qu'on ne doit pas eſtimer l'autorité de ces deux Docteurs, jusqu'a embraſſer aveuglément à cauſe d'eux un ſentiment manifeſtement faux.* Mais comment oſez-vous avancer, qu'aucun de vos Theologiens

(a) *Vind. Aug. cap.* 5. §. 10. (b) *Jean Adam dans ſon Calvin defait p.* 657.

logiens n'a jamais rein dit de ſi fort, puis que Molina (*a*) appelle en propres termes ce ſentiment, *cruel*, *barbare*, *inhumain*, *indigne de la juſtice de Dieu ?* Comment oſez-vous vous prévaloir de cet exemple, pour inſulter à l'Ordre de Saint Dominique, aprés qu'il s'eſt déclaré contre ce Theologien, qu'il l'a retranché du nombre des Thomiſtes, & qu'il a defendu à ſes Profeſſeurs de le citer dans les Ecoles ? La liberté qu'il s'eſt donnée de combattre ces Saints Docteurs, ne peut être reprochée qu'à ceux qui ont applaudi à ſes ſentimens, pendant que les Theologiens de ſon Ordre les combattoient avec zele ; à ceux qui bien loin de blâmer ſa temerité, l'ont louée, l'ont approuvée, l'ont autoriſée pour inſulter à Saint Auguſtin, juſqu'à prétendre qu'il a agi en cela, non comme Theologien particulier, mais comme Archevêque & Docteur de l'Egliſe catholique, appuyé du conſentement d'une infinité d'autres. *Ambroſii Catharini judicium eſſet meritò ſuſpectum, ſi quam profitetur interdum in Auguſtino deſerendo libertatem uſurpaſſet ſolus. Sed tanta cæterorum Doctorum conſpiratio ſatis oſtendit, Catharinum in ea re, non ut Catharinum, qui ſuo ſæpe ingenio multum indulſit, ſed ut Eccleſiæ Catholicæ Archiepiſcopum & Doctorem id cenſuiſſe*. Ce ſont les paroles du Pere Annat Jeſuite, à qui la paſſion démeſuré d'abbaiſſer Saint Auguſtin a fait commettre en cet endroit un anachroniſme, pour autoriſer par la qualité d'Archevêque ce que Catharin a écrit contre luy. Car ſes Livres de la Prédeſtination, dans leſquels il le combat avec ſi peu de ménagement & de reſpect, furent imprimez à Paris dés l'an 1541. & il ne fut nommé à l'Evêché de Minory qu'en 1546. & tranferé à l'Archevéché de Compſa qu'en 1552.

Dites-donc, mon Pere, ſi vous le pouvez aprés cela, que nos Teologiens ſont plus coupables en ce point que les vôtres ; que vous pourriez ſans difficulté changer les noms des Jeſuites, qui ſont citez dans l'Elyſienne, en noms de Dominicains ; & ſubſtituer des extraits de ceux-cy aux extraits de ceux-là, pour conclurre contre l'Ordre de Saint Dominique, comme l'Auteur de cette piece conclud contre la Compagnie des Jeſuites.

Le conſeil que vous vous ingerez de donner à nôtre R.P. General, & par lequel vous finiſſez vôtre lettre, part aſſurement du même fond d'eſtime & de ſincerité, qui vous a porté à vous adreſſer à luy, pour demander juſtice contre moy. *Il ne faudroit*, luy dites-vous, aprés luy avoir repreſenté les progrés que fait le Janſeniſme à la faveur de la doctrine des Thomiſtes, *qu'un petit ovrage de quelqu'un de vos ſcavans Profeſſeurs de Paris, où il montreroit en peu de mots la difference qu'il y a entre votre* do-

(a) *Concor. quæſt.* 23. *art.* 4. & 5. *diſp.* 1.

doctrine & celle des Janſeniſtes ſur la grace ; où il rendiſt ſenſible cette difference, & où il demêlaſt les artifices des Heretiques, qui abuſent de vos expreſſions, pour en habiller leurs erreurs. On entend aſſez ce langage, quand on eſt inſtruit des artifices, dont uſent la pluſpart de vos Theologiens depuis environ 40. ans. Le deſſein qu'ils ont de montrer, que le ſens de Janſenius, ſans jamais l'expliquer, eſt le même que celuy des Thomiſtes, pour les envelopper dans la même condamnation, fait aſſés voir, que vous avez voulu faire un defi à nôtre Pere General, en feignant de luy donner un conſeil ; & l'affectation avec laquelle vous luy rappellez par deux fois dans vôtre lettre, ces paroles prétendues du Cardinal du Perron à Clement VIII. *qu'il engageroit tous les Sectaires de l'Europe, quand on voudroit, à ſouſcrire à la doctrine de la prédetermination*, montre clairement, que puiſque vous ne nous croyez pas fort eloignés des erreurs des Lutheriens & des Calviniſtes, vous nous croyez encore moins éloignés de celles des cinq propoſitions condannées.

Mais puorquoy nous defiez-vous de montrer la difference qu'il y a entre nos ſentimens & ceux de Janſenius ſur la grace, aprés que vos Theologiens l'ont montrée ſi clairement, lors qu'ils ont cru qu'il y alloit de leur interêt de la faire voir ? Avez-vous oublié que vôtre Pere Annat en a fait voir dix-huict differences dans ſon Livre qui a pour titre, *La conduite de l'Egliſe ?* Ignorez-vous qu'il a prouvé fort au long dans ſon Livre *De libertate coacta*, qu'il n'y a aucune conformité de doctrine entre les Thomiſtes & les Janſeniſtes ? Qu'il a montré la même choſe dans ſon Livre *Contra Bayanos*, & dans l'*Informatio de quinque propoſitionibus ex Janſenii Theologia collectis ?* Qu'il a enfin compoſé dans Rome un Livre exprés ſous ce titre : *Janſenius a Thomiſtis gratiæ per ſe ipſam efficacis defenſoribus condemnatus, circa quinque propoſitiones quæ Romæ examinantur ?*

Ignorez-vous la proteſtation que fait vôtre Pere Dechamps dans ſon 2. Livre *De hæreſi Janſeniana* Diſp. *6.* chap. *9. Quoy-que les Janſeniſtes ſe glorifient d'avoir autant de garans de leurs ſentimens, qu'il y a de defenſeurs de la prédeſtination phyſique ; je puis dire neanmoins avec verité, que je n'ay point trouvé de Theologiens plus oppoſez a leurs erreurs, que ceux de l'Ordre de Saint Dominique, qui ont écrit plus doctement contre Calvin ?* Ce qu'il confirme en rapportant divers endroits de leurs Ovrages.

Ignorez-vous ce que dit vôtre Pere Martinon à la page 708. de ſon *Anti-Janſenius : qu'il n'y a aucune des cinq propoſitions de Janſenius que les Thomiſtes ne condamnent auſſi bien que les Jeſuites, & qu'ils ne combattent expreſſement dans les Ouvrages qu'ils ont compoſez ſur ces matieres ?*

Igno-

Ignorez-vous enfin ce qu'aſſure vôtre Pere Martinez de Ripalda dans ſon Ouvrage contre les articles de Michel Bayus, Livre 2. Diſp. 14. ſect. 5. *Que ceux-là ſe trompent, qui ne diſtinguent pas les Janſeniſtes* (qu'il combat ſous le nom de Bayens) *des Defenſeurs de la predetermination phyſique; & que les Janſeniſtes nous trompent eux mêmes, lors qu'ils nous veulent perſuader, qu'ils ne defendent que ce que les Thomiſtes enſeignent?* Ce qu'il montre être abſolument faux, en rapportant quatre differences fondamentales, entre la doctrine des Thomiſtes & celle des Janſeniſtes.

Je ne voudrois pas garantir tous les paſſages que je viens de rapporter, des équivoques & des artifices, qui ne ſont que trop ordinaires à vos Ecrivains en ces matieres. Mais enfin voila comme parloient vos Theologiens au commencement des preſentes conteſtations. Si vous changez preſentement de langage, c'eſt que vos interêts ont changé, & que vous étant expliqué plus clairement ſur le ſens condamné de Janſenius, & ne doutant point de vôtre explication, vous voudriez aujourdhuy faire retomber cette condamnation ſur nôtre Ecole, en confondant à deſſein ce que vos premiers Auteurs ont diſtingué.

Il ſeroit aisé de vous citer une infinité de nos Theologiens, *(a)* qui ont executé depuis long tems le deſſein que vous vous aviſez de propoſer à nôtre Pere General. Mais puiſque vous voulez que ce ſoit *quelqu'un de nos ſçavans Profeſſeurs de Paris*, comme ſi vous en teniez quelqu'un à vos gages, que vous pûſſiez faire parler, comme il vous plaiſt, je n'ay qu'à vous renvoyer à l'Ouvrage du Pere Bernard Guiart Regent des Etudes du grand Convent de Paris, qui a pour titre: *Diſcrimina inter doctrinam Thomiſticam & Janſenianam*. Vous verrez qu'on n'a pas attendu vos conſeils, pour executer ce que vous exigez de nous; & que vous parlez ſans être inſtruit de l'Hiſtoire du tems, lors que vous dites d'un ton railleur: *Et d'où vient donc qu'un tel ouvrage n'a pas encore paru?*

C'eſt vous au contraire, mon Pere, qui favoriſez les progrés non ſeulement du Janſeniſme, mais, qui pis eſt, du Calviniſme, en même temps que vous nous exhortez de les arrêter; puiſque vous inſinuez à tout moment, qu'on n'enſeigne dans les Egliſes proteſtantes, que ce que nous enſeignons dans nos Ecoles; & que vous abuſez du témoignage du Cardinal du Perron, pour confirmer cette calomnie. Ce mot que vous luy prétez, *qu'il engageroit tous les Sectaires de l'Europe, quand on voudroit, à ſouſcrire à la doctrine de la prédetermination*, eſt une de ces fables, qu'on croit dans vôtre Compagnie pouvoir rendre veritables à for-

ce

(a) *Nicolai. Gonet. Contenſon. Marceton. Piccinardi. Maſſoulié.*

ce de les debiter. Je n'ay guere lu de vos Peres, qui ajent écrit ſur la matiere *de Auxiliis*, qui ne nous chantent la même choſe; mais toujours ſans la moindre preuve. Je ne repeteray point ce que j'ay dit là deſſus, dans mon Hiſtoire, & dans ma Reponſe aux Queſtions importantes: je ne feray icy ſur cela que deux petites reflexions.

La premiere, que ce fait a été conteſté & combattu dès qu' on a commencé à le debiter. Auſſi tôt que M. Habert s'en ſervit pour favoriſer le Moliniſme, appuyé ſur l'autorité de M. Friſon, qui le rapporte dans ſa *Gallia purpurata*, il fut réfuté par un celebre Ecrivain, qui avoit eu ſoin de s'informer de M. Octave de Bellegarde Archevêque de Sens, des veritables ſentimens de M. Davi du Perron, dont il étoit intime amy, & à qui il avoit ſuccedé dans cet Archevêché. Auſſi voit-on, que les Continuateurs de Ciaconius, qui dans la Vie de ce Cardinal ont copié M. Friſon juſqu'à emprunter ſes propres termes, en diſant comme luy, qu'il fut cauſe qu'on impoſa ſilence aux parties ſur la grande conteſtation touchant la grace: *Autor fuit Romæ, ut diſputatio de Auxiliis gratiæ efficacis ſilentio involveretur:* on voit, dis-je, que ces Continuateurs ont ſupprimé ce qu'il avoit ajouté de cette parole prétendue, à cauſe ſans doute qu'ils en avoient reconnu la fauſſeté. Vous même, mon Pere, ne vous accordez pas avec M. Friſon: car vous faites tenir ce langage par ce Cardinal à Clement VIII. au lieu que cet Auteur le fait parler de la ſorte à Paul V. qui impoſa ſilence aux parties ſur ces conteſtations.

La ſeconde reflexion eſt, que quand il ſeroit conſtant, que le Cardinal du Perron auroit tenu ce langage qu'on luy attribue, & qu' il auroit parlé à Clement VIII. ou à Paul V. en ces termes, dans le deſſein de favoriſer les Jeſuites contre les Dominicains, il ne faudroit faire aucun fond ſur ſes paroles. Il ſuffit de voir dans les lettres de l'Ambaſſade de ce Cardinal les ordres reiterez qu'il recevoit du Roy ſon Maître, en faveur de la Compagnie, pour avouer qu'il n'étoit pas libre dans cette affaire, & qu'il ne s'y conduiſoit, ni par ſon propre mouvement, ni ſelon ſes propres lumieres. Quoy qu'il fuſt le plus habile Controverſiſte de France, il étoit neanmoins dans cette occaſion l'homme du Roy; & il parloit bien ſouvent, non ſelon ce qu'il croioit vray, mais ſelon ce qu'il avoit ordre de dire, comme font ordinairement les Ambaſſadeurs. Auſſi voit-on qu'il changea de langage, lors qu'il fut maître de ſes ſentimens, & qu'il parla comme Theologien. Le Pere Gibieuf Prêtre de l'Oratoire & Docteur de Sorbonne nous eſt garant de ce fait, dans une note

écrite de la main de celuy qui luy ſervoit de Secretaire, au commencement de l'Exemplaire de ſon Ouvrage *de la Liberté*, qu'il avoit corrigé & retouché pour une ſeconde Edition. (Le Cardinal du Perron, dit-il, parla au " Pere Baſtide Jeſuite en „ cette ville de Paris, où il paſſa, & fut quelque tems, allant „ de Rome en Eſpagne. Et comme ce bon Pere l'entretenoit „ avec grand ſoin, des raiſons qui rendoient la ſcience conditio- „ nelle neceſſaire à Dieu pour convertir les ames ſans interêt de „ leur liberté, ce Cardinal luy fit connoitre qu'il n'étoit pas de „ ſon ſentiment; & luy fit entre autres cette repartie: *quare enim* „ *non poteſt Deus dare gratiam per ſe, & abſolute victricem?* „ Feu M. Du-Val étoit preſent à ce pour-parler. Et ce bon Pe- „ re tout ſurpris de remarquer en ce Cardinal des ſentimens bien „ differens de ce qu'il attendoit, le ſupplia inſtamment de n'en „ rien dire à perſonne. Il connut alors, qu'il y a grande diffe- „ rence, entre un homme conſideré comme Ambaſſadeur, & con- „ ſideré comme Docteur. Etant à Rome il avoit parlé comme „ Ambaſſadeur, ſuivant la recommandation que le Roy luy avoit „ faite de la cauſe des Peres Jeſuites contre les Jacobins; & alors „ il parloit comme Docteur ſelon ſes propres penſées. C'eſt à „ moy que M. Du-Val a dit ce que deſſus.)

Ajoutez à ce témoignage ce que nous liſons dans le *Perronie-nes*, ou les bons mots de M. du Perron, *qu'il aſſura Meſſieurs de Nantes & de Saint Victor, que dans la diſpute de la grace, les Jeſuites ne ſçavoient où ils en étoient: que Valentia demeura le plus confus homme du monde & le plus honteux, & qu'il en mourut de deplaiſir:* & jugez aprés cela ce qu'on doit penſer du diſcours, que vous attribuez à ce ſçavant Cardinal.

Si j'étois perſuadé, mon Pere, que vous fuſſiez diſpoſé à recevoir de ma part, quelque avis ſalutaire, je prendrois la liberté de vous en donner quelques uns, en finiſſant cette Lettre. Je vous repreſenterois ſur tout l'obligation, ou vous êtes de reparer le ſcandale que vous avez causé per vôtre Libelle, & de vous retracter publiquement de la calomnie, dont vous m'avez chargé, ſur la choſe du monde, qui me doit être la plus chere, ſçavoir l'integrité de ma foy. Mais comme je ne ſuis pas aſſez informé de vos ſentimens ſur la calomnie, & que je ne ſçay ſi vous croyez que ce ſoit un peu plus qu'un peché veniel, d'impoſer de faux crimes à des perſonnes que vous n'aymez pas; je me diſpenſe de vous rien dire là deſſus.

Pour moy, qui ay non ſeulement en horreur ce ſentiment, mais qui crains même de donner la moindre atteinte à la réputation de qui que ce ſoit, je profite de ce peu de papier qui me reſte,

reſte, pour reparer une faute que j'ay commiſe en ce genre, quoy que ſans y avoir fait reflexion. C'eſt que j'ay attribué dans mon Apologie de Saint Auguſtin le Libelle dont il s'agit, à feu M. Launoy. Quoy que j'euſſe quelque ſujet d'en douter, j'ay ſuppoſé qu'il étoit de luy, parce que le titre le portoit, qu'il avoit été condamné ſous ſon nom, & que je n'avois point vu les Ecrits, que j'ay ſçu depuis qu'on a faits pour le defendre & le juſtifier à cet égard. Ainſi je ne jugeay pas à propos de m'éloigner de mon ſujet, pour examiner ce point de fait, qui ne faiſoit rien à la defenſe de Saint Auguſtin, que je m'étois uniquement propoſée. Je n'ay point connu ce Docteur par moy méme, & je n'avois perſonne au lieu où je ſuis, qui puſt bien m'informer de ce qui le regarde: de ſorte que je n'étois guere en état de le juſtifier ſur ce point là. Mais tant de perſonnes de merite & d'autorité m'ont aſſuré par leurs lettres qu'il n'eſt point l'Auteur de ce Libelle, & m'en ont donné des preuves ſi convaincantes, que je ne puis m'empécher de le reconnitre, & de luy faire ſur cela une eſpece de reparation. Je ſuis &c.

A Padoue ce 3. Avril 1705.

UNdè hæc diligentia tam ſeveri emerſit examinis? Undè in hanc auſteritatem ſupercilium tam tetricæ frontis ſe armavit, ut menſuras ſenſuum, pondera locutionum, numeros ſyllabarum inſidioſus ſcrutator eventilet, magnumque ſe aliquid conficere præſumat, ſi Catbolico Prædicatori notam erroris affingat? Quaſi incognitum aliquod Opus, & quod hactenus latuerit impetatur; ac non illa his morſibus doctrina lanietur, quæ novorum hæreticorum commenta disjecit, & diabolicum tumorem Pelagianæ elationis eliſit.

Sanctus Proſper in Proluſione Operis contra Collatorem.

Digitized by Google

CONFUTATIO
RESPONSI
EPISTOLARIS
A GABRIELE DANIELE
SOCIETATE JESU
AD PRIMARII ACADEMIÆ
PATAVINÆ THEOLOGI
LITTERAS DATI,

Qua ſingula ejuſdem Reſponſi capita continuata ſerie refelluntur.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI
MONITUM.

NE quid tibi, inter legendum, ſubobſcurum occurrat, ſi minus enatæ Danielem inter & me concertationis initia noveris, hæc tibi paucis habe.

Sextus decimus menſis eſt, ex quo Divum Auguſtinum a calumnia vindicatum *publici juris feci, adverſus Joannis Launoii Theologi Pariſienſis, e vivis dudum erepti, Traditionem, fœtu poſthumo recens editam; qua ſummus Prædeſtinationis & Gratiæ Doctor in invidiam vocabatur, quaſi repudiata Majorum fide, in extremos errores abiiſſet.*

Tertio poſt menſe, prodiit ejuſdem Launoii Epiſtola, ex Elyſio ad Generalem Societatis Præpoſitum data: qua Auguſtini abs ſe traducti culpam, Societatis Theologorum exemplo, depellere nitebatur: nihilque idcirco toto fermè Libello ſcriptum oſtendebat, quod ab iis ſumma fide non delibaſſet.

Daniel, publicatis ad vagæ probabilitatis, & æquivocorum defenſionem opuſculis, Litterariæ Reipublicæ notus, viſa Epiſtola, cujus me ſuſpicabatur authorem, efferbuit vehementiùs. Cumque nihil, quo ſuos ab illata Auguſtino calumnia vindicaret, opportunum occurreret, in ſcriptionem innocuam vertit iras; adornataſque a me Auguſtini vindicias ſugillare aggreſſus eſt. Epiſtolam Generali Prædicatorum Præpoſito inſcriptam vulgavit, qua varia de me expoſtulabat; inter quæ potiſſimum illud erat, quòd pagina 23. Auguſtini a calumnia vindicati propoſitionem hanc uti catholicam propugnaſſem: Homo lapſus indeclinabili & inſuperabili gratia eget, ut bonum agat, ob eam naturæ infirmitatem, in quam primi parentis peccato incurrit. *Calviniani, ac Janſeniani erroris virus hac aſſertione contineri dictitabat; multaque idcirco in me probra, atque convicia jaciebat.*

Inconſultum accuſatorem reſponſionis honore dignatus non eſt Præpoſitus Generalis. Reſpondi ego, cujus res agebatur. Singula criminationis capita diſpunxi, deſtinata Danieli Epiſtola. Ad id verò quod præcipuum fuerat, tria repoſui. Primò, Propoſitionem, in qua Calvinianum ac Janſenianum errorem ineptè locabat, Auguſtini ipſius eſſe, ſin minus ſingulis omnino verbis, at iis ſaltem, undè cavillandi anſam arripiebat. Sic enim habet Sanctiſſimus Doctor Libro de correptione & gratia cap. 12. Subventum eſt igitur

infir-

infirmitati voluntatis humanæ, UT DIVINA GRATIA INDECLINABILITER AGERETUR: & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur. *Secundò, Propoſitionem in ſuſpicionem adductam, ex me ipſo aſſertam non eſſe, nec a ſuis adjunctis avulſam; ſed a me uti dictum Auguſtinianum, a Launojo, quicum mihi res erat, temerè ſugillatum, quo ſenſu ab Auguſtino aſſeritur, vindicatum. Tertiò, Propoſitionem hanc ſi cui fortè cavillatorum pateret invidiæ, (ne rejiciendæ gratiæ poteſtatem inficiari videatur,) tritis Scholæ interpretamentis emolliri poſſe; queis aliæ non paucæ paris formæ Scripturarum & Conciliorum aſſertiones emolliuntur. Hæc, quod præcipuum criminationis caput attinet, datæ a me Epiſtolæ ſumma fuit.*

Daniel, ne ſuſceptam ſemel cauſam ſilentio perdere videretur; novos acuit ignes, alteramque mihi ipſi inſcriptam Epiſtolam dedit: ac multis (quæ malorum litigatorum ars eſt) facetiis, conviciis, ac probris infarſit: quam hic ego confutandam aggredior. Quid in hac ſcriptum legatur, non eſt cur in anteceſſum admoneam, quo tibi ejuſdem confutatio plana fiat. Eam quippe in ſcribendo methodum tenui, quæ cuncta tibi illius capita ob oculos ponet. Quamquam porro gallicam linguam Daniel affectarit, latinam nihiloſecius uſurpabo; quòd hæc agitandis Theologicis controverſiis congrua magis, nec ita, quibus dego terris, peregrina ſit.

CON-

CONFUTATIO
RESPONSI
EPISTOLARIS
A P. GABRIELE DANIELE
SOCIETATIS JESU
AD PRIMARII ACADEMIÆ
PATAVINÆ THEOLOGI
LITTERAS, DATI.

DUctis ad umbilicum Thomiſticæ Scholæ vindiciis, (*) incidit in manus expectata pridem Epiſtola, qua noſtræ tibi ante menſes aliquot deſtinatæ reſpondes. Attentè legere cœpi, ſcire avidus, quid contra factam afficti mihi erroris expurgationem, pro inſtauranda criminatione reponeres: maximè cùm ſtatim ab initio (*a*) Lectorem magna expectatione ſuſpendas, pugiones jactes, virtutem prædices, meque nova impreſſione obruendum, Traſonis oſtentatione denunties. Verùm abſoluta Lectione, pugiones plumbeos, linguam futilem, conviciorum acervum, vanamque jactantiam deprehendi: eaque mihi certa mens ſtetit, te haud alia mente, quàm ne victus ſilentio videreris, Epiſtolæ meæ reſcripſiſſe; minuſque Auguſtini dictum, in Juliani os tam frequenter illiſum, animo reputaſſe: *Hoc non eſt reſpondere, quod eſt non tacere*.

Vix enim conflatæ mihi nuper accuſationis caput leviter attigiſti, nonnulla mihi fidenter affingens, ac tecum ipſe intra paucas paginas apertiſſimè pugnans; modò me a laqueis, utcumque potui expeditum inquiens, modò me magis magiſque inductum in laqueos; nunc factum tibi ſatis a me dato reſponſo, nunc gravi me atque inſuperabili difficultate diſtentum obtendens: cum ſtatim

(*) *Contra ejuſdem Danielis Tractatum de gratia efficaci.* (a) *In monito ad Lect.*

cæteras propoſitiones meas, in invidiam antè traductas ſilentio mittens, nihilque ingerens novi, quo priſtinam criminationem inſtaures, ad minutias & adjuncta divertis: tum verò de calcaria, ut in proverbio eſt, in carbonariam digredieris, inſtituto de primis ſacræ Ethnicæ corruptoribus prolixo ſermone; ac veluti deſultorius in quadrigarum curriculum, ut Tullius ajebat, incurris (*a*) *O diſputare! O probare promiſſa! Oſtende promiſſa, quid pergis in vacua? Quid deludis expectationem noſtram, neque exhibes pollicitationem tuam.*

Quapropter ne in idem vitium incurram, ſi te de via tam enormiter declinantem veſtigiis inſequar, calcemque, ut dicitur, calce teram; memet intra inſtitutæ controverſiæ terminos continebo: miſſaque aut certè leviter perſtricta, portentoſa illa, quæ dimidiam reſponſionis tuæ partem excedit, de probabilibus opinionibus digreſſione, quæ me meaque ſcripta nihil attingit, inſtitutum unicè perſequar: quæque ad ſtructam mihi calumniam attinent, dato ad ſingula capita brevi reſponſo, (etſi fortè nil opus fuerat) refutabo. Quam in adornatis Thomiſticæ Scholæ vindiciis viam inſtitui, hanc porrò tenere pergam. Utque tuam tibi ſcenam ob oculos ponam, Epiſtolam in pauca contractam per partes integra ſerie repræſentabo; ſuamque cuique confutationem ſubjiciam.

Interea Lectorem veri ac pacis amantem admoneo, quin etiam ſanctè ac religioſè profiteor, me, quidquid demum pro tricandi libidine repoſueris, ſtylo in poſterum parciturum; ſatis mihi conſultum putans, ſi publico ſatisfecerim. Tædet enim pigetque, eandem integro ævo incudem tundere, ut hominem refractariolum ac præfidentem, nihil niſi canoras nugas objicere ſolitum, iteratis Scriptionibus onerem. Id ſi cordi habes, ut me fortè ab inſtitutis ſtudiis avoces, quin id ipſe ſi velim, non illi, queis ſtudiorum meorum rationem reddere cogor, utique patiantur. Jam ad inſtitutum accedo.

I.

Lectorem proludio (*b*) mones, nihil te ab Ordinis Prædicatorum Generali Præpoſito, ad datam pridem Epiſtolam accepiſſe reſponſi, quòd hæc fortè fortuna in Typographi manum incidiſſet, a quo typis vulgata fuerat.

Egregiè ſanè incœptas! A putido mendacio non dicam, horres enim, at, quod innocuum Opuſculo doces, ab æquivoco menteque reſtricto verbo initium facis. Malum omen, quod an multam tibi ab exordio conciliet fidem, haud ſatis ſcio. Quin agente te ipſo, aut cer-

(a) *Aug. lib. 3. contra Julian.* (b) *Pag.* 1. 2.

certè volente typis edita ſit, Præpoſito Generali inſcripta Epiſtola, nemo dubitat, qui prima ejuſdem exempla a te ipſo tuiſque Lutetiæ diſtributa vidit, ac penè momento circumquaque diſſeminata. Nec ambigunt Romanæ Curiæ Principes Viri, qui eodem deferente Curſore, tranſumpta typis edita recepere, quo Autographum ipſum tuum Generali Præpoſito redditum eſt. Hinc ſcilicet a te cuncta, aut certè tecum, ex condicto ac meditato conſilio facta, nemo non ſenſit. Utcumque tamen res illa ſe habeat, hariolaris ac vatem agis, dum hanc negati tibi reſponſi cauſam obtendis. Dabo certam ac minimè dubiam: nempe *quòd omni abjecta honeſti ſpecie, me probris ac maledictis inceſſeris*. Si fidem detrahis, authentico ſcripto convincam.

II.

Futurum ominaris (*a*) ut me neglecti inter ſcribendum officii atque honeſti aliquando pœniteat.

(*b*) *Cultor juſtitiæ, rigidi ſervator honeſti*, eſt tibi profectò quod plenam humanitatis & officii ſcribendi rationem gratuleris; quod multum de comitate te ames, tibique de honeſtis moribus plaudas? Scilicet quod te profeſſum vitiligatorem, & æquivocorum (quæ publico ſcripto docuiſti) Magiſtrum (*c*) data Epiſtola vocitarim, me modò furibundum, novatoribus ac rebellibus fœdere junctum, ab hæreticis ſeductum, ſuſpectæ doctrinæ virum, Religioſi Inſtituti probrum ac dedecus, pro ſumma humanitate compellas. Hæc tibi honeſta dicta, mortalium humaniſſime, ut me neglecti inter ſcriſcribendum officii atque honeſti peramanter admoneas. Hi tibi congenitæ comitatis floſculi, ut religioſam, quam exui, ſimplicitatem exemplo doceas. Hi tibi ſuaviloquentiæ ac lenitatis molliti globuli, queis furorem meum delinire, ac demulcere contendis.

Abſit ut parem in ſcribendo humanitatem affectem, & abs te modeſtiæ ac comitatis exemplum capiam; ne quod me dicis eſſe, re ipſa fierem. Hieronymo magiſtro ac monſtratore uti malim, ut probris licet atque conviciis laceſſitus, diſcam non repungere. *Nihil enim*, ait ille Epiſt. 65. *cauſæ prodeſt maledicentibus remaledicere, & adverſarios talione mordere; quibus præcipitur malum pro malo non reddere, ſed vincere in bono malum, ſaturari opprobriis, & alteram verberanti præbere maxillam*. Non ergo vicem rependam, ſed illatis famæ vulneribus manum duntaxat admovebo, tuaque probra ſimpliciter diſſipabo.

a) *Pag.* 2. (b) *Lucan.* (c) *Vide infra N. XI.*

III.

Dato Lectoribus monito, officioſa ſalutatione (*a*) Epiſtolam auſpicaris. *Datum tibi*, inquis, *a Præpoſito Generali Epiſtolæ meæ reſpondendi negotium gratulor. Quod apud illum geris in præſentia Scribæ munus decet te multò melius, quam quod apud Launojum in Campis Elyſiis geſſiſti nuper, teque ad altiora Ordinis tui munia certò provehet.*

Inepta planè gratulatio. Neque enim Præpoſiti nomine ſcripſi, ut has mihi partes ab ipſo impoſitas dicere poſſis, ſed a me ipſo: nec in concinnando Reſponſo, Amanuenſis ac Scribæ officio functus ſum apud eum, quem præmiſſa monitione, nullo te reſponſionis honore dignatum fateris. Eia tamen, quod mihi gratularis Scribæ munus honori duco, & officioſam ſalutationem accipio. Id unum dolet, nondum mihi datam a te, pari tecum gratulationis officio certandi occaſionem, qui necdum Præpoſitis tuis, ut quid Launojanæ Epiſtolæ reſcriberetur, neceſſarium calamum commodaſti. Num eo te Amanuenſis officio apud illos defungi aliquando continget, (quippè Propheta non ſum) divinare omninò non poſſum: id tamen & mihi & univerſæ Reipublicæ Litterariæ certò perſuaſum, eo te munere, dum de æquivocis ac probabilibus ſcriberes, apud nuper extinctum Præpoſitum Generalem (*b*) tuum minimè functum eſſe. Hæc enim quantum amas ipſe ac probas, tantum ille habebat odio: nec ſpes erat, ut adornatis a te hoc de argumento Dialogis & Opuſculis, fortunæ tibi ac dignitatis in Societate, ſi penes illum ſtetiſſet arbitrium, acceſſio fieret.

IV.

Pergis meque bono verbo compellas (*c*) *Abs te mihi de præcipuo expoſtulationis meæ capite factum eſt ſatis. Haud ita moroſus difficiliſque ſum adverſarius, nulla ut me contumeliis affectum excuſatio deliniat.*

Plagoſum Orbilium, auſteri ſupercilii nube poſita, territos pueros recreantem de tua voce recognoſco. Sic enim olim, dum in Grammaticæ Scholis infantia mea reptaret, ſi quo fortè lapſæ latinitatis vitio Ludi-magiſtrum irritaſſem, modò tamen die altera vendibilem ſcriptionem obtuliſſem, frontem ille confeſtim exporrigebat; utque meliora conarer, factum ſibi jam ſatis inquiebat, ſeque haud ita moroſum eſſe atque difficilem, ut non tam bella ſcriptione molliretur. At vide tu, an qui tibi ſatisfactum a me tam in-

(a) *Pag.* 5. (b) *Tyrſus Gonzalas*. (c) *Pag. 6.*

ingenuè profiteris, ita perindè famæ tuæ ac publico ſatisfeceris; audaciſque criminatoris notam eluſeris, qui te victum aut dicis apertè, aut ſilentio fateris? De quatuor ſiquidem propoſitionibus, errorem fronte præferentibus expoſtulabas, data illa tua ad Præpoſitum Generalem Epiſtola, cœlumque terræ miſcebas: modò ſcripto refutatus, de prima, qua potiſſimum ſtabat criminationis tuæ caput, factum tibi ſatis agnoſcis; de cæteris ne verbum quidem habes, quo dicta confirmes. Injiciebas, quæ dudum in vulgi fabulam venit, Janſeniſmi ſuſpicionem, ex tacito (ut effutiebas) a me Janſenii nomine, minuſque, ut tibi quidem videbatur, accurata Janſeniſtarum a me data definitione. Geminam ego dilui conjecturam. Quid tu modò? Utramque ſilentio premis, aliaſque divendis, quas poſtea propulſabo. Addebas, procuſum a me abſonum paradoxum, de Luthero atque Calvino a ſuis in præſentia deſerto, deque emollitis priorum Reformatorum, circa voluntatis arbitrium, aberrationibus. Rem totam ego illuſtrium Virorum ſuffragiis comprobavi. Quid tu jam? Ne hiſcis quidem. Tritas Scholæ Thomiſticæ diſtinctiones, queis nonnullarum propoſitionum duritia emolliri poſſet, a me neglectas objiciebas. Has uſurpatas oſtendi: nec tu quidquam in præſenti regeris in oppoſitum. Nonnulla Auguſtini temperamenta, prætermiſſa dictitabas. Hæc plenis paginis adhibita probavi; nec contra quidquam reponis. Thomiſticæ Scholæ proceres contemti ac depreſſi Auguſtini incuſabas. Crimen depuli: tu modò ne quidem mutire audes, aut verbum efferre, ut accuſationem ſuſtineas, ac defendas. Thomiſtas cum quinque famoſarum propoſitionum defenſoribus ſociabas; aut certè ita illos ſenſibus affines innuebas, ut internoſci vix poſſent. Hos toto cœlo diſtare, tuorum ſuffragio demonſtravi. Iſthæc ſurda præteris aure. Cardinalis Perronii dicterium in Scholam Thomiſticam jaciebas. Hoc tibi fabulis accenſendum oſtendi; nec muſſitas, ut dicto fidem adſtruas.

An ergo ita tibi propitium putas hominum genus, ut eis de tua Epiſtola ſatisfactum exiſtimes; qua te, in omnibus alicujus momenti capitibus, ſilentio victum oſtendis; nec niſi peregrina ſectaris, quæ motæ inter nos controverſiæ ſummam nihil attingunt? Equidem ſubire mentem tuam cogitatio illa potuit, ſi illos de tota Epiſtola, ex una præmiſſa monitione judicium laturos exiſtimaſti; qua te novum ac validiorem facturum impetum polliceris, verbiſque virtutem jactas. At ſi integram lecturos Epiſtolam credidiſti, unus tibi metus eſſe potuit, ne vanas pollicitationes tuas, inanemque jactantiam experirentur.

Age tamen videamus, quorſum tibi de præcipuo expoſtulationis capite factum ſatis, aut fateris, aut fingis.

V.

V.

Factum tibi ſatis ita (*a*) ſignificas : *Concedis primò Propoſitionem, quæ mihi offenſionem dederat, Libro tuo contineri. Secundò, hanc a te receptam eſſe atque probatam. Tertiò, haud inficiaris, quod a me dictum eſt, Calviniſtarum ac Janſenianorum neminem, tametſi ſenſibus ampliorem & audaciorem, reperiri, qui propoſitioni illi tuæ abſque circumſcriptione, interpretamento, & exceptione non ſpontè ſubſcribat: quòd hæc Calvini atque Janſenii, de gratia neceſſitatem inferente, errorem apertè ac diſtinctè contineat. Quartò, Propoſitionem hanc totidem verbis in Auguſtino non haberi, fateris ultrò. Hæc tollendo ſcandalo plurimùm juvant, quin etiam palinodiæ loco haberi utcumque poſſunt*. Addis me poſt varios quæſitos anfractus ac diverticula, *propoſitioni in ſe ipſa ſpectatæ damnationi ſubſcribere: ægrè quidem ac difficulter, verè tamen.*

De voce Orbilium noveram paulò antea, nunc Thraſonem. Illud quippe glorioſi militis proprium eſt, ut cum ſe fuſum fugatumque ſentiat, ſubmiſſos ſibi faſces publicè prædicet, ac multò quàm antea glorietur.

Ego quidem factum tibi ſatis exiſtimabam, quòd Propoſitionem erroris inſimulatam, non tam meam, quàm Auguſtini eſſe demonſtraſſem ; ſin minùs omnibus ac ſingulis queis conflatur vocabulis & apicibus, at iis maximè, queis ſumma audacia tam turpem notam affricabas. Res enim patet ipſa per ſe ſe. Sic ego pag. 23. Auguſtini a calumnia vindicati : *Homo lapſus indeclinabili & inſuperabili gratia eget, ut bonum agat, ob eam naturæ infirmitatem, in quam primi parentis peccato incurrit.* Sic verò Auguſtinus Libro de Correptione & Gratia cap. 12. *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur : & ideò quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur . . . . . . Infirmis ſervavit, ut ipſo donante, invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent.* Eccur enim propoſitione illa mea errorem contineri prædicabas? Non utique quòd lapſum hominem egere gratia dicerem, ob contractam primi parentis vitio infirmitatem & corruptionem. (Quamquam ſi errorem iis in verbis poſuiſſes, Auguſtinianæ perindè propoſitionis ſummam ea cenſura petiiſſes.) In alia duntaxat verba, queis *indeclinabilem & inſuperabilem* gratiam dixeram, tuus ille tam pius, tam ſacer furor exarſit. Hinc amaræ tuæ illæ voces, iræ, quærelæ, Calviniſmi ac Janſeniſmi liberales accuſationes. At nunquid hæc ipſa, velis nolis, tibi ingerit Auguſtinus, dum hominem Divina gratia INDECLINABILITER

ET

(a) *Pag. 6. 7.*

ET INSUPERABILITER agi contendit ? Niſi fortè ita refractarius ac pervicax es, ut diverſam, quod Theologicum ſenſum attinet, adjectivis illis vocabulis ſignificandi vim tribuas, quàm adverbiis: aliudque, judicio tuo, ſibi velit gratia in agendo indeclinabilis & inſuperabilis, aliud gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter agens. Quamquam ſi Theologicam majeſtatem in hunc Grammaticæ ludum demittere velles, haud ita moroſus eſſem, quin Auguſtinum hoc ipſo adjectivo nomine uſum oſtenderem, ut Divinæ gratiæ efficaciam indicaret: eodem videlicet Libro de Correptione & gratia cap. 8. *Voluntas humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratia potiùs libertatem; & ut perſeveret delectabilem perpetuitatem, & INSUPERABILEM fortitudinem.* Baſilium magnum adjicerem, (etſi non illum, ſed Auguſtinum unum, dum ejus vindicias ſcriberem, in oculis habuiſſem) Sermone de libero arbitrio ita ſcribentem: *Impoſſibile eſt propriis viribus offendicula verſuti hoſtis vincere, niſi INSUPERABILIS Dei potentia occurrat.*

Immò ſi variam vocum iſtarum ſignificationem ac poteſtatem rimari liceat, vereor maximè, ne molliùs quam par eſſet, Auguſtinianæ propoſitionis ſummam, uti mihi decretum fuerat, mea illa propoſitione reddiderim: nevè, ſi quid fortè in reddendo Sanctiſſimi Doctoris ſenſu peccavi, mollitie potiùs, quam, quæ a te mihi (*a*) objicitur, aſperitate deliquerim. Qui enim gratiam efficacem *indeclinabilem & inſuperabilem*, ſimpliciter dicit, haud ſatis apertè ſignificat, qua demum ratione contingat, ut nunquam declinetur ac ſuperetur: num ab externa deſtinatione eventuumque concentu, an ab adjunctis prætenſo ſcientiæ mediæ lumine exploratis, an demum a congenita ſibi flectendi arbitrii virtute ac poteſtate. At dum infirmam hominis voluntatem *Divina Gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter agi* pronuntiat Auguſtinus (*b*) hanc illi vim inditam apertiſſimè docet, ex intimò agendi movendique modo, quo infirmam voluntatem quocunquè lubet inflectit. Ut hinc nemo non videat, me pro attenuata utcunque Auguſtini ſententia, Thomiſticæ quam Molinianæ partis invidiam potiori jure ſubiturum.

Alio ex capite factum tibi ſatis exiſtimabam, quòd multis oſtenderim, deſcriptæ propoſitionis ſcopum ac finem, cæteraque omnia ſcriptionis adjuncta, ita ſenſum ejus & intelligentiam figere, ut non aliam niſi Auguſtinianam notionem præ ſe ferret. Cum hanc ipſam non ex arbitrio poſuiſſem, ſed uti Auguſtiniani dicti, ab Launojo temerè ſugillati, ſummam dediſſem, productis paris ſignificationis ac formæ Scripturarum & Conciliorum oraculis vindicandam:

(a) *Pag.* 5. (b) *Pag.* 1. 2.

dam: unamque gratiæ ſe ipſa victricis ſignificationem, gemino illo, unde tibi cordolium eſt, vocabulo, contineri declaraſſem.

Juvabat hanc de te opinionem meam, quod tritas tibi Scholæ Thomiſticæ diſtinctiones ſubjeciſſem, quibus, ſi quid pravi ſenſus deſcriptæ propoſitioni a te tuique ſimilibus objiceretur, (quaſi hæc reſiſtendi potentiam neget) nullo negotio ſolveretur. Et quidem ni tu illas admiſeris, praviſque ſenſibus amovendis pares agnoveris, Auguſtinianam non ſecus ac meam propoſitionem habebis in vitio. Si enim dum inquio, gratiam efficacem in agendo movendoque indeclinabilem & inſuperabilem eſſe, pravum ſenſum cauſaris illico; nec me de poteſtate conſequenti (qua nempe gratia efficax nunquam re ipſa declinatur ac ſuperatur) locutum intelligis, ut inde affricandi mihi erroris anſam arripias: qui, quæſo, Auguſtini propoſitionem recipies, ac non illi pari libertate erroris notam inures: *Homo Divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter agitur?* Par enim in utraque propoſitione, immò in Auguſtiniana aliquantulum major verborum nervus, vis, ac poteſtas: ut planè, ſi adſit cavillandi animus, negatæ reſiſtendi potentiæ invidiam ex æquo ſubeant.

His ego factum tibi ſatis opinabar. Verùm, ut video, mea me fefellit opinio. Non enim datis a me deſcriptæ propoſitionis probationibus atque vindiciis, tibi ſatisfactum obtendis; ſed, quæ tua jactantia eſt, retractatione ac palinodia, quaſi dictis non firmiter ſteterim, ſed pedem retulerim. Agedum, quæque ſubjicis commentitiæ palinodiæ ſpecimina perpendamus.

Primum alterumque tantum abeſt ut retractationis loco haberi poſſint, ut potiùs confirmationis ac probationis. Quòd enim propoſitionem, quæ tibi ſtomachum movet, libro meo contentam probatamque conceſſerim, quis, niſi cerebrum in calcaneo geſtet, revocatam interpretetur.

Tertium, quod abnutivo duntaxat & inficiali argumento conſtat, cavillationis atque calumniæ plenum eſt. *Haud inficiaris*, inquis, *quod a me dictum eſt, Calviniſtarum ac Janſenianorum neminem, tametſi ſenſibus ampliorem & audaciorem reperiri, qui propoſitioni illi tuæ, abſque circumſcriptione, interpretamento, & exceptione non ſpontè ſubſcribat; quòd hæc Calvini atque Janſenii, de gratia neceſſitatem inferente, errorem apertè ac diſtinctè contineat.* Quaſi verò, id non inficiar? An ergo, ſi ſuperis placet, quia non omnes ac ſingulas prioris Epiſtolæ tuæ propoſitiones ac voces diſtinctè ac ſeparatim, dato peculiari reſponſo refutavi, probaſſe quaſcumque tibi libuerit, reputabor? Aut fortè non ſatis tibi videtur eſſe, quod ſtructæ calumniæ ſummam & caput, quo declamationes tuæ omnes unicè tendunt, confutarim ac retuderim;

quòd

quòd propoſitionem illam meam, Auguſtinianæ quam compendio reddebam ſententiæ medullam complecti, perſpicuum fecerim: quòd verba ipſa, in quibus hæreſim locabas, ejuſdem divinæ gratiæ Vindicis eſſe demonſtraverim: annon, inquam, id ſatis, ut hac una generali confutatione, voces illas omnes, calumniæ & invidiæ plenas reſpuiſſe putandus ſim? Id ſi velis, Calvinianum & Janſenianum errorem in Auguſtiniano dogmate locare convinceris. Quid ergo illi tui ſubſcripturi ſint Janſeniſtæ, ac etiam Calviniani, nec expendi tunc, nec moror hodie, ſed quid ipſa veritas habeat: quandoquidem & illos Apoſtolico Symbolo ſubſcripturos, haud vana fides; quod tamen idcirco in erroris ſuſpicionem venire non dices.

Addam obiter (quamquàm nihil intereſt) minùs te de tuis illis, quos nobis obtrudis, Janſeniſtis, ac Calvinianis congruenter & aptè loqui, dum ais, neminem unum ex iis inventum iri, qui propoſitioni meæ *abſque circunſcriptione*, *interpretamento*, *&* *exceptione* (*a*) non ſpontè ſubſcribat. Si enim, ut ais ipſe, in vindicanda efficaci gratia, non defectu, ſed immoderatione peccant; nec quòd minùs, ſed quòd ampliùs quàm par eſſet, gratiæ tribuant, in vitio ſunt; illos ergo propoſitionem, quam nimiæ aſperitatis & immoderationis accuſas, *abſque circunſcriptione*, *interpretamento*, *&* *exceptione* probaturos, ineptè dicis: cùm contra potius, ut tibi congrueres, hanc illos uti ſuam, nullo addito ſeveriori & aſperiori interpretamento probaturos, dicere debuiſſes. Ita quippe, ſin minùs veritas, at congruus, tuoque aptus inſtituto ſenſus conſtaret. Ad id obiter, uti monui.

Quin itaque huic meæ propoſitioni ſubſcripturi ſint Janſeniſtæ illi tui, ac etiam Calviniani, non inficior: uti planè dubium nullum ſubit, quin Auguſtinianæ, quam compendio reddidi, aſſertioni pari ratione calculum adderent. Verùm nihil illos addituros præterea, ut erroris ſui ſenſum exprimerent; quaſi iis ſolis *gratiæ indeclinabilis & inſuperabilis*, ſeu quod idem eſt, *indeclinabiliter & inſuperabiliter agentis* vocibus, Calvinianus ac Janſenianus error expreſſus ſit, plenum temeritatis atque calumniæ probrum eſt. Id à te plenis buccis millies ingeri, minùs miror, qui Calvinianum errorem *gratiæ ſe ipſa efficacis* vocabulo, Catholicarum Scholarum uſibus conſecrato, congruenter exprimi, edito nuper de gratia efficaci Tractatu Theologico, apertiſſimè docuiſti. (*b*)

Quartum à te mihi tàm fidenter affictæ palinodiæ ſpecimen, quòd nempe *propoſitionem hanc meam, totidem verbis in Auguſtino non eſſe faſſus ſim*, præ reliquis vanum ac frivolum eſt. Equidem, uti ſuperiùs innuebam, ſi omnes ac ſingulas, queis conflata eſt propoſitio, voces ac ſyllabas ſpectes, in Auguſtino non haberi, haud ægrè dedi.

(a) *Sans reſtriction, ſans explication, ſans exception.* (b) *Pag.* 7.

At ſi illas ipſas voces attendas, queis errorem tam liberaliter aſfricabas, has in Auguſtino, ac etiam majori dictionis nervo, contineri profeſſus ſum (*a*) nec ovum mihi viſum eſt unquam ovo ſimilius, quam geminæ iſtæ, quod integrum ſenſum attinet, aſſertiones.

Homo lapſus INDECLINABILI ET INSUPERABILI gratia eget, ut bonum agat, ob eam naturæ infirmitatem, in quam primi parentis peccato incurrit.	*Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina gratia INDECLINABILITER ET INSUPERABILITER ageretur: & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.*

Ultimum, quòd *propoſitionis in ſe ipſa ſpectatæ damnationi ſubſcripſerim*, a vero longiùs abit. Quem ſenſum propoſitio illa mea, a ſua ipſius ſede & adjunctis avulſa, ſi cavillandi adeſſet animus, poſſet induere, non expendi; quòd repellendæ criminationi nihil eſſet opus. Satis quippe ſuperque erat, ſi ab adjunctis, a fine, a ſcopo definitam, Auguſtinianum gratiæ ſe ipſa victricis ſenſum, multò evidentiùs & certiùs accipere demonſtrarem. At tantum abeſt ut avulſæ propoſitionis ſenſum obvium, quem verba ipſa præ ſe ferunt, Calvinianum ac Janſenianum, ut obtrudebas, eſſe conceſſerim, ejuſque idcirco damnationi ſubſcripſerim; ut contra potius figmentum id eſſe, & a te pro arbitratu fabricatum ac fictum diſertiſſimè pronuntiarim. *Congere*. inquiebam pag. 7. (*b*) *argutias mille, ut propoſitionem hanc, nativo ac ſimplici ſenſu, QUALEM TIBI IPSE FINGIS, acceptam, hæreticam probes.* Et pag. 5. (*c*) *Nativum, QUEM PRO ARBITRATU SENSUM APPELLAS, Lutheranas, Calvinianas ac Janſenianas notiones illius verbis AFFINGENS &c.* Næ te itaque Auguſtini mei verbis compellare mihi liceat: *Tu vir honeſtus ac verax abſtuliſti verba quæ dixi, & dixiſti quæ finxiſti. Redde ergo verba mea, & vaneſcet calumnia tua? Lib, 4. primi Operis contra Julianum cap.* 8.

Cæterùm ſi nativum & obvium hujuſce meæ aſſertionis, ab omnibus adjunctis avulſæ, ſenſum, ſcire aves, *datur gratia indeclinabilis & inſuperabilis;* illum ipſum habeto, qui hujuſce, quod compendio reddidi, Auguſtiniani effati, a ſuis etiam adjunctis avulſi eſſe debet, *datur gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter agens*. Aut ergo Auguſtinum damnabis mecum, aut me abſolves cum Auguſtino. Sed eſt illa, ut video, calliditas tua, quod cum Auguſtini propoſitionem aperta fronte ac detracta larva ſugillare pudeat, ne publicam bonorum omnium ſubires invidiam; hanc catè ſilen-

(a) *Pag.* 8. (b) *Pag.* 7. *Telque vous vous le figurez &c.* (c) *Pag.* 5. *Qu'il vous plaiſt d'appeller ſon ſens naturel &c.*

ſilentio premas, ac de mea tantummodò dicas. Quaſi aliud ego, quàm Auguſtini dictum, ab Launojo erroris inſimulatum, compendio reddere ac vindicare inſtituiſſem: aut tu aliud, tot illis criminationibus, apud æquos æſtimatores, velis nolis, agere convincaris, quàm ut ſub meo tandem corio vapulet Auguſtinus. At de his plura in noſtris Thomiſticæ Scholæ vindiciis, Animadverſione trigeſima, ubi procuſum a te de Gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter agente, deque dono perſeverantiæ abſonum paradoxum, ab imis fundamentis evertimus.

VI.

Relicto Theologico argumento, ad ingenium redis, ut fabulam agas. Comœdiæ tribus (*a*) actibus diſtinctæ ſpecimen ſubjicis, qua (*b*) *Vir ſuis ingratiis Janſeniſta* luderetur; mihique primarum partium perſonam imponis. Me itaque actu primò Janſeniſtam repræſentas, ob defenſatam, de qua ſuperiùs egimus, aſſertionem. Altero, expurgationem a me datam ſpectatoribus objicis Tertio, me meis ingratiis Janſeniſtam pronuntias: quòd mea illa aſſertione, Auguſtinianæ periodi ſummam contineri reſponderim. Te tamen, ut es ſummè ingenuus, in hoc ultimo inducendo Epiſodio admodum impeditum fateris, ne videlicet a veriſimilitudine abhorrere ſpectatoribus videatur. Tum poſtea, miſſo joco, aſſertæ a me propoſitionis delationem ad Sedem Apoſtolicam & Epiſcopos faciendam, de gravi ſupercilio minitaris.

Si quot tu, tuique ſimiles, ſuis ipſorum ingratiis facitis Janſeniſtas, diſtinctis fabulis luderes, vereor ne tu unus Statios ſimul omnes, ac Plautos, Licinios, Attilios, Terentios, Turpilios, Luſcios, Ennios, & quidquid uſquam Comicorum fuit, ſcriptis comœdiis ſuperares. Millenos enim quotis horis, quovis ex ordine fabricamini: non qui tales re ipſa cum ſint, haberique pro talibus nolint, ſuo a vobis vocentur nomine: ſed qui cum a Janſenianis erroribus procul abſint, ac ipſas plerumque gratiæ controverſias ne quidem extremis labiis attigerint, pleno invidiæ nomine compellentur. Quare mirari ſubit, adeo te in claudenda fabula laborare; ne fortè tuum illud, quo meis ingratiis Janſeniſta pronuntior, epiſodium minus veriſimile videatur. Sat erat, ut cuncta bellè congruerent, ſi te ipſum (ut in epiſodiis ſæpe fit) ex improviſo in ſcenam inferres, actumque ultimum luderes: quo me quantalibet expurgatione abſolutum, nihilque commune cum Janſenianis erroribus habentem, pro ſumma tamen, quæ tibi ad fin-

Sss 2 gen-

(a) *A pag.* 8. *ad* 12.
(b) *Le Janſeniſte malgrè luy*.

gendos creandoſque ex arbitrio Janſeniſtas data eſt, poteſtate; meis ingratiis Janſeniſtam è tribunali pronuntiares. Hic aptus fabulæ exitus, hæc mimi clauſula; qua non Janſeniſta ſuis ipſius ingratiis factus, ſed ſummus Janſenianorum creator ac fictor pro meritis luderetur. Fœlicem Comœdo te atque ludione Janſeniſtam! Hunc ſummè catholicum eſſe oportet, quem nonniſi theatralis ac ſcenicus Inquiſitor hæreticum & dicit & facit.

Quàm me porrò, tam longè diſſitum, minæ tuæ modicè tangant, vel ex eo, ſi ſenſum habes, intelligere potuiſti, quod ne illos quidem affecerint, qui tam prope ab ædibus tuis, has ipſas, quas ad ſupremos Judices te delaturum minitaris, loquendi formulas, ſuis nuperrimè theſibus propugnarunt. Ea quippe Menſe, ni fallor, Auguſto proximè elapſo, Sorbonicis Theſibus aſſertio inſerta eſt, ſubſcribente de more florentiſſimæ Academiæ Syndico, Theſiumque Cenſore: *Gratiam efficacem non ex voluntatis aſſenſu, non ex mediis congruis aſſero; ſed illam ſe ipſa efficacem arbitror. Illius efficaciam ex Dei omnipotentis dominio, ex naturæ corruptæ indigentia ac dependentia; uno verbo, ex ſe ipſa, per ſe victrici, & INSUPERABILI GRATIÆ NATURA*. Nec minùs, opinor, declamationes illas tuas, tertiumque fabulæ tuæ ludum deriſiſſet piiſſimus æquè ac doctiſſimus Contenſonius, qui recitata celebri illa Auguſtini periodo, cujus ſummam propoſitione mea contineri reſponderam, ita demum pari mecum compendio colligit, *Libro* 8. *Theologiæ mentis & cordis Differt.* 1. *cap.* 2. *ſpec.* 2. *Vides eatenùs Auguſtinum velle, nos egere gratia inviƈtiſſima, INDECLINABILI, victrici, & per ſe efficaci; quia voluntas noſtra peccato infirmata, & vi concupiſcentiæ corruptæ illecta, abſque hujuſmodi fortiſſimo adjutorio deficeret*. Cui certè præſtantiſſimi Theologi aſſertioni, mea illa, quæ tibi oculos urit, adeo ſimilis eſt propoſitio, ut illo interprete ac monſtratore, Auguſtinianæ periodi ſummam collegiſſe videri poſſem, niſi adeo plana res eſſet, ut nullo, in ſumma colligenda, Doctore ſit opus.

VII.

Abſoluto, ut tu quidem exiſtimas, (*a*) conflatæ mihi accuſationis capite, ad ea quæ tibi ipſi crimini dederam diluenda, tranſitum facis. Ac primùm quidem, quo te calumniæ poſtularam, quòd me Janſenianis fœdere junctum vocitaſſes, verum eſſe contendis. Idque ut probes, Epiſtolarum mearum excerpta, ad

(a) *Pag.* 13. 14. 15.

ta, ad quæ exhibenda te provocaveram, recenti veſtra Auxiliorum Hiſtoria contineri ais. Tum poſtea in Queſnellium declamas, quem meæ Auxiliorum Hiſtoriæ ex parte ſaltem Authorem facis.

Gradum deſeris, Amice, ac pedem refers: ac tum maximè dum provocationi videri vis reſpondiſſe. Neque enim te de proferendis ſimpliciter Epiſtolis appellavi, qui me potius in Belgium, ubi quoſcumque libet Janſenianos comminiſceris, ad librorum quorumdam editionem procurandam ſcripſiſſe, tam ingenuè faſſus ſum: ſed de iis, ſi potis eſſes, litteris exhibendis, quæ me aut pravorum dogmatum communione, aut occultarum, viroque religioſo indignarum artium molitione, cum mortalium aliquo conjunctum eſſe oſtenderent: ac etiam quæ me conficta ex condicto nomina, occultaſve notas, undè vel levis occulti alicujus conſilii ſuſpicio ſuboriri poſſet, (etſi nec inde ſummo jure ſuboriretur) inter ſcribendum uſurpaſſe convincerent. Hujus porro generis nullas exhibet tua illa, quam jactas, Auxiliorum Hiſtoria: ut hinc planè vadimonium deſeruiſſe publicè convincaris. Tu-ne unquam in Angliam atque Bataviam, privati commodi ſtudio, litteras deſtinaſti? Aut fortè quotquot illuc, mercaturæ cauſa, litteras ſcribere deprehendes, violatæ religionis ac fidei, initique cum hæreticis fœderis accuſabis? At commodior ea de re dicendi ſe dabit occaſio, in ea quam paro illius Hiſtoriæ eventilatione; ut tuam illam, qua me territum velles, fabularum & conviciorum ſtruem evertam. Interea noveris, nullum mihi cum Queſnellio, dum Hiſtoriam ſcriberem, litterarum commercium extitiſſe: nec ſuas illum, aut mortalium alterum, in eo adornando Libro, operas contuliſſe: quod & is duplici Scripto publicè denuntiavit.

VIII.

Alterum, quo te malæ fidei poſtulabam (a) ob ſuppreſſam fragmenti ex Libro meo excerpti partem, undè rei ſumma pendebat, elidere niteris atque depellere, locum integrum a te pagina nona deſcriptum indigitando. Ac tum igneam indolem, a te olim, dum Pariſiis agerem, obſervatam incuſas, quæ, ne rem in ipſos oculos ſalientem viderim, impedivit.

Næ tu Lectores ludis illudiſque; ac dum te optima eſſe fide probare inſtituis, novum peſſimæ fidei ſpecimen edis? Non id ego tibi vitio dedi, quòd nona prioris Epiſtolæ pagina, citatum fragmentum mutilaſſes; ſed quòd pagina vigeſima-ſecunda priori duntaxat fragmenti parte deſcripta, alteram, undè rei ſumma pendebat, ſilentio tranſiiſſes. Et quidem, quod integrum fragmen-

(a) *Pag.* 15. 16.

mentum dares pagina nona, nihil penitùs intererat. Cùm enim id unum probandum tibi ſumeres eo loci, gratiam efficacem, indeclinabilem & inſuperabilem a me dictam eſſe; ſatis profectò tibi erat, ſi priorem hanc fragmenti partem Lectorum oculis ſiſteres: *Homo lapſus indeclinabili & inſuperabili gratia eget, ut bonum agat, ob eam naturæ infirmitatem, in quam primi parentis peccato incurrit.* Verùm cum pagina vigeſima-ſecunda rem longè diverſam probare inſtituiſſes, me ſcilicet, repudiato Thomiſticæ Scholæ dogmate, efficacis gratiæ neceſſitatem ex una naturæ infirmitate derivaſſe: peſſimæ ſanè fidei fuit, quòd illa duntaxat, quæ tibi utcunque favere videbatur, parte laudata, alteram, quæ me cum Schola Thomiſtica ſentire convincit, ſilentio miſeris. Sic igitur, ubi nihil cauſſæ intereſt, Auguſtini a calumnia vindicati fragmentum integrum laudas: aſt ubi in rem conducit tuam, decurtas & mutilas. Num id a natura & ex indole facias, minus novi, qui tui memoriam nullam habeo: at id certò ſcio, multa tibi arte opus eſſe, ne quæ in legentium oculos ſaliunt, ab omnibus videantur.

IX.

Tertium, quod majoris momenti fateris eſſe, (*a*) tuos Cleandri & Eudoxi, de Provincialibus, ut vocant, Litteris Dialogos petebat; quos ab Apoſtolica Sede & a Clero Gallicano damnatos dixeram. Qua in re, ſupina me ac pingui allucinatione deluſum ais, ac etiam probare ſatagis.

Quid hìc magis mirer, dictorum falſitatem, ac præfidentiam, anceps hæreo. Cùm enim ſupina me ac pingui allucinatione deluſum oſtendere aggrediaris, nullam ſine ſupina, nullam ſine pingui allucinatione periodum ſcribis.

In primis enim Latinum duntaxat Dialogorum exemplum, non Gallicum, quod unum primigenium vocas, Romæ proſcriptum ais; idque a me cæteriſque omnibus ſciri, maximè aves. Et tamen lato Romæ Decreto, die 17. Januarii 1703. Dialogos illos tuos, cæteroſque ſimul notatos Libros, prohibitos ac damnatos lego, *QUOCUMQUE IDIOMATE ET VERSIONE impreſſos, vel imprimendos, in quocumque loco.* Quamquam ſi ab ea cenſuræ formula temperatum eſſet, nunquam tamen tuum illud Gallicum exemplar intactum oſtenderes, niſi a Latino, in quibuſdam ſaltem qualiſcumque momenti capitibus, diſcrepare demonſtrares.

Addis, Cenſuram in ſacra Indicis Congregatione, in qua Patrum Prædicatorum authoritas plurimùm valet, fuiſſe diſtrictam. Verùm ex ipſo Decreti titulo perſpectum eſt, ex Sacra Cardinalium.

(a) *A Pag. 16. ad 28.*

lium fidei Quæſitorum Congregatione prodiiſſe. *Feria quarta die* 17. *Januarii* 1703. *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum Dominorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium in tota Republica Chriſtiana Generalium Inquiſitorum &c.*

Subjungis rem certo, ut ais, authore acceptam, nempè Romanum Pontificem præconceptam ex lata cenſura offenſionem viro cuipiam religioſo, a quo rem totam inaudiverat, ſignificaſſe. Ego è contra, rem dico meliori longè authore compertam, Decretum non niſi jubente Pontifice, ac poſt audita Eminentiſſimorum Principum vota, Cenſorumque ſuffragia, inſtructum eſſe. Ita quippe ſequentia Decreti verba habent: *Præviè relatis Sanctiſſimo Domino Noſtro Clementi Papæ Undecimo eorundem Eminentiſſimorum votis, & Theologorum cenſuris, DE MANDATO SANCTITATIS SUÆ, præſenti Decreto prohibet & damnat infraſcriptos Libros, vi-* „ *delicet* . . . . Cleander & Eudoxus, ſeu de Provincialibus, „ quas vocant, Litteris Dialogi &c.

Abi nunc, & in ſacram, ut facis, Indicis Congregationem debacchare, quòd ab ea Decretum tibi finxeris prodiiſſe. Eminentiſſimorum Patrum, queis & ipſa conflatur, æquitati, prudentiæ, religioni inſulta, quaſi a Patribus Prædicatoribus, velut è ſacro manipulo pendeant, ſibique ab eis illudi patiantur, ut ex illorum arbitrio nutuque cenſuras expediant; rancidaſque Theophili Raynaudi, *de immunitate Cyriacorum*, hoc eſt Dominicanorum, *a cenſura*, querelas inſtaura. Hoc dico tantum, periculoſæ aleæ plenum eſt, in eos ſcribere, qui poſſunt poſcribere. Et *ſi pœnitentia jure plectendus eſt quiſquis cuilibet irrogat injuriam ſacerdoti; qua tu ſententia dignus es, qui illis ſacerdotibus injuriam intuliſti, quorum conſilio & judicio, ſtatus & diſciplina debet totius Eccleſiæ Catholicæ gubernari?* B. Petri Damiani verba ſunt *Lib.* 1. *Epiſt.* 20. *ad Cadaloum*.

Quandoquidem autem, (*a*) depreſſa contemtaque ſacri Cardinalium conſeſſus cenſura, Hiſpanorum Quæſitorum judicia in cœlum evehis, mihique Gallo Gallus opponis; eorumque in definiendis ac decernendis Librorum vetitorum notis acre judicium ſummopere probas; hoc tibi Cenſurarum Hiſpanicarum ſpecimen habe: ac ſi tibi illarum in Gallia publicandarum procuratio data eſt, ab iſta, ſervato, ut æquum eſt, ordine temporum, initium facito.

„ Nos Inquiſitores Apoſtolici contra hæreticam pravitatem & „ apoſtaſiam . . . . . . Notum facimus, ad noſtram notitiam deve- „ niſſe, quòd impreſſi & vulgati fuerint quidam Libri, quos man- „ damus recolligi, & omnino prohiberi: qui ſunt ſequentes . . . . . „ ACTA SANCTORUM . . . . Qui omnes ſunt qua- „ tuor-

(a) *Pag.* 26.

„ tuordecim Tomi. Authores eorum, *Godefridus Henſchenius*, &
„ *Daniel Papebrochius*, *Societatis Jeſu*. Quia continent propoſitio-
„ nes erroneas, hæreticas, ſapientes hæreſim, periculoſas in fi-
„ de, ſcandaloſas, impias, piarum aurium offenſivas, ſchiſmati-
„ cas, ſeditioſas, temerarias, audaces, præſumptuoſas; plurium
„ Summorum Pontificum, Sedis Apoſtolicæ, ſacræ Rituum Con-
„ gregationis, Breviarii & Martyrologii Romani graviter offenſi-
„ vas; & excellentiarum quorundam Sanctorum, multorumque
„ Scriptorum nimium depreſſivas; & clauſulas multis ſanctis Patri-
„ bus & graviſſimis Theologis Eccleſiaſticis irreverentes. Et ſimi-
„ liter, quia continent propoſitiones ſtatus religioſi multarum Re-
„ ligionum, & ſpecialiter Carmelitarum, & ſuorum gravium Scri-
„ ptorum, multarum Nationum, & ſignanter Hiſpaniæ offenſivas;
„ necnon multorum Authorum, communi æſtimatione veridicorum
„ detractivas: ac denique quia in dictis operibus multa hæretico-
„ rum, & aliorum infamis notæ Authorum, à Summis Pontificibus &
„ ab Eccleſia prohibitorum & condemnatorum, continentur elo-
„ gia; quorum doctrinis utuntur, ut eas quæ ſunt Sanctorum, &
„ Eccleſiæ traditiones impugnent.

„ Ideò mandamus &c. . . . . In Aula noſtræ Audien-
„ tiæ Sancti Officii Inquiſitionis Toletanæ, die 14. Novembris
„ *1695*.

Turpiùs longè multò Cleri Gallicani cenſuram conaris elidere, qui cùm te verteris in omne latus, ne judicio cecidiſſe videaris, in putidos tandem errores incidis, nova cenſura percellendos. Res in propatulo eſt. Confixam enim Anno 1700. in Comitiis Gallicanis propoſitionem oculis ſubjicis: *Patriarchæ & Prophetæ, Angeli, ipſe Chriſtus æquivocationibus, ſive amphibologiis & reſtrictionibus mentalibus uſi ſunt*. Tum latam cenſuram adnectis, in hæc verba: *Hæc propoſitio ſcandaloſa eſt, temeraria, myſticè, prophe-ticè, parabolicè, ſive œconomicè, ad inſinuandam altiùs veritatem, dicta vel tacita, cum vulgaribus geſtis confundit, ſanctorum Patrum acta ludibrio vertit, ipſis etiam Angelis injurioſa, erga Chriſtum contumelioſa, & impia*. Ac tandem, ut tuam illam de æquivocis, mentiſque, ut ajunt, reſtrictionibus Scriptionem, eo telo minimè petitam evincas, id perbellè reponis (*a*) te utriuſque partis argumenta poſuiſſe duntaxat; (quorum videlicet benè multa eò tendunt, ut Patriarchas, Prophetas, Angelos, ac Chriſtum ipſum, amphibologiis, æquivocis, verbiſque mente reſtrictis uſos oſtendant;) teque ad ultimum pronuntiaſſe: *tam impeditas utrinque difficultates occurrere, ut quam in partem deſcenderes, animo pendeas:* Quo te reſponſo abſolutum obtendis. Eo ergo, velis nolis, errore labora-

(a) *Pag.* 22.

borare convinceris, *ut ſcandaloſa, temeraria, Angelis injurioſa, Chriſto contumelioſa & impia propoſitio*, uſque adeo probabilis haberi poſſit, ut de ea reprobanda aut amplectenda dubitare vel prudentiſſimus poſſit.

Sed & id procul abit a vero, quod tanta fidentia venditas, ut illudas: te ſcilicet partis utriuſque momenta ſimpliciter poſuiſſe, nec in alterutram propendiſſe. Id quidem initio denuntias, teque ita facturum Lectoribus ſpondes, ut publicam bonorum omnium invidiam effugias: at fidem fallis, tantumque abeſt ut promiſſum exolvas, ut potius ſecus agas omnino; & in partem æquivocis faventem pedibus manibuſque venias, navigiis atque quadrigis. Theologorum enim æquivocorum uſum damnantium momenta leviter ac defunctoriè percenſes; probantium è contra fuſo ac redundanti ſermone proſequeris. Illa derides, facetiis, ludis, ac nauci facis: iſta probas, confirmas, urges, Scripturarum oraculis munis, iiſdemque, quantum potis es, robur addis. Priores ſanis dogmatis defenſores conviciis identidem oneras (*a*) *Moralis Chriſtianæ reformatores* ironicè dicis: *Calumniatores* diſtinctis verbis appellas: Alios ex adverſo proſcriptæ ſententiæ Magiſtros omni verborum honore proſequeris (*b*) *Eruditos ac ſanctos Theologos* vocas (*c*) *magni momenti rationibus ductos* ais: *prudentes in primis & cautos* prædicas; *qui orituris quibuſvis incommodis ſapienter occurrerint*. Uno verbo, ſententiam a Clero Gallicano tam turpibus notis inuſtam, *Scripturæ exemplis & oraculis fultam*, dicis, *Patrum explanationibus congruentem*, *Sanctorum benè plurium agendi loquendique rationibus confirmatam*. Hoccine eſt, nullarum (ut ſpoponderas) eſſe partium; ac non potius peſſimas omni virium contentione defendere? Quamquam nec ſi promiſſis ſtetiſſes, tuo functus officio cenſeri poſſes. Ubi enim diſciplinæ Evangelicæ cauſa vertitur, Viro Theologo piaculum eſt, ad neutram ſe partem adjungere; maximè ubi alteram Eccleſiæ judicio proſcriptam videt. Neque enim ignoraſſe te puto, jam tum ab Anno *1679.* hanc, inter alias pravi dogmatis aſſertiones, ab Innocentio Undecimo fuiſſe confixam, *Cauſa juſta utendi amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens & ſtudioſa.*

Jam te quò contradicendi ac repungendi ſtudium abripit, dum depulſam, ut tibi videris, accuſationem in nos regerere niteris: nec te tuoſque, ſed Dominicanos, atque Banneſium in primis, hac ipſa Cleri Gallicani cenſura inuſtos effutis? Egregiè tu quidem, qui id Lu-

(a) *Pag.* 374. & 375.
(b) *Ibid.* (c) *Pag.* 376. 366. 367.

Lutetiæ ſcribas. Ecqui, quæſo, tota Urbe Regia circumcurſare, urgere, inſtare, adniti, Magnatum opem deprecari, omnemque movere lapidem viſi ſunt, quo tempore Cleri Comitia haberentur, ut hoc a ſe fulmen averterent? Veſtri-ne, an noſtri? Undè & a quibus tot exciti motus, auditæ querelæ, ac tantùm non minæ, ne meditata cenſura ex juris formulis vulgaretur? Quæ omnia in has etiam terras, alio fermè ſub ſole poſitas, publicis nuntiis ferebantur. Certè noſtri non modò ut judicium morarentur, quaſi ſuis cervicibus impenderet, ne pedem quidem moverunt, ſed ut ferretur, ad Chriſtianæ morum diſciplinæ munimentum, fuſis ad Deum precibus, efflagitarunt; latumque ac publicatum laudarunt, commendarunt, ac veluti parta victoria triumpharunt. Et tamen, quaſi tuas Garamantis & Indis fabulas venderes, non veſtros, ſed noſtros eo telo petitos obtrudis. O dictum benè! Eia itaque, perge tam fido nepenthe ſopire curas: & ſi quando pronuntiatum contra prophanos, ut boni omnes augurantur, Sinenſium cultus, judicium Pontificium vulgari continget, non veſtros, ſed noſtros cauſa cecidiſſe, pari fidentia prædica. Gratos identidem ludos dabis.

Age tamen, & quid tibi, ut in nos, ac potiſſimùm in Banneſium hanc fabam cudas, in cauſſa ſit, perpendamus. Hic, inquis, 2. 2. quæſt. *69*. art. 2. mota quæſtione, quo pacto Reus ſe gerere debeat, quando interrogatur contra ordinem juris, hæc habet: *Pro hujus explicatione ſupponenda ſunt fundamenta certiſſima. Primum fundamentum eſt, quod Reus in tali caſu non teneatur reſpondere. Secundum eſt, ſi reſpondeat, licitum eſt illi uti ratione amphibologica in uno ſenſu, licet Judex accipiat eam in alio ſenſu. Neque hoc eſt fallere Judicem, quia non tenetur Reus explicare amphibologiam. Tertium fundamentum eſt, cum Judex interrogat contra ordinem juris, ſive Reum, ſive teſtem, an ſciat aliquid, licitum eſt reſpondere neſcio, & jurare quod neſcit, etiamſi ſecretò cognoverit. Ratio hujus fundamenti eſt: quia jam apud omnes receptum eſt, ut illud dicamus nos neſcire, quod ſecretò novimus. Et habet hoc dictum fundamentum in Evangelio Marci* 13. De die illa nemo ſcit, neque filius hominis: *Quod intelligitur, ut revelet*. Hanc tu ultimam Banneſii rationem grandioribus caracteribus repræſentas, ut oculos impleant: aiſque id ipſum eſſe, quod ut impium, Chriſtoque injurium lata cenſura damnavit Clerus Gallicanus.

Aberras toto oſtio, ac præſtantiſſimo Theologo injuriam irrogas. Equidem is in notatam impietatem lapſus videri poſſet, ſi Chriſti verbum, judicii diem ſe neſcire affirmantis, in ſecundi (quod & mihi minus ſapit) fundamenti probationem attuliſſet; utque Reos contra juris ordinem interrogatos, amphibologiis uti poſſe

poſſe demonſtraret. Sic enim Chriſtum æquivoco verbo uſum innueret. At ſecùs longè res habet. Ad tertii quippe fundamenti probationem, Chriſti exemplum adduxit, ut videlicet uſu receptum oſtendat, ut illa nos neſcire dicamus, quæ ſecretò duntaxat novimus. A quo quidem loquendi uſu procul abeſt amphibologia, aut verbum æquivocum: cum verba ex publico uſu ſenſum accipiant: nemoque ſit, qui Confeſſarium, exempli gratia, ea ſe neſcire affirmantem, quæ ex ſecreta confeſſione novit, æquivocis uti verbis effutire audeat. Id itaque eo in capite Banneſius docuit, quod ſummi Societatis tuæ Theologi docuere, atque iiſdem fermè verbis.

Suares 3. *part. quæſt.* 10. *art.* 2. ubi hæc ipſa Chriſti Domini verba commentatur: *ultima*, inquit, *& vera expoſitio eſt, Chriſtum negaſſe ſe ſcire, quia veluti ſub ſecreto illud ſciebat, & non ad dicendum aliis. Quæ optimè quadrant contextui, & reſponſioni Chriſti Domini, & phraſi Scripturæ; . . . . . . Conſonat etiam hæc expoſitio*, CUM COMMUNI ET PRUDENTI LOQUENDI MODO, QUO EA QUÆ SUB SECRETO ACCIPIMUS, NESCIRE DICIMUS. *Et hæc eſt communis expoſitio Patrum.*

Vaſques 3. *par. quæſt.* 12. *cap.* 2. Alphonſi Caſtrenſis interpretamentum, a Banneſii explicatione nihilo diffidens, pari obſervatione confirmat. *NAM ET NOS*, inquit, *VERE DICERE POSSUMUS EA IGNORARE QUÆ OCCULTA SUNT*, *quia manifeſtare non debemus.*

Molina 1. *part. quæſt.* 12. *diſp.* 5. *art.* 8. *mem.* 8. *QUANDO ALIQUID SECRETO' ACCIPIMUS, INTERROGANTI DE EO POSSUMUS DICERE SINE MENDACIO NOS NESCIRE*, *eo videlicet ſenſu, ut revelemus. Quare cum Chriſtus Dominus cognitionem hanc acceperit, ea lege ut ſecretò ſervaret . . . . . . ideo ſine mendacio dixit, neque filium ſcire, ſcilicet, ut revelet.*

Cardinalis de Lugo *de Incarnatione diſp.* 19. *ſect.* 1. *Communior expoſitio eſt Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi, Ambroſii, Athanaſii, Hilarii, & aliorum, quam ſequuntur recentiores omnes, Chriſtum neſcire diem illum, quia illum acceperat ſub ſecreto.* *QUÆ AUTEM SCIMUS EO MODO VERE DICIMUS NOS NESCIRE*, *quoties importunis interrogationibus urgemur.*

Cornelius a Lapide *in cap.* 24. *Matthæi ad verſ.* 36. *Negat Chriſtus id ſe ſcire, ut homo eſt, & ut Dei legatus erat ad nos: quia non ita ſciebat, ut revelare hominibus poſſet: ſive illud revelare non habebat in mandatis a Patre. Sicut Legatus ſi rogetur de ſecretis Regis ſui, verè reſpondet ſe ea neſcire, etiamſi illa ſciat, quia illa neſcit ut legatus. Ut legatus enim tantum refert illa, quæ illi a Rege dicenda commiſſa ſunt: ſecreta enim ab eo taceri juſſit Rex.*

Nullus porro, in ea loquendi formula, amphibologiæ aut æquivoco-

vocorum uſus, ut antea monui: quia quiſquis verba juxta communem uſum uſurpat, nugatoriis iis artibus haud opus habet, ut abditos ſenſus mente condat, queis mendacium evitet. Aliàs Eccleſiæ Patres, qui hoc idem ante Scholæ Theologos Dominicis verbis interpretamentum accommodarunt, Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophilactus in *caput* 24. *Matthæi*, Ambroſius *Lib.* 5. *de fide cap.* 8. Baſilius *Libro* 4. contra Eunomium, Auguſtinus *Libr.* 1. *de Trinitate cap.* 12. Cyrillus *Libro* 9. *de Trinitate*, æquivocorum artem Chriſto tribuiſſe cenſerentur, quod abſit.

Perperam itaque locum illum Banneſii cavillaris, ut propoſitionem a Cleri Gallicani Præſulibus inuſtam, ex illò excerptam effutias: cum is Chriſti dictum, ad æquivocorum uſum confirmandum minimè detorſerit; ſed ut uſu receptum oſtenderet, ut ea neſciri dicantur, quæ ſecretò ſciuntur. Fruſtra foris quæris, quod domi habes. Conſule, ut de cæteris taceam, Thomam Sanches *Tomo* 1. *Operis Moralis*, *in præcepta Decalogi Libr.* 3. *cap.* 6. *num.* 15. & proſcriptam aſſertionem nullo negotio deprehendes. *In ſacris Litteris*, inquit ille, *hic loquendi modus* (nempe verbis æquivocis, ac mente reſtricta) *uſurpatur. Nam Chriſtus Joannis 7. dixit:* non aſcendam ad diem feſtum hunc: *& tamen ſtatim aſcendit: quæ tamen oratio vera fuit, ex addito mente Chriſti retento; ſcilicet non aſcendam manifeſtè: quem ſenſum ea verba ex ſe non faciebant. Et Tobiæ 5. Angelus dixit:* Ex filiis Iſrael ego ſum, Azariæ Ananiæ magni filius: *quæ verba ſunt vera juxta eorum interpretationem retentam in mente Angeli; falſa autem ſecundum propriam ſignificationem. Et Geneſis 27. Jacob dixit ſe eſſe Eſau, & feciſſe quæ ſibi præceperat Iſaac: & tamen multi, quos refert & ſequitur Perreira in eum locum, tota diſputatione 5. eum a mendacio vindicant, propter ſenſum a Jacob intentum. Et Judith multa dixit Holopherni, quæ ſecundum verborum intellectum a mendacio excuſari nequeunt; at excuſantur ſecundum aliquem myſticum intellectum, authore Divo Thoma &c.* Annon hic, amabò, magna pompa explicatum habes, quod inuſta propoſitione compendio continetur: *Patriarchæ, & Prophetæ, Angeli, ipſe Chriſtus, nedum viri juſti, & ſancti æquivocationibus, ſive amphibologiis, & reſtrictionibus mentalibus uſi ſunt?*

Cum verò hæc omnia, ab aliis uſurpata ac mutuata, non retuleris modò, ſed & calculo comprobaris, uti paulo antea demonſtravi, habe tibi tuiſque Cleri Gallicani cenſuram; nec quod ſummo jure veſtrum eſt, noſtrum dicito.

Eam tu æquivocorum artem non probas (*a*) modò, ſed exerces ipſe, ac mira certè dexteritate, ſummis ejuſdem Profeſſoribus hactenus

(a) *Pag.* 27. 28.

Digitized by Google

nus inaudita, dum meam Auxiliorum Hiſtoriam, in arcanis (*a*) ut vocas, Janſenianorum notis, *Harmonicam fabulam* dici ais; ſeu, ut Gallicè ſcribis, *L'Opera de Bannereti*, ut hinc irridendi anſam arripias. Etſi enim nunquam mihi arcana illa patuerint, & quas verbo tenus ſubindicas Epiſtolas prorſus ignorem; te tamen æquivoco Lectores ludere, haud obſcurè conjicio: vocemque Italicam, opus (*b*) ſeu Litterariam lucubrationem Italis auribus ſignificantem, Gallis, quibus harmonicam fabulam ſonat, obtrudere, ut illudas. Dignum præceptore ſummo æquivocorum ſpecimen, undè tyrones exemplum capiant!

X.

Reliqua Epiſtolæ parte à ſuſcepta reſponſione procul aberras, totoque cœlo disjunctum argumenti genus aggrederis, inſtituto de primis moralis diſciplinæ corruptoribus prolixo ſermone, de quibus nulla mihi tecum contentio fuit.

Quàm ineptè hanc Epiſtolæ tuæ laſciniam aſſueris, ſatis ipſe perſentis, qui ne tibi tam devium, qui me nihil attingit, exceſſum quis vitio vertat, editamque à te alia fortè occaſione ſcriptiunculam, huic demum Epiſtolæ, præter rem & inſtitutum, inſertam objiciat, id unum initio laboras, ut ne longiùs accerſita videatur. Quare hanc tibi oblatam à me occaſionem ſignificas, quòd pag. 4. ſcripſerim, *me doctrinæ integritate, veritate & æquitate ſatis abundè contentum, minùs tibi Gallicæ linguæ facundiam invidere*. Quaſi verò, de altero doctrinæ capite, quàm quod tota Epiſtola vindicandum aggrediebar, iſta dixiſſem; aut fortè de moralibus, aliiſque communibus Scholæ Thomiſticæ placitis, quibus à Moliniana diſſidet, dum hæc ſcriberem, diſputaſſem; ut hinc tuam mihi de probabilibus opinionibus tractationem obtrudendi anſam arriperes? Quid ni eodem obtentu quamlibet alteram Theologicam commentationem, qua Scholam Thomiſticam peteres, conſuiſti? Omnes enim ex æquo congruerent, paremque occaſionis opportunitatem obtrudere poſſes, quòd domeſticæ doctrinæ integritatem ac veritatem audaciùs oſtentaſſem.

At, ut video, conflatæ in me unum accuſationi ſuſtinendæ impar, alteram, quæ me nihil attingeret, quæque pateret latiùs, intentaſti. Cùmque præteritarum controverſiarum uſu didiceris, quàm altum Scholæ veſtræ vulnus inflixerint, qui Chriſtianæ Ethicæ corruptelas à veſtris invectas, tam facetè tam lepidè deridendas omnibus propinarunt; parem te nobis plagam illaturum exiſti-

(a) *Les chiffres* (b) Opera *Italici idem quod opus, ſeu litteraria lucubratio. Sic* l'Opera di S. Tomaſo, *Opus S. Th.* (c) *A pag.* 28. *ad* 54.

Digitized by Google

exiſtimaſti, ſi peregrinam totoque cœlo disjunctam tractationem aſſueres, qua Scholæ noſtræ Magiſtros, in laxanda morum diſciplina veſtris præluſiſſe contenderes.

Verùm obtuſum diù, multaque rubigine exeſum hoc telum eſt. Quidquid enim ex Thomiſticæ Scholæ Profeſſoribus congeſſiſti, ut illos moralis diſciplinæ corruptores oſtendas, partim ex infami *Caſuiſtarum Apologia*, tot Apoſtolicæ Sedis, Academiarum, ac Præſulum cenſuris inuſta, partim ex Amadæi Guimenii pari infamiæ nota confixis Opuſculis, partim ex Stephani Deſcampii *Quæſtione facti de probabili opinione*, petitum eſt. Ea quippe horum Scriptorum calliditas eſt, ut ſi qua, in moralis Theologiæ tractatione, gloriæ colligendæ ſpes affulget, in Societatis Scriptores integram referant, ægrè aliorùm conſortium admittant; aut ſi excludi nequeunt, primam domeſticis vindicent: ubi verò res eſt plena periculi, laxatæque morum diſciplinæ timetur invidia, non modò ſocios, ſed duces etiam atque Magiſtros, ex aliis interdum Familiis, ubique verò ex Dominicanis aſſumant.

Quare cùm nihil novi ingeras, ſed veterem duntaxat cantilenam, ac etiam extra chorum occentes, veterem tibi reſponſionem habeto: Dominicani videlicet Inſtituti vindicias, adversùs geminam Guimenii & Deſcampii lucubrationem, ante annos circiter quadraginta, à Vincentio Baronio (*a*), ut alios ſileam, adornatas: queis Scholæ Thomiſticæ Profeſſores, ab inducta morum laxitate vindicat data opera, cunctis in cenſum vocatis, quos Guimenius ad corruptelæ præſidium appellaverat; dataque occaſione, facti Quæſtionem à Deſcampio publicatam, quam & tu intactam exiſtimas, diſpungit ex integro. Has tu, dum novi aliquid ingeras, reſponſiones habeto; ac ſi fortè prurit calamus, in iis confutandis exerce. Etſi pruriginem omnem, ut opinor, tollere potuit, habita non ita pridem ea de re cum Natali Alexandro (quo Magiſtro glorior ac triumpho) litteraria concertatio, unde tam infeliciter emerſiſti; majora etiam damna laturus, niſi (ut eſt ille Regiis mandatis obſequentiſſimus) indictum utrique ſilentium multò te ſanctiùs ac religioſiùs coluiſſet.

Nonullas duntaxat animadverſiones adjiciam, quo cuique perſpicuum fiat, quàm caſſam ac ſubdolam in ea recoquenda crambe operam ponas.

1. Imprudentis omnino conſilii eſt, Prædicatorum Ordinis, ab Annis ferme quingentis Scholas Catholicas occupantis, communem de probabilibus opinionibus mentem ac ſenſum, à nuperis duntaxat Scriptoribus colligere velle, qui ab Anno circiter 1577. quo ſuos Bartholomæus Medina Commentarios evulgavit, ad Annum 1659. quo veſtrorum *Caſuiſtarum Apologia* à Theologis Pariſien-

(a) *Manuductio ad moralem Theologiam par.* 2. (b) *A pag.* 32. *ad* 54.

riſienſibus inuſta eſt; de morum regulis diſputarunt: (quod tu, tuuſque Deſcampius ſaſtitatis:) ac non potius à tota retrò Scriptorum ſerie, atque ab iis maximè, qui ab Ordinis incunabulis, rem Theologicam pertractarunt. Eo fermè modo, quo Eccleſiæ Catholicæ, de rebus morum ac fidei, mentem atque ſententiam ſolemus excerpere. Quia manantes à primo fonte rivulos, cùm longiùs à ſcaturigine receſſerint, paululùm infici, & externarum rerum admixtione perſæpe turbari compertum eſt.

2. Nazarius, Prieras, Banneſius, Ledeſma, Alvareſius, Martinez, Ildephonſus, qui primas, inter laudatos à vobis laxitatis Magiſtros, ex nominis fama tenent, perperam omnino vocantur in cenſum; quorum alii vagæ probabilitatis uſum data opera confutarunt, alii quam tutò tenendam probabilem opinionem exiſtimant, iis circunſcriptionibus muniverunt, ac legibus illigarunt quæ periculum omne ſubmoveant, omnemque veſtris Scriptoribus familiarem laxitatem eliminent: quod Vincentius Baronius Vindiciis paulò ante laudatis, ſuiſque Natalis Alexander Epiſtolis, multis oſtendunt. Quin Medina ipſe, à quo prima cœpiſſe dicitur mali labes, quique præ cæteris difficillimè in rectam ſententiam flecti poteſt, ab ea Sancheſii veſtri, Tamburini, Azorii, aliorumque laxitate procul abeſt, qua unius duntaxat viri docti ac pii ſuffragium ſatis eſſe contendunt, ut opinio tuta atque probabilis cenſeatur. *Opinio quippe*, ait ille, hoc ipſo quem indicas loco, nimirum 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. *dub.* 6. *concl.* 3. *non dicitur probabilis ex eo quod in ejus favorem adducantur rationes apparentes, & quod habeat aſſertores & defenſores: nam iſto pacto omnes errores eſſent opiniones probabiles: ſed ea opinio probabilis eſt, quam aſſerunt viri ſapientes, & confirmant optima argumenta, quæ ſequi nihil improbabile eſt ...... Opinio probabilis eſt conformis rectæ rationi, & exiſtimationi prudentum & ſapientum*. Imò *dub.* 4. *concl.* 3. hanc Chriſtianæ Ethnicæ regulam ſtatuit: *Quando pro una parte certum eſt, & pro altera dubium, peccatum eſt ſequi id quod dubium eſt. Hic enim habet vim regulæ magiſtralis: in dubiis tutior pars eligenda eſt*. Et *concl.* 4. *Quando ex utraque parte dubium eſt, & non poteſt deponi dubium, ſequenda eſt tutior pars: quòd ſi neutra tuta fuerit, ſequenda eſt minùs perículoſa*. Quo decreto vagæ probabilitatis uſus ab imo ſuffoditur. Fieri quippè non poteſt, ut qui novit, opinionem alteram legi faventem, probabiliorem & ipſam eſſe, pluriumque Doctorum ſuffragiis ac rationibus nixam, nullo tamen dubio agitetur, dum ea relicta, minùs probabilem, pauciorumque ſuffragiis ac rationibus fultam amplectitur.

3. Lectoribus de induſtria fucum facis, illudiſque turpiter, ut ſiniſtram de Schola Thomiſtica opinionem imbibant. Cùm enim

probare

probare inſtituas, Thomiſtas non ſecùs ac tuos, uti Chriſtianæ Ethicæ corruptores, Provincialibus, quas vocant, Litteris ludi poſſe; eaque de cauſa, tranſcripta Epiſtolæ quintæ laſcinia, rei periculum facias, Dominicano Interlocutore domeſticorum de probabilitate placita recitante, in tui illius boni Patris locum ſubrogato, qui ut anſer inter olores, gratis apud Montaltium næniis intercinebat? ſic eum de nuperis conſcientiæ caſuum arbitris, Auguſtino, Chryſoſtomo, Ambroſio, Hieronymo ſuffectis, cum Montaltio ipſo colloquentem inducis: *Eruditi & celebres juxtà fuere. Hem tibi: Villalobos, Conink; Llamas, Achokier, Dealkoſer, Dellacrux, Veracrux, Ugolin, Tamburin, Fernandes, Martinez, Suares, Henriques, Vaſques, Lopes, Gomes, Sanches, de Vechis, de Graſſis, de Graſſalis, de Potigianis, de Graphæis, Squilanti, Bizozeri, Bartola, de Bobadilla, Simancha, Peres de Lara, Aldreta, Lorca, de Scarcia, Quaranta, Scophra, Pedrezza, Cabrezza, Biſbe, Dias, de Clavaſio, Villagut, Adam à Manden, Iribarne, Binsfeld, Volfangi à Verbergh, Voſtheri Stereſdorf. Hìc ego* (Montaltius) *vehementiùs perterrefactus: obſecro, mi Pater; ſunt ne illi Chriſtiani? Quid ais, Chriſtiani? Imò ut jam dixi, horum inſtitutis totum regimus orbem Chriſtianum. Indolui hujus hominis cœcitati: repreſſi me tamen, & tantùm quæſivi an omnes illi Dominicani fuiſſent. Neutiquàm verò, inquit; ſed quid refert, dum præclara ſcripſerint, à nobis quidem ut plurimùm ſumta aut expreſſa: at nos bonos iſte non admodùm tangit &c.* Quis id à te recitatum atque deſcriptum legat, ut Dominicanos iocum ludumque facias, ac non ſtatim in animum inducat, recenſitos ab Dominicano Interlocutore; moralis diſciplinæ Magiſtros, priſcis Eccleſiæ Patribus ſubrogatos, aut omnes, aut certè partem illorum maximam, Dominicana profeſſione cenſeri? Id enim ſuſcepti conſilii ratio poſtulabat, ut quidpiam in eos, quos traducere paras, obtineas. Ac certè nonnullos tua illa arte deluſos novi; quibuſcum, ut dedocerentur, longa mihi contentio fuit. Et tamen qui ſuccedaneos illos ſacræ Ethicæ Tractatores probè norunt, partem illorum maximam è Societate prodiiſſe (quod Montaltii inſtituto apprimè congruebat) perſpectum habent, paucos ex aliis Inſtitutis, è Dominicanis verò vix unum & alterum.

4. Cum primùm in Galliis noſtris, contra vagæ probabilitatis laxitates, claſſicum inſonuit, & ad eas chriſtianæ Ethicæ corruptelas eliminandas exarſit piiſſimorum Paſtorum zelus ac vigilantia, ea fuit Prædicatorum Ordinis religio atque prudentia, ut ſuos, ſi qui fortè communi veſtrum contagione infecti deprehenderentur, non modò reliquerint indefenſos, ſed ſpontè ipſi rejecerint; ſuaſque Eccleſiæ Principibus, ut hanc à fidelium cordibus peſtem, averterent, operas commodarint.

Quos

Quos inter enituere, Petrus Loventus Pariſienſis Provinciæ Præpoſitus, & Oliviarius Richecorius Studiorum noſtrorum Lutetiæ Moderator, qui juſſu Vicariorum Generalium, Probabiliſmi fontem ac rivos in veſtra Caſuiſtarum Apologia, una cum cæteris deſignatis Theologis proſcripſerunt; Vincentius Baronius, Joannes Baptiſta Gonetus, Petrus Labatus, Vincentius Contenſonius, Jacobus a ſancto Dominico: ut nihil de Hiſpanis & Italis dicam hic, qui nec ſuam, in ſacro opere promovendo, induſtriam deſiderari paſſi ſunt. Cum veſtri ex adverſo, encyclicis Præpoſitorum Epiſtolis animati, totius Societatis honorem in privatorum defenſione poſuerint; pro tutandis vagæ probabilitatis finibus, tanquam pro aris ac focis, concordibus animis decertarint; Academiarum Cenſuras irriſerint; ipſoſque Eccleſiarum Rectores in novitatem armatos, uti profeſſos Societatis hoſtes, mille conviciis onerarint.

5. Prædicatores eo ex tempore alienis periculis ac damni edocti, morum diſciplinam, ne quid laxi nimis excideret, tractarunt cautiùs; & probabilitatem multò quam antea vehementiùs impugnarunt; ſed quod nimios ejuſdem abuſus, ac ſuccreſcentes indè ſurculos a Summis Pontificibus palam apertèque damnatos viderint; ſeu quod ad ſuccidendam ab imis radicibus fatalem arborem, Galliarum præſertim Epiſcopos, bonoſque omnes conſpirantes experti ſint. Socii ex oppoſito, nec propriis quidem periculis cauti, uſque adeò ad eam tutandam animum obfirmarunt, ut ſi qui fortè ſuorum, in hanc Chriſtianæ Ethicæ corruptelam acuerint calamum, ſævitum in eos ſit, nec ſummis etiam capitibus parcitum. Hæc indicare ſat eſt, ſunt enim in omnium oculis poſita: ut hinc omnes intelligant, vos ne jura quidem, in tuenda probabilitate, Prædicatorum magiſterio lætaturos, etſi vobis, quod falsò dicitis, in eo cudendo dogmate præluſiſſent. Adhuc enim, ſi re ipſa ſic eſſet, celebrato Auguſtini Reſponſo, Donatiſtis Africanorum Præſulum authoritati præfidentibus, non ſemel illiſo, ſecluſa tamen comparationis invidia) locus eſſet: *Vos certè nobis objicere ſoletis Cypriani Litteras, Cypriani ſententiam, Cypriani Concilium: cur autoritatem Cypriani pro ſchiſmate veſtro aſſumitis, & ejus exemplum pro Eccleſiæ pace reſpuitis?* lib. 2. de Baptiſmo cap. 3.

Cæterum qui tam appoſitè, toleratas pari gloriæ cumulo (*a*) ab naſcente Prædicatorum Ordine, & exoriente Societate vexationes oculis ingeris, (puto, ut qui laxatæ morum diſciplinæ & defenſatæ probabilitatis invidiam nobiſcum partitus eras, tolerelatæ quoque a prima utriuſue Inſtituti origine, perſecutionis gloriam amicè divideres:) noveris, non alio magis Prædicatorum Ordinem, cum primùm illuxit, turbine jactatum

(a) *Pag.* 55.

eſſe, quàm quem illi profligandæ vagæ probabilitatis zelus, & retinendæ purioris Ethicæ ſtudium concitavit. Hanc ſiquidem excitati in noſtros & Franciſcanos primi turbinis originem ferunt, quod propoſita Academiæ Pariſienſi ab Guillelmo Epiſcopo quæſtione, num tutò quis plura ſimul ſacerdotia poſſit adire, (quam non ita poſt Doctor Angelicus ſub hoc titulo pertractavit (*a*) *Utrum qui habet plures præbendas peccet, ex hoc ipſo quod contrariæ ſunt Magiſtrorum opiniones?*) viris præſertim Religioſis agentibus ac ſuffragantibus, plena urna decretum ſit, neminem, citra ſalutis periculum, pluribus Beneficiis fui poſſe, ſi ex uno in annuos reditus 15. Libras Pariſienſes perciperet, quæ pretio nunc Gallico ferè quingentas æquant: idemque illi è ſacro ſuggeſtu ſummo animi fervore denuntiarunt. Quo exulcerati ambitioſi ac præcupidi Sacerdotes diram in illos tempeſtatem conciverunt. Academiæ apud Fratres Prædicatores congregatæ judicium, Anno 1238. latum recitat, qui tunc Pariſiis aderat, Thomas Cantipratanus Lib. 1. Apum c. 20. n. 5. habitas verò à viris Religioſis ea de re conciones, indeque excitatum à Guillelmo Fani Amoris, aliiſque æmulis tempeſtatem narrat Paulus Æmilius, Lib. 7. de Rebus geſtis Francorum: *Sacri Mendicantium cœtus votivam paupertatem laudibus efferentes, in divites Sacerdotes concionabantur; eorum cupiditate & ambitione, ſervorum Dei numerum multis partibus imminui; alios bina, alios terna, alios plura ſacra, eaque opulenta Sacerdotia habere. Hæc illi prædicantes habebant adverſarios ſummos viros, & magna (ſi modum ſapientiæ impoſuiſſent) ingenia; in quibus Guillelmus à Fano Amoris, qui damnatis ſemel Pauperibus à Lugduno, paupertatis mendicitatiſque profitendæ ſpecimen ſublatum contendebant, Pontifex Maximus Alexander ſacros paupertatis Ordines, ex uſu pietateque Chriſtiani nominis habendos cenſuit, qui tunc & eruditionis & ſanctitatis gloria præſtabant.*

Hanc primariam Prædicatorum Ordinis notam, pro qua tam egregiè ſuſtinenda, Majores noſtri vitæ fortunarumque periculum adiere, poſteris ex aſſe relictam norunt Romani Pontifices (*b*) qui tot novarum opinionum, diſciplinæ Evangelicæ integritatem probabilitatis obtentu depravantium pertæſi, remedium a noſtris afferri vehementiùs optarunt; vulgatiſque in publicum uſum, ex ſaniori Divi Thomæ doctrina, moralis Theologiæ commentariis, gliſſenti in dies malo occurri juſſere. Norunt Gallicanæ Eccleſiæ Præſules, qui nullos è tot virorum Religioſorum Cœtibus, adverſùs vagæ probabilitatis uſum, infamemque *Caſuiſtarum Apologiam*, totius corruptelæ ſentinam atque colluviem, majori ſcriptionum copia decer-

(a) *Quod l.* 8. *art.* 13. (b) *Alex. VII. ad Patres Dominicanos in Comitiis Generalibus Congregatos Anno* 1656.

certantes experti ſunt. Hanc Prædicatorum Ordinis notam quiſquis fronte non præfart, nec noſter eſt, nec à noſtris agnoſcitur, etſi forſan à nobis exierit: quidquid, quovis in Libro, hac Ordinis nota ſignatum non eſt (*a*) id à nobis nec recipitur nec probatur; quod quos hæc certa lex eſt, ſummo conſenſu ſancita: *Caveant ab omni pruritu exoticarum minuſque cum littera Sancti Thomæ coherentium opinionum; præcipuè verò in Moralibus, ubi preſſiùs de ſalute ac indemnitate animarum agitur. Porrò in his ſtudeant omni cautela evitare opiniones laxas, novas, & parum tutas; abſtineantque a paradoxis ac monſtris recentium placitorum, ſeu problematum, quæ magis vanitati ac periculoſæ oſtentationi militant, quàm veritati.*

X I.

Amara ac virulenta declamatione Epiſtolam claudis, (*b*) qua non ſcribere videris, ſed furiis agi, horrenda in me convicia evomens, ac pleno modio: quòd moralem Societatis diſciplinam (de probabilibus autem loqueris) ſcriptis felle & abſcynthio reſperſis irriſerim; eaque ratione Inſtitutum Eccleſiæ haud parum utile, exſcriptis, quas vocant, Provincialibus Litteris, denigrarim: quòd te Auguſtini vindicias, adverſus Launoium adornantem, temerè laceſſiverim: quod novatoribus, hæreticis, perduellibus arcto fœdere junctus ſim: quod hæreticorum, à quibus ſeductus ſum, plauſus & exiſtimationem mihi collegerim: quod religioſo Inſtituto probro ſim ac dedecori: & quidquid lubet.

Qui tantus, mortalium humaniſſime, icto capiti accedere fervor potuit, ut tot in me brevi pagella convicia congereres? Illene ipſe es, qui me neglecti inter ſcribendum officii atque honeſti, paulò antea commonebas (*c*) teque a conviciandi animo procul eſſe dictitabas? Qui ſcriptorem quantumlibet eruditum, ſi modum verbis excedat, haudquaquam virum probum habendum, tuo illo Theologico Tractatu docuiſti; illudque Athenæi viſus confirmare (*d*) *Viris injuriarum conviciorumque ſtudioſis convenire, ut in aſellorum ſimiliumque ferarum naturam ingrediantur?* At, ut video, non ſedato duntaxat atque tranquillo, ſed & pio ac religioſo animo conviciaris; qui probra, dicteria ac ipſas quoque calumnias (modò in virum, quem Societatis honori parum propitium finxeris, jaciantur) ex Probabiliſtarum, quos tueris & colis, vulgari decreto, veniales exiſtimas. *Probabile eſt*, inquiunt illi (*e*) *non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam & honorem defen-*

Vvv 2

(a) *In Ord. Capit. Gener.* (b) *Pag.* 54. 55. 56. (c) *In Monito.* (d) *In Præf.* (e) *Caramuel Hurtado. Dicaſtillus. Diana. Socii Lovan. in Theſibus.*

& fellis , quam quidquid unquam in lucem edidi .

Verùm illud obſonium vincit quod de me conquereris, quaſi hæreticorum in me ora cultumque converterim; qui & me miris laudibus ferant , & editis a me libris verbis ampliſſimis pretium faciant . Quos tu hæreticos & dicas & facias , neminem , puto , ſolicitum habet , qui labem hanc omnium maximam quibulibet affingere , pro nihilo ducis . At ſi viros alieni cultus & communionis intelligis , næ te verius tua illa tabella depictum dicam? Sic enim qui apud Batavos Litterariæ Reipublicæ diurna ſingulis menſibus publicat , tua , ubicunque datur occaſio , laudibus effert, ornat , notis illuſtrat; noſtra verò deſpicatur ac deprimit , una ut omnium opinio ſit, illum aut a te ipſo, aut certè a tuis, quibuſcum litterariam neceſſitudinem colit , Sociis Trevoltinis excerpta recipere, quæ ſuis commentariis inſerat: nemoque eſt , qui illum æquiori virga tua ſimul & noſtra notaturum non putet , ſi & a ſe ipſo judicium ferret, & ex Romanæ , extra quam degit , Eccleſiæ regulis, maximè verò ex Auguſtini mente, ſententiam diceret.

Utcunque tamen ipſa res habeat , ſcito nullius me laudibus delectari ; nullas me a quoquam vel ambire vel quærere ; uti nec tui ſimilium conviciis moveor . Serviendum Deo novi, ut monet Apoſtolus , *per infamiam & bonam famam* : at nec illud ignotum mihi, quoddam eſſe hominum genus, qui nec famam laudibus concilient ſuis, nec infamiam conviciis ac probris importent.

AD

Digitized by Google

AD OMNIA ME TIBI RESPONDISSE, ET OMNIA REFELLISSE, PUTO QUOD PERSPICIS, SI PERVICAX NON SIS.

S. Auguſtinus Lib. 6. contra Jul. cap. 26.

Digitized by Google

INDEX
Materiarum, & Rerum notabilium.

A

Aſueri invidiam, & acerbitatem erga Eſtherem, & Iſraelitas converſam in manſuetudinem, donum Dei eſſe Auguſtinus contendit. Pag. 48

Abraham ſuaſit Saræ ejus uxori, ut ſe ejus ſororem diceret, & cur. 130

Andreas Vega quid de Fidei neceſſitate ad ſalutem æternam obtinendam ſenſerit. 173

Amphibologiarum & æquivocationum uſus damnatus eſt ab Innocentio XI. 192

S. *Anaſtaſius* rogatus per Domeſticum Barzabanæ ut ſolo verbo diceret ſe non eſſe Chriſtianum, recuſavit. 196

Apoſtoli poſt abolетam Moſaicam legem nonnullos illius Ritus & obſervabant ipſi, & à Fidelibus Chriſtianis obſervari permittebant, & cur. 200

S. *Auxibius* Solienſis Epiſcopus à S. Joanne Marco Chriſti Diſcipulo Solium miſſus eſt ad Chriſtianam Religionem fundandam. 201

Conſilium ab eo cœperat ad Idololatrarum animos conciliandos, ut eorum ſuperſtitionem ſectari ſimularet. ibid.

